
The Dibner Library
of the History of
Science and Technology

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES





1re Livre De 1 a 92.
21. 22. 28. 29. 43. 44. ~~44~~. 49. 53. 54. 55. 57. 59. 68. 70. 74
75. 82.

2eme Livre De 1 à 30.
11. 13. 27.

3eme livre de 31. à 116
40. 73. 84. 86. 92. 100. 105. 107. 109.


4me livre De 117 a 152
~~124~~ ~~[illegible]~~ 129. 134. 137. ~~[illegible]~~

5eme livre De 152 à 219
153. 154. 156. 157. 158. 159. ~~160~~ ~~164~~ 165. 168. 169. 170. 175. 176
184. 185. 188. 190. 192. 195. 196. 197. 204. 217. 219. 220. 221. 222. 223
224

John Burns.

July 16 1910

(in first British Labor Cabinet)



THOMAS

CAMPANELLA

ORD. PRÆD.

DE SENSV RERVM, ET MAGIA.

LIBROS QVATVOR,

[IN QVIBVS MVNDVM ESSE VIVAM DEI STATVAM, omnéſque illius partes, partiúmque particulas SENSV donatas eſſe, alias clariori, alias obſcuriori, quantus ipſarum ſufficit conſeruationi, ac Totius in quo conſentiunt, probatur. Ac Arcanorum naturalium rationes aperiuntur.]

CORRECTOS ET DEFENSOS à ſtupidorum incolarum Mundi calumniis per Argumenta & Teſtimonia Diuinorum Codicum, Naturæ, ſc. ac Scripturæ, eorumdémque Interpretum, ſcilicet, Theologorum & Philoſophorum, exceptis Atheis.]

Iure potiſſimo DEDICAT CONSECRATQVE.

PARISIIS,
Apud IOANNEM DV BRAY, viâ Iacobæâ, ſub Spicis Maturis.

M. DC. XXXVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

LICENTIA ROMANA.

IMPRIMATVR; ſi videbitur Reuerendiſſimo M. S. P.

A. Epiſcop. Vmbriaticenſis Viceſgerens.

Approbationes Romanæ.

HOC Opus, inſcriptum *Defenſio libri de Senſu Rerum*, ad R. P. Mag. Thoma Campanella Ord. Præd. ex mandato Reuer. P. M. S. P. attentè, & maiori, quâ potui, diligentiâ perlegi, nihilque reperi, quod Orthodoxæ Fidei, aut ſanæ Doctrinæ refragetur. Quinimò cùm genuimus ſit Autoris fœtus; vt maximum illius oſtendit in euertendis falſis, & probandis veris ingenium; ſic iucundiſſimum genium etiam atque etiam demonſtrat, vtpotè SS. Patribus apprimè conforme, & innumerâ authorum lectionem refertum. Ex quibus digniſſimum cenſeo, vt in lucem edatur: neque enim ſenſu debet carere, qui ſenſum omnibus impertit. Datum Romæ in Collegio S. Bonauenturæ, die 9. Feb. 1631.

Ità eſt. Fr. Franciſcus Antonius à ſancto Seuerino, Collegij Sancti Bonauenturæ Regens & Rector.

SEnſum Rebus ineſſe, vti non minùs ingenioſè, quam eruditè defenditur in præſenti, S. Scripturæ ſenſum exiſtimo; atque ideò Opuſculum hoc dogmatibus Fidei, ac moribus conuenire. Datum Romæ in Conuentu S. Syluestri, die 5. Maij 1631.

Ego D. Laurentius Gauottus, Cler. Regul. Theologus.

Approbatio & Licentia Pariſienſis.

VIdi ego Fr. Antonius Mallet, Doctor Pariſienſis, & Vicarius Generalis Congregationis Gallicanæ, Ord. Prædic. approbóq; hoc Opus tanquam vtiliſſimum Fidei Chriſtianæ: Et non modo nihil abhorrens à bonis moribus, & veritate Chriſtianâ, ſed maximè conſonum. Proptereà etiam de more facultatem & licentiam do vt imprimatur, & publicetur. Pariſiis in Collegio S. Iacobi, die 24. Ianuarij 1636.

Fr. Antonius Mallet, qui ſuprà.

BF
231
D18
1637
RB
MH1

EMINENTISSIMO D.D. Cardinali Duci RICHELIÆIO, PARI FRANCIÆ, SVMMO GALLIARVM THALASSIARCHÆ.

COMMENTARIOS de Senſu Rerum & Magiâ, ante me Autorem ipſorum, in lucem editos: in quibus Mundum eſſe Dei ſtatuam viuam, non mortuam; & totum, & ſingulas partes SENSV *prȩditas, quantus toti & partibus, ad ſui ipſarum conſeruationem, & conſpirationem requiritur; homineſque atque bruta intra ventrem Mundi, inſtar vermium in noſtro ventre, qui noſtrum* SENSVM, *& vitam, & fortunam non percipiunt, habitare, nuper oſtendimus: cum*

oporteret illos, poſtquàm in lucem Autor exijt numinis vi, inſtaurare, defenderéque contra ſtupidos rerum inſpectores, imperitóſque iudices. [Id quod fecimus ex duplici Dei codice, videlicet, Rerum Naturâ, & S. Scripturâ, eorúmque interpretibus, hoc eſt, Theologis, & Philoſophis omnibus, exceptis ijs, qui Deum eſſe negant; ideoque vitam ſuæ ſtatuæ non agnoſcunt]; ac proinde armatos in publicum emittere, non niſi ſub tuis Auſpiciis, Eminentiſſime Princeps, *cuius ſub tutelâ abſque timore ſto, quaſi prodromum* 30. *Librorum Theologiæ Vniuerſalis, per omnes Terrarum Sectas incedentis, Tibi nuncupandorum, commoditatémque exeundi præſtolantium, promulgari volo. Etenim tu penè ſolus mihi videris in Mundo, non vt vermis, ſed vt aliger verſari, non communis, ſed Angelicus Ales. In hunc enim nata eſt Natura hominis generoſi etiam conuerti, inſtar ſerici vermis in papilionem. Vnde Poëtarum Poëta Italus canit.*

Purg. Cant. 10.

Non v'accorgete voi, che noi ſiam vermi,
Nati à formar l'Angelica Farfalla;
Che vola à la giuſtitia ſenza ſchermi?

In hanc mirificam Pyrauſtam lucis amicam multos conuerti libenter videmus, quicunque naturæ noſtræ ſublimitatem non negligimus. At te inſuper in idem, non ſimplex; ſed in ſacrum Ezechielis Animal, quatriceps, alatum, plenum oculis ante & retrò; imò & æqualiter auritum, totus Mundus admiratur. Es enim Leo ſacer ad militiam; vnde Fato diceris ARMANDVS; *Homo ad prudentiam vnde* Ioannes; *Bos ad populorum locuples alimentum; vnde* RICHELIÆIVS; *Aquila, ad occultorum & ſupernorum contemplationem; vnde* PLEXEVS, *à* Πληξαύρη, *Oceani Filia: ex quo Aquila, aliæque*

Aues, teſte Moyſe, ortum habent. Quidquid enim in Solo, & Salo, Phyſici, & ſacri, & politici, & inſuper ætherii Mundi, fit, tuos oculos innumeros, auréſque totidem tuas non effugit. Europa non ſufficit obtutibus Admirabilis RICHELIÆI, *dum inferiora tractas; Africa, & Aſia, & America ingenio & negotio tuo ſubſunt. Felix Galliæ Regnum, cui tantum Ioſephum dedit Deus! Felix Rex, cui tantum Achatem! Ex Regno diuiſo, dilacerato, nidis impiorum & rebellium pleno, feciſti prudentia tuâ mirifica, Regiſque Piiſsimi, ac Fortiſsimi virtute, Regnum vnitum, bonorum domicilium, ſceleſtorum formidinem, Chriſtianæ Eccleſiæ tutum propugnaculum, Muſarum refugium. Vnde bene conſpicimus* TE *totius* SENTIENTIS *Mundi Epilogum non vulgarem, arcanum* SENSVM *Totius agnouiſſe, & hauſiſſe. Spiritum quidem vitæ eſſe in Rotis elementaribus priuſquam in ciuilibus, Hieron. cum Origene declarauerat. Quapropter Opuſculum hoc de vitâ,* SENSVQVE RERVM, *ſublime quidem, etſi non ſublimiter ſcriptum, Tuâ* Sublimitate, *puto non indignum. Rogo, intuere, vt tuearis, teſtimonium obſeruantiæ meæ erga* EMINENTIAM T. & EMINENTIÆ T. *ſynopſim & ſymbolum; ad quam Rerum Opifex, & Gubernator, Vita, Salus, & Artifex ſapientiſſimus Rerum, ſeruatum de faucibus Orci poſt 30. annos atrociſſimæ perſecutionis, propter Amorem Gallorum, non quà Galli, ſed quà Liberatores Orbis; me tranſmiſit non fruſtrà: ſi, quæ per vilia inſtrumenta ſolet facere Deus, quò ab illo, non à nobis agnoſcantur, conſiderare mihi dignabere. Obſecro, ô* Magnanime, *dum tuorum Oculorum alij vigilant, alij dormiunt, ſuper ſeruum tuum non dor-*

miant omnes: ne quis deceptor, aut deceptus Mercurius, meum extinguat, ſicut incœpere, præſidium. Idcircò vno Aquilæ tuę, quæſo, alteróque myſtici Hominis tui, non Argi fabuloſi, oculo, aſcendens ad cor altum, in quo exaltatur Deus, & vbi Excelſus Dominus humilia reſpicit; me ſeruum non vulgari iuſtitia, ſed Heroïca conſpice Magnanimitate affluenti, vt Deus; non improperanti vnquam, vt homo. Quare dicunt iterùm in Gentibus? vbi eſt refugium eius? *Et quare pro libertate Chriſtiani Orbis, abs Tè ſedulò procuratâ, dum oro, laboróque, quaſi nondum tutus tuis ſub Alis, mihimet dicere cogar:* Quare triſtis es, anima mea, & quare conturbas me? *Vnico intuitu, ſi volueris, nubila mea ſerenabis. Agnoſcat Mundus, non ſine Re imploratum, quaſi vacuum Nomen* RICHELIEV; *nec decurtatæ copiæ vas; ſed omnium donorum plenitudine, myſtici Vituli tui ope exuberans Muſæ præclariores agnitum per ſæcula teſtificentur; Et Ciuitas ſolis, per me delineata, ac per Te ædificanda, perpetuo fulgore nunquam eclipſato, abs Tua* EMINENTIA *ſplendeſcat ſemper.*

F. T. CAMPANELLA.

INDEX CAPITVM HORVM QVATVOR LIBRORVM
DE SENSV RERVM.
LIBER PRIMVS.
CAPVT I.

QVICQVID eſt in effectibus, eſſe & in cauſis; ideoque Elementa ac Mundum ſentire.

2 *Argumenta nulla contra primam propoſitionem militare.*

3 *Perperam à Lucretio ſenſum rebus auferri, peius à Galeno; & quid hác de re Sapientiores ſenſerint.*

4 *Senſum eſſe perceptionem paſsionis cum diſcurſu rei exiſtentis actu, & non potentiæ puræ informationem; eiuſque differentia.*

5 *Ex actionibus, paſsionibuſque Entium, omnia ſentire oſtenditur, ac ſine ſenſu Mundum eſſe chaos, nec generationem, nec corruptionem fieri.*

6 *Rerum operationes, in quibus ipſarum manifeſtatur ſenſus, non à Deo, nec ab Angelis, nec ab Anima Mundi, nec ab intellectu agente, vt alij opinantur; ſed ab ipſis formis naturalibus: at non ſine Deo fieri.*

7 *Inſtinctum eſſe impulſum ſentientis Naturæ, & qui inſtinctu res agi ponunt, ſenſu ponant oportere.*

8 *Quæcunque accidentia ab inſtinctu fiunt, effectus eſſe ſenſus partium, totiuſque Mundi.*

APPENDIX DE MAGNETE.

9 *Cuncta Entia abhorrere vacuum, ergo ſentire, mutuoque gaudere contactu: Mundumque animal eſſe.*

10 *Dari vacuum violenter, non naturaliter, & ſenſum rerum comprobari contra Ariſtot. vtrinque.*

11 *Omnem naturam ſentire, ſi vacuum prohibet, contra Peripateticos.*

12 *Spatio ſenſum attractiuum ineſſe, ac potius à rebus amari quam odio haberi.*

13 *Mundum eſſe animal mortale, & quid extra ipſum eſſe queat.*

LIBER SECVNDVS.

Cap. 1. *Quæ & quomodo dicenda remanent.*

2 *De Senſu materiei.*

3 *Neque animam neque ſenſum, neque formam vllam de materiæ ſinu educi, ſed ab agentibus effundi cauſis.*

4 *Ex fabrica & origine animalis, Animam eſſe ſpiritum tenuem, calidum, mobilem, aptum pati, proptereaque ſentire.*

5 *Spontaneas generationes, earumque euentus idem oſtendere.*

6 *Stulte Ariſtotelem generantis motioni, Animæ productionem & corporis fabricam committere.*

7 *Mortem, aliaſque paſſiones animalis idem declarare.*

8 *Entia omnia ab igne motum habere, animamque motiuam eſſe ſpiritum calidum.*

9 *Eundem ſpiritum eſſe animam cognoſcentem, iraſcibilem, & concupiſcibilem, & motricem contra Galenum.*

10 *Ex concoctione, nutritione, augmento & decremento. ſpiritum eſſe animam: operarique vt principale agens; nec poſſe ab anima regi, niſi ipſe ſentiat præceptum.*

11 *Diuerſos modos ſentiendi, ſignificandique oſtendere vnicum ſenſum in omni re.*

12 *Omnes ſenſus eſſe tactus: at ſenſoria, & ſentiendi modos differre.*

13 *Oſſa, pilos, neruos, ſanguinem & ſpiritum, omnes ſentire, contra Ariſtot.*

14 *Poſitio Ariſtotelicorum de ſenſu, ſenſoriis, & ſenſatione.*

15 *Non fieri ſenſationem informatione; nec perfectiua tantum paſſione, nec extare ſenſum agentem, nec ſenſum eſſe puram potentiam incorpoream; ſed Ens paſſibile, quæ non eſt; & ſentire mutatione modica & argumento.*

16 *Si ſenſus eſſet potentia paſſiua incorporea, indiuiſibilis, non poſſet niſi ſemel ſentire; nec multa, nec contraria ſimul, nec ſimulacra eorum, ſed corpori tenui mobilique hæc omnia conuenire.*

17 *In diuerſis ſenſoriis non potentias diuerſas informatrices, ſed vnum eundem ſpiritum corporeum ſentire & conferre obiecta quia idem obambulat omnia organa: & non dari ſenſum communem, vt Ariſt. ſcribit.*

18 *Animam non eſſe corporis formam, ſed dominam & accolam: excepta mente humana.*

19 *Peripateticos ex vna anima indiuiſibili plures partes efficere, aut animas aut facultates differentes.*

20 *Memoriam in ſentiente ſpiritu reponendam, eundemque ſentire & recordari.*

21 *Eandem animam ſentientem & memoratiuam eſſe imaginatiuam, & diſcurſiuam.*

22 *Senſum, intellectumque Ariſtoteli notum, eſſe idem; & vniuerſale ab vtriſque & particulare cognoſci, nec vlla ratione Ariſtoteli ponendum eſſe intellectum incorporeum ſeparatum & immortalem.*

23 *Eſſe in brutis ſenſum, memoriam, diſciplinam, diſcurſum & intellectum vniuerſalis, ſed non diuinorum, ſicut in homine: qui præſtat eis etiam in omnibus actibus & quare.*

24 *De anima humana ſententiæ variæ.*

25 *De immortalitate ac diuinitate hominis, eiuſque ſummo bono.*

26 *Præparatio ad immortalitatem animi lucidandam. Omnia Entia eſſe, & operari tanquam inſtrumenta Primæ Sapientiæ, Summumque bonum eſſe in æternitatem conſeruari, omniaque hoc appetere, & ſuo conſequi modo.*

27 *Ex imitatione Auctoris naturæ, cognoſcitur homo illi con-*

uenire.

Cap. 28. Reſpondetur Pythagoricis, aliiſque opinantibus de anima humana,

29 *Reſponſio & Epilogus operationum demonſtrantium hominis immortalitatem ac diuinitatem.*

30 *Senſum eſſe cognitionem veram abditam vel additam, memoriam, languidam, diſcurſum, extraneam intelligentiam, remotam; omneſque communes eſſe menti humanæ ac ſpiritui, ipſamque huius eſſe formam & immortalem. Reſpondeturque argumentis præcedentibus contra eius immortalitatem.*

31 *De obliuione & deceptione mentis, & vitiis & virtutibus & Phyſionomia.*

32 *Num anima mundi exiſtat.*

LIBER TERTIVS.

Cap. 1. Cælum, ſtellaſque ignis natura conſtare ac ſentire.

1 *Cælum, ſtellaſque motu regulari, irregularique à propria, virtute ſenſitiua conſeruationis propriæ gratia ferri omnes ſingulaſque.*

3 *Cælum propria virtute moueri, ſtellaſque à ſeipſis intra cælum, ac fortaſſe Angelicas mentes illis inditas eſſe ad actus &c.*

4 *De ſtellarum ſenſu, & Accolis earum, & cur celantur à nobis.*

5 *De ſenſu lucis & ignis & tenebrarum & frigoris & terræ.*

6 *De ſenſu Aëris & Ventorum, ſenſui ſpiritus animalis conſimili.*

7 *Aërem eſſe Spiritum communem, & deferre ſcientiam Spirituum animalibus incluſorum ab altero in alterum.*

8 *De Prophetia animalium & hominum, & ex differentia, hominis diuinitatem agnoſci.*

9 *Aërem affici rebus præſentibus futuriſque atque nobis communicare.*

10 *De ſagacitate Melancholicorum purorum & impurorum; & de dæmonoplexia, & conſenſu aëris nobiſcum.*

11 *Prophetiam naturalem in ſpiritu, ſupernaturalem in mente*

fieri, & perperam ab Ariſtotele & Galeno confundi, & de Sybillis & Pythoniſsis.

12 *Omnes aquas, liquoreſque ſentire, & de Sympathia & Antipathia ipſorum.*

13 *De ſenſu lapidum & metallorum, & de amicitia & odio.*

14 *De plantarum ſenſu, ſympathia, & antipathia mutua, & alias ad res.*

Appendix de Remora detinente nauim.

LIBER QVARTVS, QVI EST De Magia.

Cap. 1. *De Magia in communi, eiuſque diuiſione.*

2 *Ad Magiam cæleſtem requiri amicitiam Dei & fidem, & quomodo, & qualem, & in quibus, vnde miracula fiant ſupra naturam.*

3 *Miracula facta abſque Dei amicitia, non vere eſſe miracula, ſed naturalis Magiæ opera, aut Diaboli, aut aſtutiæ imperitos ludificantis.*

4 *Miracula circulatorum ludos eſſe aſtutia confictos multaque ſapientiam continere, & diſcrimen inter vera, apparentiaque miracula.*

5 *De Magia Diaboli ſilendum eſſe, & æmulam eſſe diuinæ, & naturæ viribus occultis inniti.*

Scientias, arteſque omnes naturali magiæ ſeruire, ſed quaſdam magis.

7 *De naturalibus affectibus, quos mouet Magus, vt perficiat opus ſuum.*

8 *Magia naturalis ad prolatandam & breuiandam vitam in vniuerſali.*

9 *In cadaueribus ſenſum reperiri, & de putredine.*

10 *In rebus diu conſumptis remanere ſenſum antecedentem & recentem; experimenta mirifica ad Magiam.*

11 *Non modo remanere ſenſum abſente aut conſumpto ſentiente, vnde deciditur: Sed etiam multiplicari & alia in ſe conuertere: comprobatur in morſu Appulæ araneæ, & canis rabidi, aperiturque mirabilis quædam latens Magia, nulli huc vſq; nota.*

12 *In lege lepræ Moyſen docere ſenſum affectumque communicari & multiplicari in res diſsimillimas & diſtantes, conſenſumque comprobare.*

13 *Vniuerſales Canones ad inueniendum introductionem & immutationem affectuum.*

14 *Canones. quibus animalia, plantæ & mineralia ad magicum vſum applicantur.*

15 *Ex oculis manare vim immutatiuam, & per conſenſum actiuam.*

16 *Mirificas apparentias arte fieri, vtente natura in viſione.*

Appendix de Lamiis.

17 *Sonos quâ motus & quâ ſigna vim magicam mirificam certamque continere.*

18 *Verba vim in abſentes res habere; ſed ſæpe dæmones doloſe interuenire.*

19 *Magia ad Generationem.*

Appendix de Generat. artificiali.

20 *Neceſſariam Mago optimo Aſtrologiam eſſe, & de eius virtute, veritate, & vſu.*

Epilogus de Senſu vniuerſi.

FINIS.

INDEX PARAGRAPHORVM Defenſionis Libri DE SENSV RERVM.

QVÆRITVR.

VTRVM S. literis, Fideique Catholicæ, conueniat, an repugnet, quod in Libro de SENSV RERVM ſcripſimus; Mundum corporeum non eſſe ſtatuam Dei mortuam, ſed viuam. Ac veluti à Diuina poteſtate potentiam eſſendi, & conſeruandi ſe, & à Diuino Amore amorem eſſendi & conſeruandi ſe, ita à Diuina Sapientia ſenſum eſſendi, & conſeruandi ſe, accepiſſe, & in elementis, & in elementaris rebus ineſſe; vnde animalium vitas, ſenſus, & effectus ſupra qualitates elementares, vulgò manifeſtas, panderemus; & an SS. Patres, & Philoſophi aliter ſenſerunt, aut ſentire potuerunt, pag. 1.

Primum Aſſertum ex Apoſtolo & Bern. p. 3.

Concluſio. p. ead.

Secundum Aſſertum ex D. Aug. & D. Thom. p. 4.

Obſeruatoria huius Aſſerti. p. 5.

Tertium Aſſertum ex D. Aug. p. 6.

Aſſertum quartum ex SS. Ang & Thoma. p. 5.

Aſſertum quintum, p. ead.

Concluſio principalis probanda ſeptifariam, p. ead.

Definitio ſenſus, p. 8.

Diſtinctio ſenſus, p. ead.

Prima Ratio pro SENSV RERVM ex Animatione Brutorum, p. ead.

Secunda Ratio, ex communis vſus in Animalibus, & elementis exercitio: 1. ex conſeruatione, p. 13.

Tertia Ratio ex animatorum cum elementis ſimilitudine in motu. p. 15.

Quarta Ratio ex generatione & corruptione.

Quinta Ratio ex fuga vacui, eius auerſatione. p. 17.

Sexta Ratio ex appetitiuo & poteſtatiuo, conceſſis, dari etiam ſenſitiuum in rebus, p. ead.

Septima Ratio ex perfectione, p. 18.

Octaua Ratio ex ſpontanea rerum diſtinctione per motum ſpontaneum, p. ead.
Nona inductiuè ex ſenſu elementatorum, & ſympathiâ & antipathia rerum, p. ead.
Ratio decima ex ſenſu principiorum actiuorum, p 20.
Concluſio, p. ead.
Secunda phalanx probationum ex autoritate Magnorum Philoſophorum, p, ead.
Concluſio, p. 27.
Tertia phalanx probationum ex argumentatione Theologica.
Prima probatio ex imagine, vel veſtigio S. Trin. in cunctis rebus, p. ea.
Secunda probatio ex trinis obiectis primalitatum, vnitis facultatibus. pag. 30.
Tertia probatio ex amore Entis, p. ead.
Quarta ex rerum Bonitate intrinſecùs amata, ergo prænota amantibus. Ergo &c. p. 32.
Quinta ex vitâ omnium communi & priuata, p. ead.
Sextum ex eo quod Mundus eſt Dei ſtatua & ſimulacrum. p. 33.
Ratio 7. ex teſtimonio Diuinitatis in rebus, & S. Theologiæ firmitate, p. ead.
Confirmatio argumenti ex eo, quod Deus eſt ita in omnibus potenter, ſapienter, & amoroſè, vt omnia videantur quibuſdam literatis Deus; ideoque oportere participium omnium primalitatum rebus concedere. p. 35.
Ratio octaua ex animatorum particularium ſenſu, iuxta S. Textum. p. 37.
Ratio 9. ex paſſione animaſtica morborum in pannis, & pellibus, & parietibus; quæ videntur non ſentire, & tamen naturaliter ſentire conuincuntur. p. 42.
Probatio 10. ex eo quod omnes creaturæ ſentiunt, amant, obediunt, laudant, benedicunt naturaliter, pro modulo quæque ſuo, Deum Creatorem & Gubernatorem iuxta ſenſum S. Scripturarum. p. 44.
Duæ oppoſitiones contra vim decimæ probationis, p. 46.
Reſponſio ad primam, p. ead.
Reſponſio ad ſecundam, p. 50.
Concluſio, p. 51.
Quarta phalanx Argumentorum, ex autoritate Theologorum, tam dogmaticorum, quàm ſcholaſticorum, expreſsè, vel per neceſſariam conſequentiam, rebus cunctis ſenſum ineſſe confitentium.
Ex Dionyſio Diuiniſſimo Apoſtoli Pauli diſcipulo, 52.
Ex Gregorio Theologo, p. 54.
Ex Magno Athanaſio, p. ead.
Ex Baſilio Magno, & Chryſoſt. p. 56.
Ex S. Ambroſio Doctorum primate, p. 57.

Ex S. Gregorio Nyſſeno, p. 58.
Ex Lactantio Firmiano, p. 59.
Ex S, Clemente, S. Pontifice R*omano. p.* 60.
Ex S. Irenæo Epiſcopo Lugdunenſ. p. ead.
Ex Clemente Alexandrino, p. 61.
Ex Euſebio Cæſarienſ. p. ead.
Ex Thoma Caiet. Card. p. 62.
Ex Adamantio Origene, p. 63.
Ex S. Aurelio Auguſtino Epiſcopo, Magno Eccleſiæ D*octore, p.* 66.
Ex S. Hieronymo, Presbytero Eccleſiæ Doctore, p. 69.
Ex D. Bonauentura, Ecceleſiæ Doctore Seraphico, p. 70.
Ex Durando Epiſcopo D*ominicano Doctore ſolidiſsimo, p.* 72.
Ex Ioan. Scoto Franciſcanæ Academiæ Principe, p. 73.
Ex B. Alberto Magno, S. Thomæ Præceptore, Philoſopho, & Theologo Eminent.
Ex S. Thoma Eccleſiæ Doctore Angelico, Magiſtro Academiæ Prædicatorum, p. 77.
Concluſio. 84.
Reſponſio ad argumenta principalia, p. ead.
Concluſio poſtrema Vniuerſalis, p. 92. *& vlt.*

Extraict du Priuilege du Roy.

PAr grace & Priuilege du Roy il eſt permis à Philippe Borello de faire imprimer, vendre & diſtribuer par tel Libraire ou Imprimeur, & en tel volume & charactere que bon luy ſemblera, le Liure intitulé *De SENSV RERVM, & MAGIA cum ſua Defenſione*, compoſé par le R.P. Campanella Stylenſ. de l'Ordre des F.F. Preſcheurs, & ce durant le temps de ſept ans entiers & conſecutifs, faiſant tres expreſſes defences à tous autres d'imprimer, ou faire imprimer, vendre ny debiter aucuns deſdits Liures pendant ledit temps, ſans l'expres conſentement dudit Borello, à peine de confiſcation de tous les exemplaires, & de trois mil liures d'amende; comme plus amplement eſt porté par les lettres dudit Priuilege. Donné à Paris le 20. Apuril 1636.

Par le Roy en ſon Conſeil.

Et plus bas.

DE-MONCEAVX.

TYPOGRAPHVS AD LECTOREM.

TObias Adami & Rodolphus à Bina Saxones peregrinantes per totam Europam, & oras Africæ & Aſiæ, ſcientiæ gratiâ, cùm ex peregrinatione Hieroſolymit. veniſſent in anno 1613. Neapolim; vbi Autor detinebatur arcta cuſtodiâ, omnes eius Libros ab amicis comparauerunt; quemadmodum fecerat Scioppius in anno 1608. & multi alij Germani & Galli: qui tamen pro Autoris gloria nihil fecere, niſi Scioppius pro vita in principio: neque Libros impreſſere, ſicut promittebant: ſed Libros proprios doctrina Auctoris adornauere. Solus hic Tobias promiſſis ſtetit; & in Saxonia ſcholam iuxta Philoſophiam Autoris erexit, depulſis è Cathedra aliis Philoſophis Gentilibus; & inſuper alios Libros typis mãdauerunt: inter quos fuit iſte de Senſu Rerum, quem mirabiliter laudauit in Epiſtola dedicatoria, ac Autoris ingenium in rebus inueſtigandis, laborem & candorem in examinandis aliorum dictis, & fortitudinem in tolerandis diuturnis atrociſſimíſque malis. Cum quo etiam tractauit de inſtauranda Religione, ſicut apparet in Epiſtola Autoris ad Principes & Philoſophos Vltramontanos. Ne autem probitas, eruditio, ſcientia, & fidelitas Tobiæ, dum recuduntur Libri ſine Epiſtolis eiuſdem, obliuione obſcurarentur, placuit Autori per Typographum memoriam illius forſan Germanico bello conſumpti, gratitudinis ergò hic conſeruare.

THOMÆ CAMPANELLÆ ORD. PRÆD.

DEFENSIO LIBRI SVI DE SENSV RERVM.

QVÆRITVR,

Vtrum ſacris literis, fidéique Catholicæ, conueniat, an repugnet, quod in libro de Senſu Rerum ſcripſimus; Mundum corporeum non eſſe ſtatuam Dei mortuam, ſed viuam. Ac veluti à diuina poteſtate potentiam eſſendi & conſeruandi ſe, & à diuino Amore amorem eſſendi & conſeruandi ſe, ita à diuina ſapientia ſenſum eſſendi, & conſeruandi ſe, accepiſſe, & in elementis, & in elementatis rebus ineſſe; vnde animalium vitas, ſenſus, & effectus ſupra qualitates elementares, vulgò manifeſtas, panderemus; & an ſancti Patres, & Philoſophi aliter ſenſerunt, aut ſentire potuerunt.

1. VIDETVR, quod non. Hoc enim factum eſt, vt animalium generatio aſſignaretur; ſed Philoſophi veteres ex non ſenſatis elementis rité aſſignant animalium generationem: præſertim Democritus, Epicurus Empedocles, Galenus, Hippocrates, Plato, Heraclitus, Diogenes, Auicenna, Varro, Orphæus, Heſiodus, Plinius, & alij.

Secundò. Nullus Theologorum videtur hanc ſententiam tenuiſſe : ſed omnes vocant elementa inſenſata; animas verò à Deo producunt, vel ex ſemine.

Tertiò. Eccleſiaſticus cap 16. loquens de Elementis, cæteriſque corporibus, eorúmque motibus. In omnibus, ait, his inſenſatum eſt cor; ergo non ſentiunt.

Quartò. Contrà Thaletem, iſtius opinionis aſſertorem, arguit Ariſt. in 1. de Anim. text. 86. Si ſenſus & anima in aëre, & in igne eſt: cur non facit in eis animal, in miſtis autem facit: cum præſertim melior in illis eſſe videatur?

Quintò addit: Quam ob cauſam melior, & immortalior anima, quæ eſt in aëre, quàm quæ in animalibus.

Sextò: Accidit vtrinque irrationabile inconueniens: Etenim dicere animal ignem, inconueniens eſt.

Septimò: Totum cum parte eiuſdem ſpeciei eſt proptereáque anima eſt in Elementis per nos, & in elementatis. At ergo & anima eſt partium eiuſdem ſpeciei ſicut Aër cum partibus ſuis, ſiquidem huius portio eſt. Anima ergo ſi partes animæ non ſunt ſimiles, hoc quidem aliquid ipſius inerit, aliud autem non inerit: neceſſe ergo eſt, aut ipſam ſimilium eſſe partium, aut non ineſſe in qualibet parte totius.

Octauò: Nil differrent mortua à viuis, animata ab inanimatis.

Nonò. Et Hieron. Hæreticos omnia entia vocaſſe animalia per errorem, dicit in 8. Matth.

Decimò: Videmus multa non ſentire in nobis, vt pilos, vngues, oſſa, & neruos: idem de lapidibus, & planetis, & conſimilibus exiſtimare oportet, vel iſta ſufficiunt ad opinionem infringendam.

Vndecimò: Nec operationes ſenſatæ ſenſum rerum oſtendunt. Nam & ratio in omnium rerum formatione, & operatione propter finem, reperitur: nec propterea ſunt rationalia bruta, plantæ, aranea.

Duodecimò: Præterea ſenſus ſuſcipit ſpecies ſine materia: ergo non ſentiunt, ſed tendunt ad finem, ſicut ſagitta à ſagittario, non à ſe ducta. Sic cuncta à Deo.

Decimò tertiò. Præterea ſacri Cenſores dubitauerunt de hac ſententia, & quidam ex illis acutiùs cogitans poſteà conceſſit res quaſi ſentire, & pro ſentire, non autem ſentire ergo, &c.

SED contrà eſt tota rerum natura, & ſacra ſcriptura, & Philoſophi meliores & Theologi primarij, expreſsè, vel ex neceſſaria conſequentia, ſenſum rerum confitentes & demonſtrantes, iuxtà illud, Deus cui omnia viuunt, Et Eccleſ. 42. Omnia hæc viuunt, & in neceſſitate obediũt ei, &c. & benedicunt omnia opera Domini Domino; in Deo enim viuimus, mouemur, & ſumus nos & omnia: & propterea poſſunt eſſe, & amant eſſe, & ſentiunt eſſe, participio Dei deco-

coratæ qui Eccleſ. 1. *effudit ſapientiam ſuper omnia opera ſua.*

Ad hoc autem explorandum neceſſe eſt, fundamenta certáque ac infallibiles aſſertiones ex ſac. literis, & diuinis Patribus præiactare: vt valor probationum, & certitudo dogmatis ita eluceſcat, vt & iis, qui bono Zelo, & iis, qui inuido in contrariam arripiuntur ſententiam, vt æquum eſt, omninò ſatisfiat, ſatis erit igitur.

PRIMVM ASSERTVM, Ex Apoſtolo, & Bernardo.

DEfinire, an aliqua Phyſica propoſitio conueniat ſacris literis aut diſcordet, non poteſt qui zelum habet ſine ſcientia, vt docet Apoſt. Rom. propter hoc enim Iudęi, & Gentiles perſequuntur Chriſtum & S. Auguſtinus eos, qui dicebant extare Antipodas: & in Nationali Concilio damnatus eſt Epiſcopus Saliſberiæ, qui dicebat extare contra Auguſt. At nunc Chriſtophori Columbi experimentum condemnatores eius condemnat. Nec definire poteſt qui habet ſcientiam ſine zelo, vt S. Bernard. in Apol. iterum ex Apoſt. docet. Nam Theophylus Alexandriæ Patriarcha Doctiſſimus vnà cum Antropophormitis condemnauit Origenem propterea quod dixit Deũ eſſe incorporeum, condeſcendens monachis ignorantibus contra propriam conſcientiam, expertem zeli. Similiter Aaron defectu zeli condeſcendit idolatriæ vituli, timens populum; & Salomon idolatrię concubinarum, ne diſplliceret eis; & Adam Euæ, vt probat Auguſt. & Anſelmus. Nec enim (ait Paulus) deceptus eſt Adam per ignorantiam: ſimiliter nec Aaron, nec Salomon, ſed Zeli flaccitate.

Concluſio.

QVapropter qui non ſunt verſatiſſimi in omni Philoſophia, & in ſacris Scripturis, & in vtriuſque arcanis, Zelóque veritatis feruidi, non debent definire, vtrum detur ſenſus naturalis cunctis in rebus, an non; cum hoc ſit non debilis momenti.

SECVNDVM ASSERTVM, *Ex D. Auguſtino & D. Thoma.*

QVandocúmque Philoſophi aliquid ſe demonſtraſſe veracibus rationibus profitentur, non ſubitò à Chriſtianis refellendum eſt, tanquam ſ. literis contrarium, niſi vbi adhibitis omnibus gloſſis, & rationibus, & circumſtantiis, conſtiterit omninò eſſe ita contrarium, vt concordari non poſſit. Hoc docet Auguſt. in p. Geneſ. ad lit. c. 18. & 19. Non ſimus „ mente pueri ſed malitia, &c. & in rebus obſcuris ſi qua inde ſcripta „ etiam diuina legerimus quæ poſſint, ſalua fide Catholica, aliis, atque aliis parere ſententiis; in nullam earum nos præcipiti affirmatione „ ita proiiciamus, vt ſi fortè diligentius diſcuſſa veritas eam rectè labe- „ factauerit, corruamus. Et dat exemplum. Quidam, dicens, volunt iubente Deo, fiat lux, factam eſſe lucem corporalem, alij ſpiri- „ tualem, & tandem non eſt contra fidem, donec veritate certiſſima „ refellatur, quod ſi factum fuerit, non hoc habebat diuina ſcriptura, „ ſed hoc ſenſerat humana ignorantia. Mox tres regulas adducit.

Prima: ſi quid verum ratio certa demonſtrauerit: adhuc reſtat incertum vtrum ſacra Scriptura alium non minùs verum ſenſum habeat.

Secunda. Item ſi contextus Scripturæ aliquem vnum ſenſum cõtineri in textu demonſtrat: adhuc quærendum eſt, & non aſſerendum vtrum & omnem alium ſenſum excludit, & non admittit.

Tertia. Item ſi alium ſenſum poſſe textui adaptari inuenerimus: tunc incertum adhuc debet teneri quemnam eorum ſacra Scriptura determinatè contineat; vel putandum, vtrumque ſenſum contineri, ſi vtriſque circumſtantiæ ſuffragantur, aut non refragantur. Nam „ vt dicit lib. primo de Trinit. cap. vlt. Quotquot ſenſus in ſacra Scriptura poſſumus reperire, ſalua fide Catholica, acceptandi „ ſunt, vt pluribus exitibus hæreticos eludamus, & conuincamus. „ Item in 2. ſuper Geneſ. cap. 9. dicit de figura cœli ita affirmandum aut negandum, vt non repugnemus rationibus Philoſophorum diſputantium, nec ſacro textui. Rationem huius aſſerti aſſi- „ gnat in 1. lib. ſuper Gen. cap. 19. dicens. Plerumque enim accidit, vt aliquid de terra, de cœlo, de cæteris huius mundi elemen- „ tis de motu, de conuerſione, vel etiam de magnitudine, & interuallis „ ſiderum, de defectibus Solis, & Lunæ, de circuitibus annorum, & temporum, de naturis animalium, fructicum, & lapidum, & huiuſmodi „ cæteris, etiam non Chriſtianus ita nouerit, vt certiſſima ratione vel

experientia teneat. Turpe autem nimis, & pernicioſum eſt, ac maximè cauendum, vt Chriſtianum de his rebus, quaſi ſecundum Chriſtianas litteras loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, vt, quemadmodum dicitur, toto cœlo errare conſpiciens, riſum tenere vix poſſit, & non tantum moleſtum eſt, quod errans homo deridetur, ſed quod Auctores noſtri ab eis, qui foris ſunt, talia ſenſiſſe creduntur; & cum magno eorum exitio, de quorum ſalute ſatagimus, tanquam indocti reprehenduntur, atque reſpuuntur. Cùm enim quemquam Chriſtianorum de numero in ea re, quam optimè norint, & errare deprehenderint, & vanam ſententiam ſuam de noſtris libris aſſerere. quo pacto illis libris credituri ſunt de reſurrectione mortuorum, de ſpe vitę eternæ, & aliorum verorum dogmatum fidei - quando de his rebus, quas experiri, vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putauerint eſſe conſcriptos? Deinde addit, quod fallaces poſitiones ſuas leuiſſimis rationibus inuentas de libris ſacris probare conantur perniocioſiſſimè. Et paulò poſt quicquid, ait, ipſi Philoſophi de rerum natura veracibus documentis demonſtrare potuerint, oſtendamus, noſtris litteris non eſſe contrarium. Idem aſſertum recitatis omnibus Auguſtini verbis ponit D. Thomas in Opuſc. 9. princ. oſtendens, nullius philoſophorum ſententias, neque noſtras, ita nos debere defendere, tanquam de fide, ne ſimus ridiculi philoſophis, & incommodi intraturis ad fidem. & inueſtigantibus veritatem oneroſi.

Obſeruatoria huius aſſerti.

HVius aſſerti tanta fuit obſeruantia apud Doctores, quòd quamuis omnes Patres dicant eſſe hęreticam opinionem Ariſtotelis, quod Cœlum non ſit de quatuor elementis, veteraſcens, & periturum, vt Pſaltes docet, ſed de quinta eſſentia inalterabili; & Sol non ſit calidus pluſquam fornax, (vt dicitur Eccleſ. 43.) & Stellarum lympidæ flammæ (Sap. 18.) ſed omnis qualitatis elementaris expers iuxtà Peripat. ſententiam, contra quam quaſi contra hæreſim inuehitur Ambroſ. in 3. & 4. lib. Hexam. fultus ſcripturarum authoritatibus multis, & cùm eo Auguſt. Beda, Bernard. & omnes ferè Patres; tamen ipſam tenuere ſcholaſtici multi. (licet poſtea D. Thomas pp. q. 68. magis adhęreat contrarię ſententię Empedocleæ) ſimiliter S. Auguſt. in Enchirid. & D. Thomas in 2. contr. Gent. nihil fidei incommodare dicunt, vtrum cœli ſint animati vel inanimati anima informante, quamuis Pſaltes dicat, Fecit cœlos in intellectu, & Eccleſia: Cœli laudant & cœlorum virtutes; vnde Caiet. contendit, animata omninò eſſe. Similiter, Auguſt. in lib. 2. ſuper Geneſ. vtrum firmamentum cœli moueatur, vt quidam volunt vel non, vt alij. non vult determinare, prorsùs ſeruando regulam primam. Quam ſpernens quidam Vlyſſes

Albergard. nuperrimus cum irriſione Mathematicorũ, & Hæreticorũ, non eſt veritus determinare quod lux Lunæ nõ ſit à Sole, propterea quod dixit Moyſes, Fecit Deus duo luminaria. At oculatus Chryſoſt. quamuis Luna non ſit luminare, comparata ſyderibus longè maioribus, & de ſe lucentibus, dicitur (ait) luminare Moyſi loquenti ſecundum id, quod ſenſibiliter nobis de ipſa apparet, & recitatur à D. Tho. in 1. p. q. 70. art. 1. Item Auguſt. 2. ſuper Geneſ. c. 9. vtrum cœlum ſit Sphęricum, non vult determinare, quamuis S. Scriptura faciat planum, ſicut pellem extenſam, & multi antiquiores, vt Iuſtin. Procop. Chryſoſt. Method. & alij ſimiliter ita opinentur, & quoniam alibi dicitur, ſicut Cameram, Vnde videtur Sphæricum; ait, vtrumque retinendum donec ratio demonſtrauerit veritatem. Quapropter miror, quomodo homunculi moderni ſtatim determinant, tanquam de fide, quicquid ipſis videtur, & contra fidem, quicquid non placet, aut non intelligunt.

TERTIVM ASSERTVM EX D. Auguſt.

CVM multæ ſunt opiniones de eadem re, illa magis amplectenda eſt, cui plus fauent diuinæ litteræ; donec aliud certa conſtet demonſtratione, vt docet Auguſt. 1. lib. cap. vlt. ſuper Geneſ. cùm autem expreſsè vni opinioni fauent, & contrariam reſpuunt expreſsè, & neceſſaria conſequentia, tunc illa ſententia eſt tenenda, cui fauent, & cuius contrariæ refragantur, vbi tres regulas aſſignat.

„ Prima in tanta multitudine verorum intellectuum qui de paucis diuinorum librorum verbis eruuntur, & ſanctitate Cath. fidei muniuntur, eum potiſſimum deligamus, quem certum eſt, ſenſiſſe ſcriptorem quem legimus.

„ Secunda, ſi autem hoc latet, eum ſaltem quem circumſtantia ſcripturæ non impedit: & cùm ſana fide concordat.

„ Tertia, ſi ſacrę Scripturæ circumſtantia diſcuti non poteſt, eum ſolum quem fides ſana præſcribit. Aliud enim eſt neſcire, quid ſentit Author, & aliud à pietatis regula errare.

„ Quarta, ſi vtrumque videtur, perfectè ſe habet fructus legentis.

„ Quinta, ſi vtrumque vitari non poteſt, etiam ſi voluntas ſcriptoris incerta ſit, tene ſententiam ſanctæ fidei.

ASSERTVM QVARTVM, ex SS. Auguſt. & Thoma.

QVicunque opinionem falſam, vel deinde deprehenſam falſam, conati ſunt ex ſcripturis probare: aut determinauerunt eſſe de fide, quod non eſt de fide, pepererunt hæreticos centenos, & millenos irriſores fidei, iuxta primum S. Auguſtini, & S. Thomæ aſſertum. Imò Macchiauelliſtæ ex hac indiſcretione orti ſunt, nolo exempla adducere, ſufficit teſtimonium tantorum Doctorum.

ASSERTVM QVINTVM.

SI quis propter opinionem aliquam ſanctorum condemnat eos, qui aliter ſentiunt; & ſi non æqualiter, certè valde peccat; & facit hæreſes, & irriſores nobis. Nam damnatur contra fas Epiſcopus Saliſburgenſ. propter opinionem Auguſtini: & Origenes propter Monachorum Ægyptiorum, & Philaſtrij opinio de Chronologia damnat alias tanquam hæreticos, ruditer & indoctè, vt notat Sixtus Sen. ex Aug. vbi enim rationes ſunt contrariæ, & ſcriptura expreſsè non refragatur iuxta regulas ſupradictas, opinio non eſt damnanda vllo pacto.

Concluſio principalis probanda ſeptifariam.

HIS præiactatis, dico, quòd ſententia, quam in quatuor libris de ſenſu Rerum puto me demonſtraſſe, non modò probatur rationibus efficacibus, quibus reſponderi non poſſit, niſi valde ſophiſticè? 2. Sed etiam auctoritatibus philoſophorum. 3. Et Theologorum. 4. Et inſuper non modò non refragatur S. Scripturę explicitè qua ſola de causa poſſet explodi, vt docet Auguſtinus. 5. Sed nec implicitè vllo pacto fidem quatit, ſiue affirmetur, ſiue negetur & inſuperaddo. 6. Quod maximè ſuffragatur ſcripturis ſanctis, quæ abſque hac doctrina non poſſunt ad litteram declarari. 7. Imò à S. Scripturis commendatur, & fidei Catholicæ eſt valdè conſonans & Creatoris Maieſtati. Hæc concluſio habet ſeptem Capita probatur primum: cum definierimus, & diſtinxerimus ſenſum.

Definitio ſenſus.

SIcut vis ſenſitiua eſt perceptiua ſenſilium, ſic ſenſus eſt perceptio ſenſibilis obiecti per paſſionem illatam ab eo, datus entibus à Deo ad ſui ipſorum conſeruationem: non modò enim ſentire eſt pati, vti quidam dicunt, ſed inſuper paſſionis perceptio; multa enim patiuntur magis, vt vngues, & ſentiunt minus. Multaque patiuntur, minus, vt oculus, & ſpiritus vitæ, & ſentiunt magis. Manifeſtum eſt autem, quòd quę magis ſentiunt, mouentur magis ad conſequendum bonum à quo benè afficiuntur: vel fugiendum malum, à quo malè afficiuntur; idcirco ſenſus videtur præire appetitum, qui ſequela, aut fuga celebratur; & præiri à poteſtate, quæ recipit patiturvè. Cum igitur res omnes fugiant contrarium & ſectentur amicum, neceſſe eſt eſt quod ſentiant aliquo ſentiendi genere: alioquin res ſe ſe conſeruare non poſſent, propterea diſtinguo.

Diſtinctio ſenſus.

QVintuplex eſt ſenſus, alius naturalis, quo calor fugit frigus, & pugnat contra inimicum, & ſectatur amicum; & omne elementum tendit ad locum ſuum, & hic ſolo tactu conficitur (Alius eſt Vegetalis, qui addit guſtum, quo planta nutrimentum trahit bonum, & refutat malum, & ad inuicem habent amicitiam, vt Vites cum Vlmis, & Cucurbitæ cum aqua, & ferrum cum magnete: & inimicitiam, vt braſſicæ cùm vitibus, cœpe cum roſis: Cucurbita cum oleis. Alius ſenſus eſt animaliũ, quæ etiam à longè ſentiunt nõ ſolùm guſtu, & tactu, ſed auditu, aut odoratu, & viſu; ſolo odoratu ſentiunt echini Marini, Oſtrea, Conchilia, ſpongiæ: addunt auditum Talpæ & vermiculi multi: viſum verò perfectiora, & quæ ſentiũt retinentque ſpeciem ſenſilem non ſola paſſione, ſed & iudicio proprio. Alius eſt ſenſus rationalis, quo homines vtuntur perficientes perceptionem obiecti ſenſibilis ratiocinio de parte ad totum; ex modico enim igne calido omnes ignes calidos iudicat ſenſus humanus, non autem plantalis, niſi dum tangitur, & patitur, & à quo tangitur. De hoc ſenſu dicit Salomon Terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Alius ſenſus Angelicus intellectiuus vnico intuitu omnia percipiens naturalia. Alius diuinus, fons iſtorum omnium: qui ſapientia dicitur à ſapore intrinſecè percepto, quoniam nominamus diuina ab humanis, & Deus intra ſe nouit omnia, non aliundè percepit; & de hoc dixit Apoſtolus; *quis nouit ſenſum Domini*? & Clemens Romanus vocat ſenſum vitam & Rationem, & Verbum. Auguſt. etiam Artem:

Athanaſius

Athanaſius Logos, Sermonem, &c. D. Thomas, & æternam Legem: & Eccleſia, Lumen de lumine.

Diſtinctio Concluſionis.

QVA propter omne ens habens naturam dico ſentire aliquo iſtorum ſenſu, ſicut dicit Eccleſiaſt. 1. [*Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis,*] quoniam à Verbo, quod eſt ſapientia genita conſubſtantialis Deo, deriuatur omnis ſapientia creaturarum, vt à fonte, ſicut dixi, vnde ſubdit [*ipſe creauit eam in Spiritu ſancto*] quoniam ſapientia effuſa, eſt voluntariè creata; Spiritus .n. amor eſt [*Vidit dinumerauit, & menſus eſt*] quoniam ſingulis rebus participium illius fecit. Vnde ſubdit [*Effundit illam ſuper omnia opera ſua*] hic eſt ſenſus naturalis (*& ſuper omnem carnem*) hic eſt ſenſus animalis, (*& præbuit illam diligentibus ſe*) hic eſt ſenſus rationalis, intellectualiſque Hominum, & Angelorum, colentium Deum dilectione ac intellectione. Aliæ enim creaturæ non item, niſi valde exiliter, & naturaliter. Vnde D. Auguſt. 1. in Geneſ. ſuper illud, *Fiat lux,* dicit triplicem lucem intelligi, corporalem, quâ Sol, & corpora lucida ornãtur; ſenſualem, qua bruta animantur; & rationalem, qua conſtant Angeli, & Homines. Conſimilia prior dixit Origenes. & quoniam, vt ait S. Thomas q. 25. de ſenſuali art. 1. diuiditur appetitus, ſicuti ſenſus, in naturalem, animalem, & rationalem, vtque mox docet in 3. d. 26. 2. authore Dionyſ. in ordinibus rerum, infimum ſuperioris attingit ſupremum inferioris; conſequens eſt, quòd Naturalis ſenſus ſapit animalem, & animalis rationalem, & omnes vno nomine vocantur ſenſus tam in Deo fontaliter, quàm in creaturis participatiuè; proptereáque paſſim in ſequenti ſermone videbimus, Patres dare Naturæ ſenſum; ſenſui rationem ex participio: & è contrà Rationi ſenſum, & ſenſui naturam, ſe inferiorem ex eminentia. Hinc ad rationes procedamus quæ eſt prima phalanx probandi ſenſum.

PRIMA RATIO PRO SENSV rerum ex Animatione Brutorum.

OMNES Philoſophi, & Theologi fatentur Animalibus ineſſe ſenſum. Plantis verò concedit Pythagoras, Plato Alb. ac Nyphus, S. Baſil. Euſeb. & aliquando D. Thomas, cunctis verò naturalibus habentibus in ſe principium motus ineſſe ex ſequentibus liquidò conſtabit.

Principium inuentiuæ Philoſophiæ ab omnibus decantatum ſa-

pientibus, eſt illud Iob. *Nihil fit ſine cauſa*, propterea ſcire putamus cum cauſam rei cognoſcimus, & principia, & primalitates, vt dixit Ariſt. 1. poſteriorum. Hoc autem ideò facimus, quoniam & illud Axioma veriſſimum eſt. *Nemo dat quod non habet*, non ſolum à Philoſophis, ſed etiam S. Pontificum decretis Damaſi, & Vrb. II. confirmatum, igitur quidditatem, virtutes, & operationes ex cauſis venamur, & hoc negato Axiomate, non poſſumus amplius ſyllogizare, nec philoſophari, nullâque ſcientia ſtabit, rei naturam pandens diceret enim qui hæc negat, ignem non eſſe calidum, quamuis calorem effundat, & det. Nec lucem candidam, ſed tenebricoſam, licet candorem edat, nec Deum eſſe viuum, & bonum, & ens, quamuis dat vitam bonitatem, & eſſe. Nec actio, qua res fiunt, erit effuſio ſimilitudinis propriæ, ſiue naturalis vt calor calorem facit, ſiue idealis, vt ſcriptor ſcripturam, propterea oſtendimus in q. de ſubſtantia cœli, nec Angelos, nec quamcunque creaturam non calidam, poſſe calefacere, niſi calore aliunde adhibito: vt euerteremus quod ſcioli aſſerunt cœleſtia non habent calorem formaliter, ſed virtualiter, at calefaciunt formaliter. Nec enim virtus caloris eſt niſi in calore, vel ipſe calor: nec Angeli niſi in Angelo: nec frigefaciendi per ſe, niſi in frigore. Alioquin res omnes facerent miracula, quæ Deus facit (vt probat S. Thomas) dicere poſſemus & omnia ex omnibus fieri, per diſtinctionem formaliter, & virtualiter. Deus autem ſolus abſque igne delato poteſt, ignire, quoniam non modò ignis, ſed omnis entis habet in ſe eſſentiam fontaliter, & eſt eſſe omnium cauſaliter, & ſupereminenter; & ideò frigefacit abſque frigore aliunde adhibito: calefacit, facit homines, arbores, &c. Cætera autem entia limitatum habent eſſe, vltra quod non ſunt, nec cauſant; propterea frigus ſolum frigefacit, & non calefacit, nec arboreſcit, nec &c.

Sed Animalia ſentientia ſunt manifeſtè: & fiunt ex elementis in Terra, in Aquis, in aëre, in fluminibus, in ſtercoribus, & vbique, ergo elementa ſenſu prædita ſunt, niſi dent quod non habent. nec enim iuſſiſſet Deus, producat Terra animam viuentem, & Aquæ piſces, & volatilia, ex nihilo. (Præterea nihil eſt in elementatis intrinſecus, quod non ſit in elementis, vt Gal. probat, & Ariſt. excepto mixtionis modo, qui eſt forma mixti, reſpondens ideæ & cauſanti, vnà cum elementis. igitur ſi ſenſus in animalibus, ergo, & in elementis, naturaliter, non electione ſe ipſa communicantibus. Præterea manifeſtè habent Animalia calorem, vim motiuam, corporeitatem, cæteráſque qualitates ab elementis, licet non eodem modo, & gradu; quia ibi ſimpliciter, hic mixtim: ergo, & vim ſenſitiuam. Niſi aſſignetur huius extrinſeca cauſa; quod non poteſt, tum propter ſequentes; tum propter hoc, quod elementa ſe ſe mouent ex ſe ad fugiendum, & conſequendum; & non ſicut ſagitta violenter; aut prædeſtinatus, ſupernaturaliter, ſed ab intrinſeco principio ac ſpontè. igitur ſentiunt quod

faciunt,& appetunt,vt philoſophiſatentur,ac mox probabitur,igitur, &c. At quoniam quæ fiunt ex eiſdem cauſis,non electione, ſed naturaliter agentibus,habent eamdem naturam, vt quæ calefiunt ab igne omnia ſunt calida, & qui generantur ex homine, ſunt homines omnes,& quæ fiunt ex Terra,omnia terrenam naturam habent,ſed magis,& minùs, prout magis, & minùs eius participant vires, & ſubſtantiam, ſed elementa omnia, quæ animalia non ſunt, fiunt itidem ex elementis naturaliter agentibus, & ſe communicantibus vſquequaque effuſis viribus quantum poſſunt; igitur, & ſenſum communicant omnibus, & omnibus ineſt ſenſus,licet nobiſcum non cõmunicẽt in hoc,ita vt occultũ ſit,ſicut in omnib9 calefactis ineſt calor, licet nobis aliquãdo non ſentiatur,quia debilior noſtro eſt calore: aut diſſitus vt nõ cõmunicet.Forma autẽ eſt gradus & modus,nõ res alia.

At reſpondent quidam,quòd ſenſus non participatur ab elementis, ſed vel egreditur de ſinu, & potentia materiæ, vel ex harmonia mixtionis elementorum, vel eſt ipſa temperies,eleuata ad puritatem, vel datur à cœlo,vel à motu cœli,vel ab Angelis per motum, vel ab Anima mundi,vel à Deo ex nihilo,vel de ſui ſubſtantia.

Primum reſponſum reprobat D. Auguſtinus, & Thomas, & Patres inferiùs allegandi,& nos in Metaph. & in quæſt.de materia,tum quia materia, eſt ſtupidiſſima, & inſenſata:nec poteſt dare ſenſum & animam,quæ excedunt omnes elementorum facultates,vt Scotus, & Caiet. & Auguſtinus, & Patres oſtendunt. Tum quia materia ipſa non poteſt conuerti in formam; tum quia potentia materiæ eſt receptiua,ſi quis det,non autem donatiua:& propterea S.Thomas reprobat,2.d.18.q.12.inchoationes formarũ ne dum latibulum: etenim materia ſine quantitate eſt punctũ,aut inane, vt dicit Ariſt. 1. de Gen. & Cor. T. 28. quod infinitas, & mirificas formas non poteſt in ſe habere ſimul,præſertim diuerſas,& contrarias, idcircò forma eſt quoddam diuinum Ariſt. participium: dans eſſe materiæ, non recipiens. Nec prima fiunt ex alterutris (ait Ariſt.) igitur nec forma ex materia. Sed ab arte Mundo incubante, vt ſic fiant res.

Quod non ſit anima ſenſúſque harmonia, probauit Ariſt in 1. de An. & D.Thom. & Lactant. & alij Philoſophi, & Patres: quoniam Anima præcedit tempore harmoniam elementationis, cum vis animaſtica organizet corpus, nec harmonia poteſt mouere, vt anima,ſed mouetur; nec extrà corpus porrigi poſſet vſque ad ſydera ſenſus animalis, nec ſentire alia obiecta,cum ſit ſolum relatio contemperatorum. Aliaque addit D. Thom. 2.cont. Gent.64.

Quod autem non ſit ſenſus,& anima, elementorum complexio,vel ex complexu, itidem commonſtratur: quoniam ipſa eſt quid altiùs omni corporea virtute, & omnibus qualitatibus elementaribus vulgò notis,vt probat S.Thomas 2.cont.62. & 63. Caiet. in Gen. 1. & Scot. 2. d. 18. & non poteſt eſſe niſi à Deo per meliorem participa-

tionem,vt dixit Auguſt. ex luce ſenſitiua, animarum brutalium materia, &c. propterea ſi elementa in ſua ſimplicitate, & robore non habent ſenſum, multò minùs habent dum miſcentur, niſi aliunde accipiant: dum enim miſcentur,caſtigantur, & conteruntur, & minuuntur, vnde potiùs perdere,quàm quid melius acquirere ex hoc poſſunt,vnde ſenſum dent,ſumma enim contemperatio ſolummodo æqualitatem virium dat, & diminutionem, non nouam virtutem, longéque minus poteſt dare maiorem, & diuiniorem, ſicut eſt anima. Idque omnes Patres docent, & Scholaſtici, & Ariſt. 1. de An. contra Emp. & Auer. ibi,dum obiurgat Alex. ita opinantem, & D. Thomas ibidem, & 2. cont. vbi ſuprà: & Plato, & alij Philoſophi mox citandi. Mixtio enim eſt elementorum alteratorum vnio (inquit Ariſt. Hipp.Emped.) & relatio, & diminutio, oportet igitur ſi ſentiunt animalia ab elementis contrahere ſenſum.

Qui autem à Cælo animam, ſenſúmque rebus animatis dari aſſeſerunt,apprimè falluntur,vt probat etiam S. Auguſt. 7. ſuper Gen. 12. Cœlum enim non poteſt creare animas de nihilo, nec de ſui ſubſtantia; non.n.deſcendit ab eo, niſi forſan impulſiuus motus, lux, & calor. motus autem nil producit,vt motus eſt,ſicut probat Durandus in 2.15.q.1.& 2.& 3. ſimiliter Teleſius, quoniam ſolummodò defert vim actiuam,& mouet localiter,lux autem, & calor à motu applicati,benè actiui ſunt,præſertim ad animationem brutorum, vt omnes Philoſophi, & Theologi, mox citandi fatentur, ergo habent vim ſenſitiuam, ſeu animaſticam, ſicut & Ariſt. in 2. & 3. de Gen. Anim. probat,& Albert.& Auer. ibi fatentur in Commentis, vnde in tribus elementis calorem ineſſe animatum volunt,vt mox dicemus, ſi ergo calor ſentit,ergo & frigus,& omnia corpora,atque elementa.

Alij dicunt corpora cœleſtia non propria virtute, ſed mouentium Angelorum,bruta animare,vt ſicut corporalis à corporibus cœli ita animalis virtus ab animabus cœli deriuetur. ſed hoc vt irrationabile deſtruit, Durand.ibidem & D.Thom.2.cont.99.docentes, quod Angeli non poſſunt dare ſenſum,& animam de ſui ſubſtantia, cum ſint impartibiles & incorruptibiles,neque motui aliquam virtutem influxam animaſticam affigunt, ſed ſolum modificationem per modum naturæ,vt ſic,& non aliter fiat; ſicut coquus non dat igni, vt poſſit calefacere,& aſſare carnes,ſed modificationem, vt ita calefaciat,quod aſſet,& non comburat. Neque poſſunt animas creare de nihilo. Ad hoc.n. requiritur virtus infinita,& fœcunditas omnis entitatis, quam dare habeant. Angeli autem propriam modò habent. Nec per motum communicant,niſi moderamen actiuis cauſis per motum certa ratione factum,vt illorum vires deferat certo modo ad certas res conſtituendas ex ſic concinnatis elementis, & materiebus & qualitatibus; propterea ſolummodò mouent ad ſenſitiuam formam.idemque prorſus, probat Alb. M. in ſumma de 4. coæuis, & in libro de Homine, &

D. Auguſt. in lib. 9. ſuper Gen. cap. 15, & in lib. 10. cap. 4. & in 3. de Trin. cap. 7. 8. & 9. quod nimirum Angeli ſe habent ſicut medici in productione ſanitatis, qui nihil de ſuo dant, ſed applicant pharmaca loco, & tempore, & modo, rationabiliter; aut ſicut Agricolæ in productione plantarum, & animalium, aliarúmque rerum, qui non dant animas, nec ſubſtantiam plantis, nec aliud quippiam; ſed applicant actiua paſſiuis, & mouent elementa agricolando ad plantarum, & animantium productionem & animationem, &c. ergò ſi elementa non habent in ſe ſenſum, nec recipiunt ab Angelis, niſi ſicut ab agricolis, & medicis, fruſtrà mouentur ad formam ſenſitiuam, nec unde participabilem. Mouere enim materiam, & corpora ad recipiendum ſenſum, non eſt dare ſenſum, ergo vel ineſt ipſis elementis ſeminaliter, vt doctè Aug. vel à Deo datur. Non à Deo: ergò ineſt ſeminalis vis ſenſitiua in elementis, quæ in ſpiritum conuertitur animalem, vt docet Aug. & propterea dixit Deus, *producat Terra animam viuentem*, vel *edat*, vel *eijciat*, vt dicit alius Textus, &, *producant Aquæ reptilia animæ viuentis*, ergò Terra, & Aqua in ſe habent ſenſum, vnde animæ brutorum, & plantarum, ſicut mox patebit ex omnium Doctorum conſenſu.

Porrò eiſdem rationibus confutantur Platonici, qui ab anima mundi ſenſum brutis deriuant, & Virgil. ab infuſa mente mundum agitante, & Auic. qui à colchodea, & Alex. qui interdum ab Intellectu agente. Nec enim de nihilo, nec de ſui ſubſtantia poſſunt animas creare, niſi corporeæ ſint, vt ſpiritus mundi Stoicorum quod nolunt. ergò, vt Aug. dicebat, ſolum operantur agricolando, & mouendo, donec ſenſus elementaris, quem vocat rationem ſeminalem, in ſpiritum vitæ coaleſcat.

Prætereà ſi brutorum animæ eſſent de animæ mundi ſubſtantia vel participatio, tunc omnis anima eſſet, ſicut illa, rationalis religioſa, & Beatificabilis. At verò ſicut vermes in capite, & ventre hominis naſcentes, non ſunt rationales, quia non de ſubſtantia animæ rationalis humanæ, ſed ſolum ſenſuales ſunt, quoniam de ſenſu communi fiunt, ſicut fiunt etiam de cadaueribus, quibus ineſt (ait Aug. ſeminaliter anima, id eſt ſenſus naturalis, ſic bruta putandum eſt non habere animam ab anima mundi, quam Euſeb. etiam, & Baſil. & Aug. ne dum Platonici concedunt; ſed à ſenſu elementari, promoto ad animationem, ſiue ab anima mundi, ſiue à natura alia promouente.

SECVNDA RATIO, EX COMMVNIS vſus in animalibus, & elementis exercitio: 1. ex conſeruatione.

AMplius quem vſum præſtat ſenſus animantibus, eundem vſum habent elementa: igitur, & conſimiliter ſenſum. Nam vt ſen-

tiant quæ nocent fugiántque; & ſentiant, quæ iuuant ſectentúrque, ſenſu donata ſunt animalia; ſed omnia elementa percipiunt nociua, & proficua: & ſentire neceſſe habent; etenim noxia fugiunt, aut oppugnant; proficua verò ſectantur; & niſi hoc facerent, à quocunque perdi ſe ſe permitterent, ergò pariter ſentiant oportet. Ignis enim contra Terram pugnat, quia ſibi contrariam ſentit, ſic Terra contra ignem, & omne contrarium in ſuum contrarium ſic calor, & frigus operantur, agunt in inuicem, patiuntur, fugiunt, ne lædantur; & ſi non poſſunt, concentrantur per Antiperiſtaſim, vt roborentur, & repugnare queant, vitámque tueri. Inimica fugiunt, ſectantur amica: ecquid amplius animalia in naturalibus operantur? Nonne vt pariter ſeruentur pariter eadem ſenſu duæ faciunt?

At reſpondent quidam hæc fieri non ſenſu, ſed ſolo inſtinctu: falsò quidem. Inſtinctus.n. eſt cognoſcentis impulſus, ergò non ſine ſenſu; & ideò alius exterior, alius interior, vt probat S.Thom. 3. d. 76. 1.1. & vterque, cum ſit ad finem, eſt præcognoſcentis finem, vt dicit Ariſt. & S.Th. in 2. Phyſ. & in 2. ſen. 4. 25. q. 1. & alibi. Exterior facit operationes violentas, aut ſupernaturales, ignotas inſtigato, vt impulſus ſagittatoris in ſagitta mota ad ſcopum, & Spiritus ſancti in prædeſtinato ad opera ſancta, vt docet D.Tho. p.p. q. 23. ar. 1. & horum cognitio eſt in inſtigante. Interior verò nota inſtigato propria enim virtus prænoſcens Inſtigat, vt æſtimatiua inſtigat brutum. At res naturales mouentur, etiam à propriis formis, vt probat S.Tho. 3, cont. Gen. 164. vbi damnat opinionem Maurorum, formis internis operationes negantium, quod ex Auer. in 10. Metaph. fecit ſimiliter in q. 22. de volunt. art. 1. docet naturalia proprio appetitu intrinſeco moueri, quæ enim ab alio mouentur, vt ſagitta, non mouentur ſponte, ait, ſed diriguntur. Ergò (inquam) formæ elementorum inſtigant, & mouent elementa proprio appetitu, ergo & proprio ſenſu interiùs inſtigante, & inclinamine ſpontaneo, & non ſolùm ab exteriori impulſu, vt dicunt Mahomettani; niſi vniuerſaliter, vt etiam animalia benè ſentientia, & omne ens à Deo. Quod tamen non ſufficit ad hoc, vt ſit motus naturalis, niſi ab intrinſeca forma, & ſpontè etiam moueantur, & licet Ariſtot. vt falſam tueatur poſitionem, dicat grauia, & leuia moueri à generante: hoc ſolum verificatur in motu generationis, genita enim animalia à ſe mouentur, ſimiliter genita grauia, & leuia, vt Alb. & Teleſ. & Seneca, & alij contra Ariſtot. docuere, & ipſe D. Thom. 12. q. 36. 2. & 3. q. Gen. 23. & alibi, docet Grauia, & leuia habere in ſe principium actiuum, & formale ſui motus, quo inclinantur, & mouentur naturaliter: de cæteris qualitatibus hoc manifeſtum eſt. Alij verò dicunt inſtigari ab Angelis, quod ſolùm eſt verum quoad modificationem aliquando; non quoad actus ſubſtantiá Perennem. Quis enim ita deſipiat, vt calorem non

agere contra frigus, quia ſentit illud ſibi inimicum, ſed quia impellitur ab Angelo, aut à Deo ad agendum quod per ſe non ageret: & ſimul frigus agi ab Angelo contra calorem; & omnes actus naturarum omnium fieri, ſicut in ſtatiunculis, præſtigiatorum manu contra ſe inuicem motis? Præterea non poſſent ſponte obedire Angelis, niſi ſicut ſemina Agricolis, & viſcera ægrotantis Medico, vt dicit Auguſt. ſi præceptum nō ſentiant vel ex parte, ſicut bos, & canis, quo ſponte moueantur, & non vi: operationes autem naturales ſunt ſpontaneæ, nec ſupernaturales, ac etiam omnes propter finem vt probat Ariſt. 2. Phyſ. & D. Tho. ibi. & 1. 2. q. 1. Etenim & res inanimatæ in finem tendunt, licet non cognoſcant rationem finis, ſicut homo; imò etiamſi finem non prænoſcant, tamen paſſiones præſentes percipiunt, quibus palàm ſtimulari videntur venti, pluuiæ, mare, Tellus, cæteráque ſe ipſis principio ab intrinſecò. Quod principium, niſi ſentiat amicum, & inimicum ens, non fugiat, nec ſectetur, nec inſtiget vnquam.

TERTIA RATIO EX ANIMAtorum cum elementis ſimilitudine in motu.

PRÆTEREA enim hoc differunt animata ab inanimatis, quia illa habent in ſe principium motus, & ſenſum; iſta verò ab alio, vt probat Ariſt. primò An. T. 19. & Phyſ. 7. T. 2. & Origenes 3. Hierarch. 1. & Auguſt. . . . . . omnia autem naturalia habent in ſe principium motus vt iidem fatentur, & omnes ſcriptores, exceptis Epicureis: igitur habent, & ſenſum, & appetitum: propterea enim agunt propter finem, vt dicitur 2. Phyſ. & mouentur fugiendo mala, ſectandóque bona, vt dicitur in 3. de An. ſi quidem ad hoc motus datus eſt, & vis appetitiua, & cognoſcitiua motum præueniens, vt fiat. Ergo omnia viuunt ſentiúntque.

Notandum quòd ſpontè non ſectantur bona, neque fugere poſſunt mala, niſi præcognoſcant illa ſibi bona & conſeruatiua: Hæc verò mala ipſorumque deſtructiua, niſi quando violenter, aut ſupernaturaliter aguntur, vt docet S. Thomas. & quamuis dicant quidam, res naturales agere propter finem non tamen præcognoſcere finem, haud propterea non ſentiunt quod mouentur, aut abſque ſenſu ſponte moueri poſſunt. Sed vel dicendum cum S. Thoma, quòd non cognoſcunt rationem finis, licet cognoſcant finem aliquo pacto, vel quod cognoſcunt paſſionem, & motum, ſaltem quo feruntur. Hoc enim nemo negauit nec D. Thomas, ſed ſolum, quod cognitio finis ſit in-

motore externo; nihil autem dixit de cognitione paſſionis, qua maniſeſtè excitantur ad motum. Siquidem planta non cognoſcit propter quid facit fructus: quos propter ſui immortalitatem, ſibi non notam, facit: tamen ſentit ſui mutationem ad fructificandum, non omnem mutationem, ſed hic, & nunc, & hanc, dum mutatur cauſarum ſerie vrgente. Duobus enim calcaribus tota rerum natura mouetur. ſ. voluptate, & dolore: (quælibet pro modulo ſuo) quibus etiam omnis appetitus, etiam naturalis, conſtat: & hic ſenſus negari nullo poteſt modo niſi ab Democraticis, qui omnem motum faciunt violentum, & ſequaces Epicurei; vt ex hoc Deum, vel prouidentiam excludere queant, conſimiliter euenit animalibus ſentire voluptatem in coïtu, nec tamen intelligere per coïtum ſe tendere ad catulorum generationem: nec catulorum finem, qui eſt ſui ipſorum immortalitas per ſucceſſionem: & aſſimilari Deo in vita, & cauſatione: & hanc finis rationem nec elementa, nec plantæ, nec bruta intelligunt; ſentiunt tamen ſtimulis voluptatis, & doloris ſe adigi, & hoc ſenſu operantur, & hunc S. Thomas non negauit. Negat autem primum, qui multis hominibus ſtupidis, & furioſis non ineſt; non enim rationem finis conſiderant, ſentiunt tamen libidinem, & operationem, & lædentia, & allicientia; & ex hoc mouentur. Rectè ergò Ariſt. 7. Phyſ. dixit, motum eſſe rerum omnium vitam ex decreto Philoſophorum; & Moſes vocat Animam ſpiritum vitæ, & motabilem. Porrò motus, & paſſio intrinſecè percipiuntur: directio aut extrinſeca, & rationalis vbique eſt ab intelligentia non errante, appetitus rerum, & ſenſum, & motum dirigente per Neceſſitatem Fatum, & Harmoniam, diuinarũ influxus prima litatum, vt ſic, & nunc, & ità ſentiant, appetant, & operentur: & non vſquequaque effuſis viribus appetitibus, & ſenſationibus, vnde eueniant, quæ Deus ordinat, & vult, non autem quod res ipſæ vellent, ſi non dirigerentur, vt in 2. de Senſu Rerum, & Metaph. probatum eſt.

QVARTA RATIO EX generatione & corruptione.

PRÆTEREA, ſi elementa non ſentirent, non fieret generatio, & corruptio. Non enim agunt in inuicem, niſi vt ſe, mutuò deſtruant, viuántque tuta ab inimico, contraria: ex pugna verò, & caſtigatione ipſorum mutua per magnos influxus modificata, naſcitur generatio ſecundorum entium, non autem quod optarent elementa. ſi autem contrarietatem non ſentirent, nec paterentur ſenſibiliter à contrariò, non agerent in illud, nec fugerent ab illo, nec fieret generatio, nec actio, nec paſſio.

QVINTA

QVINTA RATIO EX FVGA VACVI, eiúſque auerſatione.

PRæterea omnia elementa fugiunt vacuum, vt inimicum, diuiſiuum ſ. vnitatis eorum, ac proinde conſeruationis; ergò ſentiunt à ſe inuicem ſeparari, vacuo intercepto: ſicut Animalis partes mutuo contactu gaudentes, nolunt ab inuicem ſeparari, ſic res naturales: cur enim vt prohibeant vacuum contra ſui naturam aqua aſcendat, & Aër deſcendat, niſi cognoſcerent peiorem illis eſſe diuiſionem ab inuicem, quàm oppoſitos motus? Ratio Ariſt. quod fugiant, ne detur motus in inſtanti, nulla eſt ſecundum D. Thomam, & Auem pacem, & alios, niſi ſentiant prohibentia vacuum hoc inconueniens. Similiter quod alij dicunt vacuum odioſum eſſe Naturæ vniuerſali, vel Intelligentiæ, idem eſt ac ſi dicerent Mundum animatum Vniuerſali Anima, vt Plato, vel Deo, vt Varro, Stoïcique. Probatum eſt autem, quòd partium Mundanarum motus eſt naturalis; ergo ſpontaneus à proprio ſenſu boni malique: ergò vel ſenſus datur illis de ſubſtantia Dei, aut Animæ communis, aut de nihilo, & priora ſequentur abſurda: vt in pr. argumento, ergò operantur ſenſu, appetitúque proprio primordiali pro conſeruatione contra deſtructiua rebus indito.

SEXTA RATIO EX APPETITIVO, & Poteſtatiuo, conceſſis concludens dari etiam ſenſitiuum in rebus.

PRæterea Philoſophi omnes, exceptis Atheiſtis, concedunt rebus cunctis potentiam eſſendi, & ſe conſeruandi, & operandi naturalem: concedunt & appetitum naturalem ſimiliter eſſendi, ſe conſeruandi, & operandi: quo grauibus deorſum, leuibus ſurſum petendi; plantis fructificandi, attrahendíque nutrimentum, ſimiliter lapidibus, & metallis, aliiſque in rebus, vt ipſarum propenſiones naturales indicant; ergò & ſenſum concedant oportet, vt multi faciunt. Non enim appeti poteſt, (inquit omnis Philoſophia) quod nullo pacto ſentitur; ergo aliquo pacto; ergo aliquis in cunctis ſenſus ineſt: ſicut & vera Theol. Veſtigium S. Monotriadis in cunctis agnoſcens, confirmat.

SEPTIMA RATIO, EX PERFECTIONE.

PRæterea opera Dei perfecta ſunt, ait Moſes. At appetitu potentiáque ſolis non perficiuntur, quia non poſſunt conſeruari nec operari his ſolis, ſine ſenſu contrariorum, & proficuorum; imò nec appetitus intraneus ineſt, ſine intraneo appetibilis ſenſu, ergo tribus primalitatibus eſſentiantur, potentia ſenſu & amore Dei, primalitates imitantibus. Non enim ſibi diſſimilia, aut non ſui participia, præſertim in quo neceſsè eſt fecit Deus, qui in neceſſariis non deficit, & in ſuperfluis non abundat.

OCTAVA RATIO, EX SPONTANEA rerum diſtinctione per motum ſpontaneum.

PRæterea nulla diſtinctio rerum eſſet, ſed omnes verſarentur in Chao, ſi ſenſus nullus Naturalis propriúſque ſingulis ineſſet. Non enim ſpontè alia ſurſum, alia deorſum, & ſingula proprios ad ſitus tenderent, nec à contrario fugerent, niſi ſentirent malum à quo, & bonum, ad quod tendunt animalium ritu omnia, nam præter hanc animaſticam fugam, & ſequelam, accelerant motum in fine non ſecus ac animalia peruenire incipientia quò vadunt; quod ſi non facerent proprio ſenſu appetitúque, vniuerſitas rerum eſſet chaos, & quidem lapis in aëre poſitus, in eo maneret, & ignis in tellure, & vnumquodque vbi ſors fert; niſi temerè per violentiam ab extrinſeco agente dimouerentur: & omnia in omnibus eſſent; nec ſponte diſtinguerentur quemadmodum diſtingui videmus. Propterea rectè Anax. dixit, quod chaos à virtute cognoſcente diſtinguitur ſub primæ Mentis imperio.

NONA INDVCTIVE EX SENSV elementatorum, & ſympathia & antipathia rerum.

PRæterea in elementatis ſigillatim opera ſentientis vis manifeſtè deprehenduntur. Lapides enim, & metalla vegetant, nutrimentũ vtile hauriunt, emittunt excrementoſum, creſcunt intrinſecus, vt in Phyſi. 9. oſtendimus ex dentium, & Teſtarum lymacum augmento. Feruntur ad ima proprio inclinamine: habent ſympathiam cum ali-

mento, & cognatis rebus, vt ferrum cum magnete, & alia cum aliis: Vnde in proprio Commentario pro rerum ſenſu argumentabamur, & qui Aſtroitem, & Throchitem lapides conſiderat ſponte motos, ac magnetis mirifica quæ Porta, & Gilbert. De Philoſophia magnetica ſcribit: & qui vacillos ferreos, ſponte reuertentes ad ſitum, in quo fabricati ſunt, cum ſuper natante ſubero ponuntur; neutiquam ſenſum ipſis negare poterit. Nullum enim opus horum mirificum, abſque ſenſu proprio, vel alieno fieri poteſt, vt etiam D. Thomas concludit. At opus naturæ non eſt alienum. Ergo ab intrinſeco principio ſenſitiuo. Plantæ etiam nutritiua vi diſcretiuáque alimenti proficui ab inutili, & amicitia, & inimicitia affectæ, ſenſum indicant omnino. Cucurbita enim cum ſalice, vitis cum vlmis, Palma maſculus cum ſua fœmina, condelectantur pro modulo ſuo euidenter, ſicuti è contrà inimicitiam exercet Roſa cum cæpa, cucurbita cum oleis: Vitis cum braſſica; coluber etiam occiſus cum fraxino, & occiſus homo cum occiſore, ad cuius præſentiam feruet, effertque ſanguinem. Pelles, & chordæ ouinæ cum Lupinis etiam poſt mortem; ſic pennæ Aquilinæ cum aliarum timidarum auium pennis. Item habent cum metallis conſenſum: & cum ſyderibus plantæ. Aliæ enim ſolis motum longitudinalem ſectantur amoroſè, vt Heliotropium, & Lupinum: aliæ latitudinalem, vt Tilia olea, Populus; idem faciunt alię erga Lunam affectę, aliæ erga Planetas alios. Et ſucci plantarum in doliis florent florentibus in agro plantis ſui generis & vniuerſaliter omnes vtilem cibum exſugunt, inutilem reſpuunt: apoſtemate ſuperfluum purgant; exhilarantur, attollúntque comas deſcendente pluuia; ſub æſtu demittunt, ſqualentque. Multáque alia indicia ſenſus apud Plinium, & Theophraſtum habent. Vndè doctè Alb. M. in eis ſenſum tactus, & guſtus, ſicuti olim Pythagorei, & poſtea Hyphus, Euſebius, & Baſil. argumentati ſunt. De Aquarum, & Ventorum ſenſu neſcio quis ambigat, cum fugiant vacuum, occurrant diuiſioni; ad ſuos ferantur fontes: impetuoſè coactionem effugiant, & nihil non tentent, animalium more, quo mala comprimentia vitent. Guttæ aquarum ſumentes figuram orbicularem ad defenſionem, & ſe inuicem tenentes, & aſſequentes auiditate quadam, proprij ſenſus indicium dant non obſcurum. Peculiariter autem Auguſt. Spiritum Vitæ animalium eſſe aërem lucidum dixit; lux enim etiam vis ſenſitiua dicitur lib. 1. ſuper Gen. c. 5. Hunc ſpiritum eſſe ſenſitiuum, & aëre ſenſitiuo ali, docet Auguſt. 3. de Trin. 9. & in lib. de ſpiritu & anima. conſimilia docet Alber. M. Lactantius D. Thomas, & alij vti mox narrabimus. Similiter de Terra, & Aqua, & Igne, paſſionum perceptiuis.

RATIO DECIMA, EX SENSV PRINcipiorum actiuorum.

PRætereà principia rerum Phyſicarum omnium calor, & frigus ſentiunt ſe ſe mutuò, auerſantur, pugnant, effunduntur, quaſi duo exercitus; fugiunt; aut, ſi nequeunt, concentrantur animalium ritu; & omnes Philoſophi, & Theologi ſenſum calori quoquo pacto tribuerunt, vt inferior probabit ſermo. Cum igitur omnia corpora calore conſtent, & frigore, & eiuſdem naturæ ſit calor cœli, & elementaris, & animaſticus, vt experientia, & Patrum omnium teſtimonio probamus in phyſ. omnia ſenſu prædita vel naturali, affirmandum eſt.

Concluſio.

SI igitur opinio, quod rebus cunctis ineſt ſenſus, ex prædictis rationibus demonſtrata eſt: igitur eſt ſententia ſacræ Scripturæ iuxtà Regulam Auguſt. & Thomæ in primo Aſſerto; & Concil. Later. vbi dicitur, quòd verum vero non contradicit; ergò ſacra Scriptura his demonſtrationibus non contradicit; & mox probabitur adnuere.

SECVNDA PHALANX PROBATIONVM ex auctoritate Magnorum Philoſophorum.

THales Mileſius, vnus de ſeptem ſapientibus, laudatiſſimus apud Patres, omnia corpora naturalia, animata eſſe dixit; hoc eſt ſentientia, teſte Ariſt. p. de An. & Plutar. de placit. Philoſophorum. Probabat hoc ex operationibus, fuga, ſequela, ſympathia, antipathia, & ex animalium vulgari generatione in elementis, & ex putrefactis, & cadaueribus.

Parmenides Gentilium philoſophorum, & Theologorum Maximus, vnum omnium principium poſuit i. Deum: quo omnia ſunt vnum. i. Diuinitatis participio, in quo participia habent totalitatem, & vnitatem, ex Plat. in Parmenide. Dixit etiam ignem, & terram eſſe Deos, vt teſtatur Clem. Alex. in exhort. ad Gentes: hoc eſt, elementa ſenſu prædita, quod Ariſt. fatetur in 1. de Gen. & Cor. T. 18. ex quibus componit animantia eumdem ſecutus eſt Zeno Eleates, & Meliſſus.

Anaxagoras Intell[illegible] cuncta ſui ſenſu afficientem

corpora,& animalia,dicit,quæ organizata intus à ſenſu,organis mouentur ex Plut. Clem. Alex. Ariſt. & Gal. Igitur vel Intellectus eſt anima rerum, quod Anaxag. negat, docendo eſſe immiſtum, vt poſſit de nominari; vel defluxum ab eo vel intraneum ſenſum ex illius participio: ſenſu enim res diſtingui ipſe dixit, & nos ſuprà probauimus.

Orpheus, vt narrat Euſeb. 3. de præpar. 3. Mundum eſſe Animal vnum docuit, ſenſu, & ratione præditum. Deum autem ſuprà Mundum: ex relatione Clem. Alex. & Iuſtini Marty. poſuiſſe ſcimus. Ecce quod non potuit animare Orpheus res intra Mundum, niſi ex ſenſu mundi. Nam aërem. i. ſpiritum vitalem dixit Animam intra organa fieri, vt teſtatur Ariſt. 1. de An. cui videtur fauere Ezechiel, animas à quatuor ventis accerſiens ad animandum cadauera, ſed propheta myſticè loquitur per ſimilitudinem de reſurrectione, vt notat Auguſt. Heſiodus autem idem cum Orpheo ſentit, & amore cuncta ſenſúque regi exque chao educi, vt Plato innuit.

M. Varro Romanorum ſapientiſſimus, Deum totius mundi ſimiliter Animam fecit Vniuerſalem: Animalium vero inſpiratum aërem, vt Auguſt. in 7. ſuper Gen. cap. 12. dixit, Si Deus eſſet (inquiens) Anima Mundi, tunc aër eſſet flatus Dei, noſtráque anima, de qua Moſes, Inſpirauit in eum ſpiraculum vitæ. ſimiliter Lact. in lib. de Opif. Dei. 17. dixit Anima, eſt aër conceptus ore, deferre factus in pulmone, tepefactus in corde, diffuſus in corpus, &c. Igitur aër ſenſitiuus eſt, ergo Cœlum, & Terra, & omnia iuxta Varronis ſententiam.

Timeus Locrus, & Plato ſectator eius, magnæ, & paruæ Greciæ lumina, quem diuinum vocant; ſtatuit Deum, Principium rerum feciſſe Mundum eumque ità animaſſe, vt anima à centro Mundi vſque ad extremam peripheriam extenſa ſit, ex qua cuncta corpora animalium habent animam. ex quo Ariſt. 1. de An. concludit, corporeum ſpiritum viſum eſſe Platoni rerum animam, licet alij Platonici incorpoream dicant Mundi animam; ſed eius effluxu, aut participio ſpirituum animalem fieri, brutorum animam: humanas enim à Deo immediatè creatas ab initio dicit in Timeo, & in Phædro. Præterea in Tim. & in lib. de rep. & alibi, rationalem à ſuperis accerſit: concupiſcibilem, & iraſcibilem, hoc eſt ſenſitiuas, ab elementis, Mundi, animâ affectis, ac ſenſu communi: proptereáque has obedire Rationali, & repugnare dixit in homine. In plantis, & brutis per ſe operari, & vtrobique ſentire, vt & Clem. Strom. 8. declarauit, & vocat Platonem Deum Philoſophorum: cui Chryſoſt. & Auguſt. & alij conſentiunt.

Virgilius in 6. Æneid. ſimiliter. Mente animat Mundum. Attamen ſenſum brutorum ex æthereo calore accerſit.

Principio Cœlum, ac Terras, campoſque liquentes,
Lucentémque globum Lunæ, Titaniáque aſtra,
Spiritus intus alit; totámque infuſa per artus.

Mens agitat Molem; & magno ſe corpore miſcet.
Hinc hominum pecudúmque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
Igneus, eſt ollis vigor, & cæleſtis origo.

Vbi ſanè animas à mente infuſa vel à ſpiritu accepit, ſed ſenſum ab igneo calore, imò & paſſiones ſenſitiuas. nam ſequitur.

Hinc gaudent, cupiúntque, dolent, metuúntque, &c. & tandem cum ſoluit corpore animas, & purgat, inquit.

- - - - - - - purúmque reliquit,
Ethereum ſenſum, atque Auræ ſimplicis ignem.

Id quod S. Auguſt. in lib. de An. & Spiritu cap. 14. mirificè probauit, vt ſit æthereus ſpiritus vinculum Animæ incorporeæ cum corpore medium, adducítque carmen Virgilianum. ſimiliter Ariſt. 1. de An. T. 33. Antiquos narrat definiſſe animam ſenſu, motu, & incorpoream, &c. vocat ſpiritum aëreum incorporeum reſpectiuè, & in 2. de ſen. an. c. 3. & in 3. cap. 11. idem ſentit. vt videbimus.

Stoïci, vt Zeno, Seneca, Chryſipp. Antiſthen. Deum faciunt ſpiritum ſubtiliſſimum, corporeum Mundo toti, & partibus infuſum, vt etiam Tertullianus ſentit. Animum verò omnem diuinam eſſe particulam auræ, vt Horat, canit. vide Senec. Plutarch. Lactant. Quapropter nemo ex Philoſophis facit animas ex inſenſatis elementis, ſed vel elementa donant ſenſu, vel ex Deo, aut mente accerſiunt animam ſenſitiuam, non ex nihilo.

Pythagoras, Romanorum iudicio, vt Plinius ait, Philoſophorum maximus; Deum, inquit Clem. Alex. in exhort. vnum ponit, non ex- ” tra mundi adminiſtrationem; ſed eſt totius in ipſa in toto circulo, ” ſpeculator totius generationis, vniuerſorum contemperatio, qui ſemper eſt, & ſuas facultates deducit ad opus. Omnium operum in ” cœlo illuſtrator: Pater omnium mens, & illuminatio toti circulo, ” omnium motus, quapropter Deum mundo præficit intrinſecúmque ponit; & ſuo lumine, & contemplatione, & viuificatione animas producit, cum facultates ſuas deducit ad opus. ſunt enim primalitates, vt reſpiciunt ad extra, principia, & facultates: quarum participio res conſtant, vt in Metaph. probatum eſt.

Heraclitus ignem principium rerum facit, & ex igne omnia conſtare: ignémque ſenſu donat, vt poſſit animare, ſicut Ariſt. teſtatur in 1. de An. T. 33. & ſeq. vbi quemlibet philoſophum animaſtica vi donaſſe illud corpus, narrat, quod aliorum fecit principium. Hinc Stoici mentem eſſe ignem dixere. At omnes Theologos, ac philoſophos ſaltem ſenſitiuam animam ex igne feciſſe mox demonſtrabimus.

Anaximenes aërem ſenſu donat, quem principium rerũ facit ſpiritum, & Animam, quo etiam nomine S. Auguſt. ſpiritum vitalem vocat nempe aërem lucidum, id eſt ſenſitiuum.

Empedocles autem qui quatuor elementa ſignificat, animam etiam

ex eis componit omnibus, vt poſſit ſentire omnia: igitur & omnibus ſenſum donat naturalem, ſicut Thales Aquæ: & alij ei elemento, quod principium fecere. Ipſi enim nec ex nihilo producuntur, nec ex pura potentia, ſed ex præexiſtentibus omnia rebus licet alio ordine, ſitu, & temperie: quos Ariſt. in 1. Phyſ. propter hoc non ſatis rectè obiurgat, quandoquidem nec ipſe ex pura potentia potuit producere animas, vt neque aliud quippiam: ſed ex præexiſtenti, vt mox declarabimus ſpiritu caloréque animaſtico. Imò Empedoc. elementis, & elementatis non modò vt poſſent animare, ſed vt poſſint inuicem agere patique, amorem, & odium indidit; quæ ſenſum boni, & mali ſequuntur, vt voluptas, & dolor. igitur ſentiunt, igitur illi omnia.

Hippocrates, diuinus Medicinæ parens, in 4. de ratione victus: *eſt* ait, *calor natiuus anima*, & in lib. de carnibus ſenſum motum, intellectionem, & prophetiam calori dat.

Galenus etiam in lib. de Rigor. & Palp. animam dicit eſſe calorem natiuum, per ſe mobilem, intrò foráſque: ex quo animaſtico motu (quem in lætitia, & triſtitia, & cæteris affectibus experimur) etiam Ariſt. ſect. 27. Probl. 10. calorem natiuum ſentientem animam eſſe pronunciat. Montano tamẽ Galeniſtæ calor non anima, ſed animatus videtur propter hoc. Calor. n. natiuus ex quatuor qualitatibus conſtat Galeno: ergo ſenſum dat quatuor elementis, ex quibus componit animam Empedoclæo more. Quem in 17. de vſu part. ab anima mundi acceſſit, & in Epidem. . . . nedum ſenſum, ſed etiam diuinationem calori attribuit, & Ecſtaſim ſybillarum, id quod Ariſt. Probl. ſect. 30. itidem ſcripſit. Igitur, quamuis aliqui muſſitent, omnes philoſophi ſenſum rebus dediſſe videntur: vel inditum ab initio, vel ex defluxu à Deo, vel ab Anima Mundi, vel à colchodea, vt Auic. vel ab Intellectu actiuo, vt Alex. At Dauid Mateſcan. Deum animam & materiam primam vnam eſſe rem, dixit, Teſte Alb. M. in ſumma de Hom. Ex quo colligimus, quòd quamuis errent in aſſertione, qui Deum materiant, aut corporeum faciunt, aut animas ex Deo, vel ex ex aliqua intelligentia educunt: tamen concordant omnes, quòd non poſſent fieri animalia abſque ſenſu præuio vndecumque ſit, quem nos, vt errores vitaremus, primalitatum participio facimus.

Ariſt. elementa componit in 2. de Gen. & Cor. ex materia informi & ex quatuor qualitatibus ſubſtantialibus, calore, frigore, humore, & ſiccitate aliud enim illis dat nihil: neque alias formas occultas, vt quidam aſſeclarum faciunt, ex quibus fluant qualitates; neque an ſint formæ aliæ inueſtigauit, nec quomodo agnoſci queunt, ſed prout ab Emp. & Hip. & Ocello ea accepit, ita nobis tradidit. Cum autem, quippe qui ex elementis omnia facit nedum animalia plantáſque, inquireret in 1. de An. vndenam tanta vis animæ, qua ſentit, gaudet, timet, loquitur, ſcribit, imaginatur, &c. ab elementis eſſe negat, quoniam iſtæ operationes, elementis non conueniunt, proptereáque im-

properat Empedocli, & Heraclito, aliiſque philoſophis inertiam, inſcitiámque, quoniam deriuant operationes has ex elementis, vbi non ſunt. In 2. verò lib. de An. cum probaſſet, quòd anima non eſt materia nec compoſitum, nec accidens, quoniam eſt ſubſtantia, concludit, eſſe formam, ſeu enthelechiam, id eſt vltimam perfectionem corporis organici potentis viuere: ſicut grauitas eſt, ait, forma grauis, & acuties forma ſecuris. Nec nos docere potuit, quomodo ex inſenſatis elementis anima, & operationes animaſticæ, Empedocli negatæ, ſibi naſci poſſint. ſed Alex. Aphrod. eius interpretum Princeps, contendit eſſe complexionem elementorum quæ vnitione commiſtionis perficiuntur, & eleuantur ad gradum vegetatiuum, deinde ad ſenſitiuum, & tandem ad Intellectiuum; etenim & poſſibilem vocatum intellectum putat ex elementatione naſci. Agentem verò de foris aduocat. Non enim fit aliquid, inquit, niſi de elementis ex priuatione: ergo animatum ex inanimatis. Hanc opinionem ipſe Ariſt. confutat in 1. de An. T. 25. & ſeq. ex eo quoniam in elementis non in ſunt operationes animales. Non enim ſunt in elementis, niſi quatuor qualitates, quæ in congreſſu caſtigantur, affli&tantur, minuuntur, ita vt minor ſit valor ipſorum miſtorum, quam miſcibilium, quod fatetur & D. Thomas in 4. d. 47. q, 2. ar. 1. q. 1. ad 3. vnde nam ergo habent miſta ſentire, & intelligere? &c. dicunt alij à Cœlo; quod Aug. & Thom. & Duran. explodunt. eamdem rationem facit Auguſt. cum probat animam non eſſe ex elementis, vt mox narrabimus; & Caiet. in 1. Gen. Auicen. & alij: qui ritè intellexere non dari aliquid ab eo, qui non habet. Nec contrarium fieri ex contrario ſubſtantiuè, non enim calor fit de frigore, ſed ex ſubiecto frigido, attamen ab alio calore manifeſto, vel latente, Fit autem ex priuatione quia poſt ſuum non eſſe; non quia de nihilo ſui: & qui hanc Aphrod. ſententiam ſecuti ſunt, etiam vim faciendi miracula dant temperamento elementorum, nedum animaſticam, vt Pomponatius, & Ant. Mirand. imò ex hoc miſtum faciunt Deum. Si. n. ex ſui puro non ente ens fit, etiam Deus ens primum, factus ſit, oportet ex puro nihilo, propterea Ariſt. his elementationibus primíſque dictis non acquieſcens, inquirens in 2. de Gen. An. c. 3. vndenam anima educatur, quæ non ineſt in elementis, nec in ſeminibus: primò dixit animam humanam de foris aduenire, ſicut dixit Plato, & Anax. vt ibi etiam notat Alb. M. deinde pro animabus brutorum ſollicitus, quoniam vbique fiunt, etiam in ſtercoribus; concludit, quod vbique & in tota rerum natura corporeus ineſt ſenſus, qui eſt quodammodo anima, maximè autem calor, dum videlicet attenuatione, motione, ac ſeparatione, in ſpiritum vertitur animalem, dicit ergò ſic.

Reſtat vt mens ſola extrinſecus accedat; eaque ſola diuina ſit. nihil
» enim cum eius actione communicat actio naturalis, ſed enim omnis
» animæ, ſiue virtus, ſiue potentia, corpus aliud participare videtur; idque

que magis diuinum quam ea, quæ elementa appellantur. Verum prout nobilitate, ignobilitateuè animæ differunt ita & natura eius corporis differt. Ineſt enim in ſemine omnium, quod facit, vt fœcunda ſint ſemina, quod calor vocatur. Idque non ignis non talis facultas eſt, ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens elemento ſtellarum. Quamobrem ignis nullum animal generat: neque conſtitui quicquam denſis, vel humidis vel ſiccis videtur. At verò Solis calor, & animalium non modò qui in ſemine continetur, verùm etiam ſi quid excrementi ſit, quanquam diuerſum à natura, id quoque principium habet vitale. Cæterum calorem in animalibus contentum, nec ignis eſſe, neque ab igne originem ducere, compertum eſt ex his, &c. In quibus ſanè verbis Ariſt. non ex inſenſatis, ſed à calore cœli animam trahit: qui propterea fœcundat, & animat, quoniam ſentit. At ſi calor cœli ſentit, & hunc nos oſtendimus ex Ariſt. eſſe igneum, quoniam generatur motu cœli, ſicut noſter ignis, & non eſt in cœlo, vt dicit in 2. de cœl. T. 42. item conſtat ex Patrum, & experientiæ Teſtimonio eſſe igneum, qui remiſſus generat noſtratia, & intenſus vrit eadem, ſed generat vapores: manifeſtè enim ex lapidibus, & plantis confricatis, genitiſque Solis calore, emittimus calorem igneũ, & ex oſſibus Leonum contuſis calor egreditur & ex naribus cum lupis pugnantiũ equorũ, exque ſpeculis lux Solis ut & lucernæ reſiliens vnita adurit, ignítque, quæ non vnita fouet blãdéque calefacit: & cum prata igne purgamus, vrũtur calore multo: eodémq; remiſſo remanẽte, germinãt herbæ, & animalcula, vt notat Virgilius, & quot annis experientia: igitur calor cœleſtis, & igneus & animalis, qui ab ipſis eſt, ſunt vniuoci, vniuſque eſſentiæ, & generant, & urunt, omnes, prout proportionantur conſtitutioni plantarum aut beſtiarum, aut vaporum, aut fulminum, aut &c. ergo ſentiunt ſimiliter omnes. ergo è contrà frigus etiam ſentit, & res omnis conſtituta calore, & elementa omnia. Idque coactus experimentis Ariſt. fatetur in 3. de Gen. an. c. 11. dicens. Generantur in Terra, humoréque animalia, & plantæ, quoniam humor in Terra, in humore ſpiritus (calor animalis) in vniuerſo ineſt, ita vt quodammodo plena ſint animæ omnia, &c. Ecce quam clarè Ariſt. fatetur ſe non potuiſſe ex elementis non ſentientibus facere ſentientia animalia, ac proinde fateri oportere in vniuerſo reperiri vim animaſticam, vt quodammodo ſint omnia plena animæ. præſertim Tellus aqua, & aër: quoniam habent calorem ſentientem. Vnde oritur ſpiritus, qui brutorum eſt anima, vocatus Moſi ſpiritus vitæ, & ſpiritus motabilis, non forma immotabilis, vt in peripato loquuntur. & propterea Alb. M. in comento, ait, in ſemine etiam in putreſcentibus elementis non eſt anima, ſed aliquid animæ, id eſt, calor ſentiens, ex quo ſpiritus, &c. Quod ſi Ariſt. ſibi in hoc contradicit, formas comminiſcens, inquit Durandus 2. d. 18. q. 3. non eſt mirum,

cum loquitur de Anima; quoniam res difficilis eſt, & ipſe Ariſt. homo eſt.

Auer. quoque in commento cap. 11. ſupradicti, docens, quod in elementis generantur animalia, & vnde ſit anima in his, & in putrefactis, ait, Generantur autem animalia in Terra, quia in Terra eſt aliqua portio aquæ, & in aqua portio aëris; quibus omnibus ineſt calor animatus: qui eſt ſubiectum in generatione, &c. & mox: dicamus, (inquit) omnia hæc tria loca eſſe plena virtute animata generatiua proculdubio, &c. & mox. Benedicatur Creator vniuerſi in ſapientia, &c. vbi plenum vniuerſum virtute animaſtica eſſe docet à creatore rerum cum ſapientia: quod à Dauid accepit (nam & Mahomettani recitant Pſalmos Dauid) dicente: omnia in ſapientia feciſti. quem locum allegant Patres ſuper Gen. cum loquuntur de virtute, qua Tellus producere viuentem animam iubetur; & aquæ, reptilia viuentia. Vt maniſeſtè videas à primalitate, quæ ſapientia Dei eſt, vniuerſum participare, ac proinde cunctis rebus ineſſe ſenſum, licet Auer. ponat illam ſolum in Terra aqua, & aëre. Et quando in lib. de ſubſt. orb. illum accerſit à cœli calore æquiuoco, vt etiam facit in 2. de an. præfatis argumentis confutatur, quibus ignem à calore Solis vniuocum in ſpeculis, & ſtipulis accipimus, & ipſe Auer. 2. Cœl. T. 42. fatetur vniuocum coactus, vt in q. Phyſ. oſtendimus. Nota, quòd calor vocatur animatus ab interprete, ſed animaſticus dici debet, vt in Arabico ſonat. Nam & ly animalis non ſatis exprimit, quod vult dicere, niſi fingamus vocabulum, dicendo, animaſticum. Ariſt. etiam ſect. 27. Probl. 10. calorem natiuum eſſe quaſi animal: & in lib. de morte, & vita, ait, vita eſt permanſio caloris natiui: Mors extinctio. cum autem vita ſit ab anima, manifeſtè ſecundum Ariſtotelicos calor omnia animat, cui etiam mirificas intellectuales vires dat in Problem. ſect. 30. vt fecit Hippocr. & 2. de an. T. 130. nullum eſſe (ait) ſenſitiuum ſine calore.

Auicen. autem, qui ſenſum rebus dare ſolummodò inſufficiens reputauit, apponit etiam mundo Colchodeam, vt ibidem Auer. narrat, quam dicit cum anima mundi platonica conuenire, de quò ſuprà: & cum virtute formatiua Galeni, qui reputat eam in Sole ſedem habere, & cum calore Solis, omnia permeante, res formare noſtrates, & animare, in lib. 17. de vſu par.

Plinius in lib. 2. cap. 7. totam rerum naturam opinatur eſſe Deum; omníque cognitione naturalia donat. Et cum de aëre tractat, hunc vitæ halitum vocat. Abſtractúmque Deum nullum agnoſcit. Dum falſorum Deorum vanitatem fugit in extremum hoc deuenit; cum rebus proprium ſenſum concretum ab abſtracto Deo dominatore agnoſcere deberet.

Teleſius tandem, qui iugum Gentilitatis de ſcholarum collis excuſſit, mirificis rationibus probauit, cunctis in rebus naturalibus in-

eſſe ſenſum, ex quo animæ brutorum habeant o. ginem: eum nec ex Dei ſubſtantia, nec ex nihilo eſſe queant, & actio, & paſſio elementorum, fuga, & ſequela mutua rerum, id manifeſtè conuincant.

Ego quoque Thomas Campanella quatuor de ſenſu rerum libros idem proſequutus argumentum ſcripſi, maximè neceſſarium ad oſtendendum, Deum eſſe, contra Atheos; eiúſque ſtatuam & ſimulacrum, non autem corpus, eſſe mundum viſibilem, contrà Var. & Plin. &c. nec ex eadem ſubſtantia eſſe mentes humanas atque animas brutorum, & plantarum contrà Stoïcos, & in illis primalitates, & Dei imaginem, in iſtis participium aliquod primalitatum, & Dei veſtigium ineſſe; vtque poſſem facilè argumenta contra immortalitatem humanæ mentis ſoluere, & Textum Moſis elucidare, ac roborare; & occultas rerum virtutes inuenire, hoc dogma mihi maximè neceſſarium intellexi.

CONCLVSIO.

IGitur iuxtà ſecundum Aſſertum ex D. Th. & Augu. concludere licet non poſſe hanc veritatem à Catholicis negari, abſque irriſione, & periculo Catholicæ veritatis.

TERTIA PHALANX, PROBATIONVM ex argumentatione Theologica.

PRIMA PROBATIO, EX IMAGINE vel veſtigio S. Trinit. in cunctis rebus.

PRofectò in omni re imaginem, aut veſtigium diuiniſſimæ superſubſtantialis Trinitatis ineſſe, Theologi ſacerrimi vno ore conteſtantur. Quibus ratio philoſophica mirificè ſuffragatur. Non enim, ait, Apoſt. reliquit ſe ſine teſtimonio. quoniam omnis cauſa effectus ſibi ſimiles facit. imitatur autem Deum in cauſando, à quo habet, vt ſit & cauſet: ergo & Deus ſibi ſimiles. eiuſque veracitatis & veritatis teſtificantes res cunctas facit: pro modo quãque ſuo ſecundum magis, & minus: Imò S. Petrus contra Simonem Magum probauit apud S. Clem. quod non eſt verè Deus auctor mundi ille, qui ſui imagines, & veſtigia, & teſtimonia non habet in mundo. Plato autem (Deus philoſophorum vocatus apud Clem. Alex.) & Timeus Pythagoricus conterraneus noſter, probauerunt, Deum feciſſe mundum quam maximè potuit fieri ſibi ſimillimum: ſimiliter & partes eius. Quod enim participio eſt tale, ſimile illi quod

per eſſentiam tale eſt, oportet eſſe. omnia autem participia Dei ſunt. Deus autem vnus eſt in ſubſtantia, trinus in perſonis, diſtinctis realitate relatiua, quæ abſolutè vna res ſunt. Eſſentiatur autem Deus potentia, ſapientia, & amore: quas eſſentialitates vocaui rectiſſimè primalitates in Metaph. Huius ergò eſſentiationis imaginem, & veſtigia, quærimus in omni re: etſi enim realiter non ſubſiſtunt diſtinctæ perſonæ in rebus, vt in Deo, in quo ſubſiſtunt, in creaturis verò inſunt, tamen aliquam repræſentationem iſtæ illarum habent. & ſicut in Theologia ratiocinabamur, diſtinctio radicaliter videtur fieri per abſoluta, vt Scoto, & Ambroſio, & Richardo placuiſſe inuenio, vialiter verò per actus proceſſionales, quâ hæc ab illa eſt, vt placet S. Bonauenturæ. Terminatiuè, & perfectè per Relationes originis, ſicut D. Thomas docet. Similiter in creaturis inuenimus imitatiuè maximè ſecundum primam opiniònem. Abſoluta enim ſunt potentia eſſendi, ſapientia eſſendi, amor eſſendi, ſunt enim omnia, quia poſſunt eſſe: & quia amant eſſe, ſi enim non amarent eſſe, ſinerent ſe à contrariis deſtrui, nec repugnarent, vt faciunt omnia; nec ſui eſſe conſeruationem procurarent, quantum poſſunt. At non amant bonum, quod non ſentiunt bonum, igitur ſenſum abditum habent ſui eſſe. Non ſentiunt autem niſi poſſint: amor ergò à ſenſu, & à potentia; ſenſus verò à potentia ſola eſt, ſicut Theologia docet: quod Spiritus ſanctus, qui eſt amor, procedit à Filio, & Patre, qui eſt Sapientia, & Potentia, Filius autem ſapientia à Patre, qui eſt potentia. Idcirco autem eſſentiatiuæ ſunt in rebus primalitates; quoniam ſi vna deſit, pereunt omnes, quod ex operationibus, quæ eſſentiæ ſe diffundentis, ſunt extenſiones, & manifeſtationes, palam fit. ſi enim non poſſum ambulare non ambulo; & cum cæpero ambulare, ſi deficit potentia ambulandi, non amplius ambulo: ſi notitia ambulandi deeſt: deſinam ambulare, ſi voluntas conſimiliter; non enim incedit, qui non vult, niſi per vim tractus. Naturalia autem ſponte operantur, ac ſunt. ſunt ergo per poſſe, noſſe, & velle ſubſtantialiter res incorporeæ corporeæque; ergò in rebus non modò eſt amor eſſendi, & potentia eſſendi, conſeruandique ſe, vt omnes Philoſophi, & Theologi concedunt: ſed etiam ſenſus eſſendi, vt multi concedunt, & omnes concedant oportet, qui perfecta opera Dei volunt eſſe, dum Deum totum, & ſi non totaliter prout eſt, repreſentant, atque imitantur. Ineſt ergo ſenſus eſſendi, vel naturalis, vel animalis, vel rationalis, ſicuti ineſt appetitus naturalis vel animalis vel rationalis in cunctis, vt D. Thomas diſtinguit rectè, & in diſtinct. ſuprà dictum eſt.

De imagine S. Ambr. ita loquitur in lib. de dignitate hominis. In ,, anima eſt ex Quo, & Qui, & Quo. ſicut in S. Monotriade. Item, ait, ,, mens gignit ſcire, & amat ſcire, quod ſcit. ergo ſunt Tria. Mens, Sa- ,, pientia, & Amor, &c. & mox ait, Mēs Pater, quia gignit, dicatur: Scire Filius, quia ex alio eſt, non tamen aliud ab eo, ex quo eſt. Dicatur, amor

Spiritus ſanctus, quia amborum eſt, qui ſe amant.) Similiter D. Aug. in 9. de Trinit. à Mente Notitiam, à Notitia & Mente Amorem intrinſeca proceſſione producit: & conſubſtantiat & relatione diſtinguit. Richardus in opuſc. ad S. Ber. de Appropriatis perſonarum ait, quòd potentia, ſapientia, & bonitas, ſunt notiſſima quid ſint apud nos: qui ex viſibilibus, inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpicimus. & quoniam in elementis. & plantis, & brutis reperitur, ait, potentia ſine ſapientia: & in homine, & in Angelo reperitur ſapientia, ſed non ſine potentia: & in Lucifero reperitur potentia & ſapientia, ſine bonitate & charitate, ſeu bona voluntate, ſed in homine bono, bonoque in Angelo non datur bona voluntas, niſi adſit poſſe & ſcire. Nam poſſe benè velle, eſt aliquid velle: ſapienpientiæ autem eſt diſcernere inter bonum, & malum, & ſine huiuſmodi diſcretione neſcit voluntas eligere. Igitur ſunt tria hæc diſtincta, & poſſe, eſt per ſe, vt principale: ſapientia eſt à potentia, & ab vtriſque voluntas, & amor. Hanc doctrinam D. Auguſt. in 6. & 9. de Trin. docet, & vbique in ſuis ſcriptis, quod non modo inuenitur imago Trinitatis, de qua loquitur Richardus, & ante eos Origenes, in creaturis rationalibus: ſed etiam veſtigia in aliis omnibus. Nec veſtigium differt ab imagine, vt benè aduertitur in primo ſent. d. 3. à Magiſtro, & à D. Thoma in Cōmento. niſi quia imago clariùs, veſtigium obſcurius, & imperfectiùs repreſentat Monotriadem. Si ergò reperitur potentia, ſapientia & amor in imagine, clarè ſingula repreſentante: Reperitur & in veſtigio obſcurè, proptereà ſicuti eſt potentia, & amor in naturalibus veſtigiis, & vocantur vis, & appetitus naturalis, & hoc omnes Theologi & Philoſophi confitentur: ita etiam ineſt & ſenſus naturalis vt plurimi fatentur, atque vt fateantur omnes oportet ex neceſſaria conſequentia. Imò quantum de vna primalitate tantumdem de cæteris pro modulo ſuo vel negandum eſt veſtigium, & teſtimonium S. Monotriadis in illis, vnde & ſuſpicio oriatur de Trinitate etiam in Deo, quod abſit.

Porrò quamuis Richardus in elementis, & brutis, dicat reperiri ſolummodò potentiam ſine ſapientia, & amore: id tamen intelligit de ſapientia rationali, quæ eſt in homine, & in Angelo, non de ſenſitiua; ſic enim dicit quod in diabolo eſt potentia, & ſapientia, ſed nulla bonitas quod intellige de bonitate morali, & intellectiua, id eſt, de bona voluntate, eſt enim in diabolo voluntas, & bonitas naturalis, ſicut in omni re, alioquin non poſſet viuere, & ſubſiſtere ad momentum. Igitur palam eſt, quòd Richardus, quoniam ſufficiebat, vt poſſet oſtendere diſtinctionem perſonarum in Deo, diſtinxit in elementis potentiam à ſapientia; attamen non ab omni ſapientia; & in diabolo vtrumque à bonitate, non tamen ab omni bonitate: Cum tamen in omnibus inſit pro modulo ſuo. Cùm alij verò dicunt ex Auguſt. imaginem eſſe in intellectu, voluntate, & memoria, ſumitur memoria fa-

cunda pro potentia gignendi ſapientiam, vt ex Durando ſcimus: & ex D. Bern. in lib. de dignitate diuini Amoris. Eſt illa potentia memoriale Dei Patris in creatura, & propterea dicitur fæcunda.

SECVNDA PROBATIO EX TRINIS *obiectis primalitatum, vnitis facultatibus.*

PRæterea obiectum potentiæ eſt vnitas, vt ſummum entitatis: ſapientiæ veritas: Amoris bonitas. Porrò vnum ſunt obiectum & potentia, id eſt, facultas, in Deo, vt probatur in metap. diſtinguuntur autem ratione: propterea vbicunque eſt vnum, ſunt cætera omnia: ſed in creaturis, vt docet Mag. ibidem ex Aug. & Patribus, ac D. Thomas in Commento, ineſt vnitas veritas, & bonitas; ergò & in cunctis ineſt poteſtas, ſapientia & amor pro gradu ſuo; & illa per eoſdem Doctores repreſentantur extrinſecus in ſubſtantia, ſpecie & ordine: vt enim ſubſiſtant, eſt à potentia; vt ſpeciem habeant, à ſapientia: vt ordinem ab amore; vnde dicitur in lib. 83. q. vt conſtent, diſcernantur, & congruant. Conſtant enim potentia, diſcernuntur ſapientia; & congruunt amore. Item D. Thomas ait, vt mox declarabimus, quod omnis creatura, quantum participat de bonitate Dei, quæ eſt obiectum voluntatis, tantum etiam participat de Dei voluntate. Ergo & quantum de vnitate, tantum de poteſtate. Igitur & quantum de veritate, tantumdem de ſapientia naturaliter.

TERTIA PROBATIO EX AMORE *entis.*

PRæterea D. Thomas p. 2. q. 109. art. 3. ex S. Dionyſij dictis, & Ariſt. comprobat, quòd omne ens omniſque creatura etiam inanimata, tantum habet de amore quantum de eſſe pro rata ſua naturaliter; idemque affirmat in P. P. q. 60. ar. 5. concluditque ex eo, quòd amor naturalis non poteſt eſſe peruerſus, ſicut amor electiuus; vnumquodque ens amare naturali amore pro modulo ſuo magis Deum, quàm ſe ipſum: quia Deus eſt bonum eſſentiale, & vniuerſale; creatura verò eſt bonum participatione, & particulare. Ergo Deus eſt magis amabilis, quàm creatura. Quartò reuera omnis creatura amat Deũ, magiſquam ſe, licet ſit inanimata, & irrationalis, ait, quoniam tantum habet de amore quantum de eſſe, ideòque & diabolum, quatenus amat quod ſibi videtur bonum, & vult eſſe ſicut Deus, ſuper omnia bona, ergò naturaliter, velit, nolit, amat Deum pluſquam ſe: li-

cet electiuè ſecus putare ſibi videatur. Item in 2. cont. Gent. probat S. Thomas, quod vnumquodque appetit aſſimilari primo enti prò modo ſuo.

Sed Eſſe non ſolum conſtat ex amore, ſed etiam ex ſapientia & potentia eſſendi, vt in Metap. probatur in Deo, & extra Deum: ergo ſi tantum habent de amore, quantum de eſſe, vt dicit D. Thomas, ergò tantundem habeant oportet de potentia, & de ſapientia; & quia habent amorem naturalem. Idque & probauit S. Hier. in 8. Mat. & x. Ezech. dicens: Omnes creaturæ ſentiunt Creatorem. Et ideò mare, & venti obediunt ei, & increpantur, & ſentiunt increpationes, & imperium. igitur pro modulo ſuo habent omnes ſenſum naturalem, quantum de naturali eſſe. Propterea quidam dixere, quod primum cognitum primúmque obiectum intellectus eſt Deus, quoniam lux eſt per ſe cognoſcibilis, & per quàm alia cognoſcuntur. Alij, quod omnis creatura magis cognoſcit Deum, quàm ſe ipſam, ſicut & magis amat, quod verum eſt de notitia innata naturaliter, non de elicita, & indita.

Non moror, quod dicunt quidam, operationes ſenſitiuas, & appetitiuas creaturarum ex inſtinctu eſſe exteriori. Diximus .n. etiam D. Thoma auctore, quòd exterior inſtinctus eſt violentus, vt in ſagitta, vel ſupernaturalis, vt in prædeſtinato; vel directiuus vt in pro rege, inſtinctu Regis ſententiante. Non eſt primum, nec ſecundum in naturalibus, quoniam ſponte proprijſque formis mouentur, vt contrà Mauros dicebat Auer. & D. Thomas: ergò tertio modo; ergo ineſt proprius ſenſus naturalis in rebus cunctis ex D. Thomæ, & D. Hier. copulata doctrina: vt poſſint regi à Rationali.

Confirmatur etiam ratione D. Thomæ, dicentis, quod omnis appetitus in finem ſequitur præcognitionem finis; & quia appetitus naturalium eſt in eis, ergo & præcognitio æquè eſt itidem in eis. Nō enim poſſum ego appetere quod cognoſcis tu, & ego non cognoſco. Calor ergò appetit frigus necare quod ipſe calor cognoſcit ſibi contrarium. Quando ergo S. Thomas dicit, prænotionem finis naturaliter appetentium, eſſe in alio, id eſt, in intelligentia non errante, vel in Deo, intelligit de præcognitione finis, & rationis mediorum ad finem, vt dicit p. 2. q. 1. non autem de paſſione, & motu, quo ducuntur ad finem. Nam & canis ignorat rationem finis coitus, & appetitus ſui, qui eſt immortalitas per generationem; tamen ſentit paſſionem coitus, & motiones, & titillationes, quibus fertur ad generationem. Et ſic calor ſentit paſſionem à frigore, cui repugnat ad mortem. Voluptas autem, & dolor, ſunt calcaria duo, quibus Deus dirigit res ad finem, ergo omnes affici oportet dolore voluptatéque prò modo quamque ſuo.

QVARTA EX RERVM BONITATE INTRINſecus amata ergo prænota amantibus, ergo &c.

PRæterea Moſes ait. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Vnde D. Thomas ait, hebent bonitatem naturalem & tuentur illam prò viribus. Huius .n. gratia dantur virtutes naturales alijs, alijs etiam morales? quoniam amant illam, vt participium ſummi boni, omnia ad ſui amorem conuertentis, vt dicit S. Dionyſ. vndè in 3. cont. Gent. 22. omnes res (ait, S. Thomas) quantum habent de bonitate Dei, quàm participant: tantum participant etiam de voluntate Dei, qua amant propriam bonitatem & eſſe, & conſeruari, & cauſatione diffundi. Omnis autem amor, vt dictum eſt, ſequitur notitiam rei amatæ, vt Chriſoſt. & alij Patres, & Philoſophi præſertim Auic. inculcant. ergò amor naturalis ſequitur præſenſionem naturalem. ergò mutilat veſtigium Monotriadis, & res non vult benè diſponi, qui negat ſenſum naturalem, ſicuti qui aſſerit Spiritum ſanctum & Patrem in diuinis, negátque filium; & tota rerum natura defendens ſe, declarat, ſe ſenſum ſuæ bonitatis, meritò defendendæ, continere inditum à ſapientia prima; omnia enim in ſapientia fecit Deus. Præterea, ſicut quantum participant de diuina bonitate, tantum participant (vt ait S. Thomas) de diuina voluntate: ſic quantum participant de diuina veritate tantum etiam de diuina ſapientia, vt ſapiant veritatem ſui eſſe; ſicut de voluntate, vt ament bonum ſui eſſe, & de poteſtate, vt poſſint eſſe, & operari.

QVINTA EX VITA OMNIVM COMmuni, & priuata.

PRæterea Eccleſiaſticus, loquens de elementis, & elementatis, dat cunctis vitam tanquam Dei viuentis operibus, cui obediant; dicens. *Quam deſiderabilia ſunt opera eius? omnia hæc viuunt, & in neceſſitate obediunt ei.* Vnde S. Hier. elicit, quòd omnes creaturæ ſentiunt creatorem, quoniam obediunt imperanti. Et ratio Philoſophorum, confirmata à D. Thoma, & Aug. id confirmat. Nam, vt dicit 4. cont. Gent. cap. 11. viuentia ſunt, quæ ſe ipſa mouent ad agendum. idemque ait Orig. in 3. periar. 1. & S. Auguſt. 5. ſuper Geneſ. ſed omnia naturalia mouent ſe ipſa ab intrinſeco principio motus, vt ijdem dicunt, & Ariſt. probat. 2. Phyſ. ſed quæ mouent ſe ad

ſe ad aliquid, prænoſcunt illud, per aliam Maximam D. Thomæ, & Philoſophorum. Igitur omnia naturalia viuunt, & ſentiunt prò modulo ſuo, ſicut dicit Eccleſiaſt. quoniam cunctis ineſt vita; quæ eſſentiatur ex potentia, ſapientia, & amore, vel horum participio.

SEXTVM EX EO, QVOD MVNDVS eſt Dei ſtatua, & ſimulacrum.

PRætereà mundus eſt Dei ſimulacrum, ſtatua, & trophæum, vt Origenes aliquando loquitur, & Boët. 3. de conſol. & Plato, & Timeus Orpheus, Sophocles. Vnde probant, quòd quam maximè ſibi ſimilem Deus fecit mundum; ergò quam optimè potuit: ſed longè melius, & magis repræſentat Deum, ſi eſt animatus, & viuens, & ſentiens, quàm ſi mortuus, & inanimis: ergo totus mundus eſt animatus, & viuens; ergò vbique reperitur ſenſus, & rectè Ariſt. dixit, *Quodammodo omnia animæ ſunt plena*, & omnia eius membra ſentiunt, quædam magis, vt ætherea corpora, quædam minus, vt terreſtria; inter quæ lapides minimè, metalla magis: plantæ magis: animalia magis: ſicut oſſa in animali minus, caro magis, neruus magis; ſanguis magis, ſpiritus maximè. Mens autem ſuper omnia. Hæc enim imago Dei expreſſior.

RATIO SEPTIMA EX TESTIMONIO Diuinitatis in rebus, & S. Theologiæ firmitate.

AMplius ad cognoſcendũ Deum eſſe, & eſſe Trinum in perſonis, vt S. Theologia docet, confert valdè ponere mundum animatum, ſenſúmque cunctis creaturis particularem elargiri, in teſtimonium ſapientiæ creantis gubernantis, mutantíſque omnia. Qui enim non crediderunt Deum eſſe, hi ſenſum, & rationem mundo, & partibus eius abſtulerunt. Deus enim ex his agnoſcitur teſtimoniis eius. Quibus ſublatis, non poterit dicere Dauid, *Mirabilia opera tua ideò ſcrutata eſt anima mea.* Neque inueſtigare homines ampliùs Deum, ſed quaſi vermes in ventre humano viuentes ignorant hominem eſſe animatum, mentémque diuinam gubernare molem, intra quam ipſi viuunt. Vermes autem ſunt qui negant Dei teſtimonia, ac proinde Deum. Hi ſunt Leucippus Eleates, eúmque ſecuti Democritus, Epicurus, Metrodorus, Diagoras, Lucretius, &

alij : qui ſenſum caſu quodam ex atomis faciunt : Mundúmque anima, & vita priuant: ex quo argumentantur, Deum non eſſe, vel non curare inferiora. Similiter Peripatetici, qui Deum cælo alligant, tanquam illius animam, ſublunaria caſui, & fortunæ, Epicureorum inſtar, committunt. Proptereáque ab Origene contra Celſum, & Amb. de off. deteriores Epicuræis exiſtimantur. Tamen Ariſt. quamuis ità ſentiret in Phyſ. & in Metap. quando tamen tractat generationem animalium, coactus eſt fateri etiam inferiora, Aërem, Terram, & Aquam, quodammodo, & vniuerſum omne, animæ plena eſſe, ſicuti etiam Auer. eius commentator : vt in ſuperioribus phalangibus docuimus.

At quicunque dixerunt, Deum eſſe mundi Authorem, non ſicut partem eius, ſed totius gubernatorem, dant mundo vitam, & animam. vel enim faciunt Deum animam mundi, vt Varro, Anax. & Stoici: vel dant illi alteram animam à Deo creatam, intelligentem, veluti eſt in homine, qui cum ſit pars non eſt toto nobilior. Sic ſcripſit Timeus, Plato, Porphyr. Plutarch. Plotinus, Proclus, Iamblicus, Calcidicus, Numenius, alijque Gentiles: ex noſtris Marſilius Ficinus: Chriſtophorus Landinus, Picus Mirand. ſimiliter ante illos, D. Baſil. declarans Textum illum : *Spiritus Domini ferebatur ſuper Aquas*; quem ſectatur Auguſt. lib. imperfecto ſuper Geneſ. cap. 4. vbi docet, quod ly Spiritus Domini, poteſt intelligi Spiritus ſanctus, & Spiritus Aëreus, & Spiritus Mundi; totam rerum machinam gubernans, & intrinſecè continens, vt anima corpus, ad hoc munus à Deo creatus. Eamdem ſententiam tenet S. Greg. Nyſſ. in Hexam. Nec te moueat, quòd iſta anima non informat. Nullus enim Philoſophorum, & Theologorum priſcorum, dixit animam eſſe formam corporis, niſi quidam Scholaſtici, qui commentantur Ariſtotelem. Is enim primus docuit, animam eſſe formam corporis, inſeparabilem ſecundum eſſe, & operationem: intellectum vero propterea ſeparari, quod non eſt forma, vt dicit 2. de An. t. 11. Ex quo Alex. Themiſt. Simplicius, Philoponus, Auicen. Auer. & alij, deduxerunt, intellectiuam animam non eſſe formam, ſed immiſtum, abſtractúmque intellectum, qualem poſuit Anaxagoras, vt dominetur mundo. Ex quo Ariſt. reſcribendo, ait, vt omnia intelligat, & hic eſt anima mundi, deforis adueniens, vt dicit in 2. & [illegible] de Gen. Animalium, ex qua noſtras animas deriuant Stoici, Platonici verò à Deo. & Virgilius eruditè magis à Mente deriuat animas, ſed ſenſum ab æthereo igne, vt ſuprà narrauimus; & ità commentatur S. Auguſt. declarans illud carmen.

Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo.
Hinc gaudent cupiunt metuúntque, doléntque.

Nec enim à Deo, nec ab anima mundi, ex nihilo, vel de illorum

ſubſtantia ſenſus rerum fieri queat, ſed inſit elementis omnino putandus. & mundum ſi viuit anima vniuerſali intellectiua, ſenſum particularem in partibus alterius ſubſtantiæ continere; ſicut in corpore humano eſt anima rationalis, & tamen ſenſus ſingulis partibus proprius, ex quo etiam pediculi, & Vermes in capite, & ventre naſcuntur: qui rationales non ſunt. Quo exemplo nos docuit Deus, ſe dediſſe gubernatricem intelligentiam mundo, ſuæ ſtatuæ; partibus verò ſingulis participationem primalitatum, id eſt vires, ſenſum, & appetitum ſe conſeruandi. vtque poſſint ab intelligentia gubernari ſtimulis voluptatis, atque doloris. Laus tua Deus.

CONFIRMATIO ARGVMENTI EX EO, quòd Deus eſt ità in omnibus potenter, ſapienter, & amorosè, vt omnia videantur quibuſdam literatis Deus; ideóque oportere participium omnium primalitatum rebus concedere.

PRæterea adeò manifeſta eſt diuinitas in Naturæ operibus, vt Triſmegiſtus in Aſcl. dicat, immane ſacrilegium eſſe dicere Deum abſconditum: cum res nulla, vel quàm paruula ſit, quæ non maximè Deum manifeſtet. Et rerum ordo, & conſtructio mundi, & plantarum, & animalium, & elementorum vtile bellum ad mirificarum rerum productionem, & cuiuſlibet entis rationabilis, & artificioſa formatio, & res deniq; omnes clamāt (ait Aug.) Ipſe fecit nos, & non ipſę nos. Adeóque vnita eſt Diuinitas rebus, vt Lucanus dicat; *Iuppiter eſt quodcunque vides, quodcunque mouetur.* Et D. Thomas, & ante ipſum Greg. Nyſſ. dixerit, Naturam eſſe Artem diuinam, rebus inditam, eas ad proprios perducentem fines. ergò in ficulnea eſt Ars diuina faciendi ficos, non autem Caſtaneas, & in pyro faciendi pyros, &c. ſicut in Calceario faciendi calceos, in Veſtiario faciendi veſtes &c. ergò in toto mundo eſt Ratio faciendi omnia; & prærequirit ſenſum. Vnde Senec. 4. de Benef. 7. *Natura eſt Deus, & diuina ratio, toti mundo infuſa, & partibus eius.* Plinius verò in 2. lib. *Deus eſt ipſa rerum natura.* Ex hoc autem mirifico teſtimonio, alij dixerunt Deum eſſe animam mundi, vt Varro; alij animam alteram illi dedere, vt Plato. Alij dixere, Deum patibilem irretitum rebus incluſúmque, vt Manichæi; alij ſpiritum igneum fecere cunctis infuſum, vt Stoici: alij cœlo includunt Deum, vt Ariſt. quoniam vidit Caſum in inferioribus fortunámque. Attamen participium animaſticum à calore cæleſti mutuatur, vt animentur inferiora, & forinſecus intellectum cum Anax. adducit ad hominis perfectionem,

ſicut omnes diſcipuli eius Græci, & Arabes, imò vt recitat M. Albertus in lib. de Som. Dauid Mantenſis putauit, intellectum, Deum, & Materiam, eſſe vnam eamdémque rem; ex his. & iterum, quoniam intellectus non intelligit Deum, & Materiam per ſpecies abſtractas ab eis, cum nulla poſſit abſtrahi ſpecies ab illo propter immenſitatem, ab hac propter infinitatem; ergò intelligit Deum, & Materiam per innatam ſimilitudinem, & infinitatem communem, quam habet intellectus cum eis; ergò propter identitatem. hoc etiam Auicen. in 6. Natur. adducit, Dicebant enim: quod ſicut Hyle, eſt omnium corporum ſubſtantia, ità Deus, ideſt, Mens eſt ſubſtantia animarum & idem Deus eſt natura in elementis, Anima in viuentibus. intellectus in hominibus, & Angelis. Mauri autem dicunt, Deum eſſe omnia in omnibus propter operationem non propter eſſentiam. quoniam res nulla operatur, ſed Deus in rebus operatur. Auicebron. non ſecus abeſt ab illis; quoniam eamdem facit materiam s. puram potentiam, ſpiritualium & corporalium. Ex quibus apparet, quòd quamuis inſana ratione moti iſti Theologi Perpipatetici Manicheizãt, quibus Nyphus Theophylum quemdam, atque Marinum Peripateticos annumerat; qui intellectum eſſe materiam primam eadem ratione dixerè: Tamen ex hoc intelligimus, neceſſarium eſſe ad Theologiæ tutamen, & vitanda argumenta philoſophorum priſcorum, & iſtorum hæreticorum, rebus cunctis, in quibus ipſi ponunt Deïtatem manifeſtis argumentis, præbere ſenſum, appetitum, & vires ex participio Primalitatum diuinarum, & quaſi tinctura; ſicut etiam coactus fecit Ariſt dicens, *Quodammodo omnia animæ ſunt plena.* Si enim negaueris ſenſum manifeſtum, vbi etiam Ratio euidenter quoque reperitur; quam poſſumus Deo, & intelligentijs adminiſtratorijs dare, naturalia regentibus perſtimulos doloris, & voluptatis, quibus manifeſtè mouentur calor, & frigus, & elementa, & res ſecundæ, per antipathiam, & ſympathiam ſe declarantes; tunc ſuſpicio oritur, quòd dogma noſtrum non ſit verum: quippe quod defendi abſque manifeſtarum veritatum negatione non poteſt; vt ſancti Aug. & Thom. monuerunt.

Præterea dixit Deus Ierem. 23. Cælum & Terram ego impleo. A quo Virg. ſumpſit illud: Iouis omnia plena; & alibi. Deum namque ire per omnes Terráſque, Tractúſque Maris, Cœlúmque profundum; vnde hominũ pecudúmque genus. &c. Et Act. 17. dixit Apoſt. In quo viuimus, mouemur, & ſumus, &c. eſt Dominus Cæli, & Terræ; & omnibus dat vitam. Vbi declarat, quòd eſt vt Dominus, ſicut dixit Anax. non ſicut anima aſſiſtens, aut informans, irretitáue. Quod Salom. 3. Reg. 8. & 2. Paral. 6. explicat. quod Deus non habitat in mundo; ſed Cælum, & Cælum cæli ipſum capere non poſſunt. Ex quo diuini Theologi præſertim Dionyſ. Thom. & Aug.

& Greg. declarant, quòd Deus eſt in omnibus per præſentiam, per potentiam & per eſſentiam: & omnia amant Deum pluſquam ſe, &c. & ipſe operatur omnia cum omnibus, & in omnibus immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti. Manifeſtum autem eſſe, quod rebus per eſſentiam quibus ineſt tam intimus, non ſolùm largitur potentiam & amorem, eſſendi, ac ſe conſeruandi, propter quod omnes faciunt operationes, & actiones; ſed etiam ſenſum; quo ſine nec appetitus, nec poteſtas ſtat. Neſcio equidem, quomodo audent viuæ ſtatuæ Dei, quibus intimus eſt, & non otiosè, negare à Deo ſenſum, & facere inſenſatam, quam faciunt viuentem, appetentem, ac potentem. Ipſe Salomon. Sap. 7. ait. Quod *Sapientia Dei* ſpecialiter rebus intima *attingit à fine, vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* At quomodo ſuauiter niſi placeat rebus diſpoſitis diſpoſitio? & quomodo placere poteſt non ſentientibus? & quomodo non participant ſapientiam, quæ illis intimior eſt, & non fruſtra, quàm ipſæ ſibi ipſis? Profectò non ſunt tanta teſtimonia de participio aliarum primalitatum, quanta de ſapientia effuſa ſuper omnia opera Dei; & tamen illas affirmant quidam, hanc negant, longè quidem magis affirmandam, tum ex diuinis, & humanis auctoritatibus, tum ex rerum indigentia, tum ex manifeſtatione per omnes operationes; tum ex Dei Majeſtati conuenientia, vnde D. Hier. exclamat; quod omnia ſentiunt, etiam Creatorem, nedum quod bonum eſt ſibi, & quod nociuum.

RATIO OCTAVA, EX ANIMATORVM particularium ſenſu, iuxtà S. Textum.

PRætereà in 1. Gen. Deus inſpirat immediatè homini viuentem animum: Plantis verò, ac beſtiis, & piſcibus, ab aquis, & terra educit animas, dicens. Producant aquæ reptile animæ viuentis reptilia, & volatilia: ſimiliter dixit Deus. Germinet terra herbam virentem; & faciant ſemen, &c. Et mox producat terra animam viuentem, &c. iumentum, & reptilia, & beſtias terræ, iuxta ſpecies ſuas; & factum eſt ita, & fecit Deus beſtias, &c. Et paulò ſuperius: Et creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem. Vbi Auguſt. & alij Patres dicunt. non de ſubſtantia ſui fecit Deus animas brutorum, & plantarum, nec ex nihilo; ergò de ſubſtantia aquæ (aiunt) & terræ, in quibus erat ſenſualis vis conuertenda in corpus: & Caietanus ibidem ait, quod tunc ſuo præcepto non dedit Deus terræ, & aquæ, nouam virtutem educendi animas, ſeu ſubſtantiam aliquam, ſed tantum vt de ea, quam habebant, facerent animas. Et Nyſſ. ait: *Imperauit Deus Terræ, vt de eo quod erat, non de eo quod non erat producerent animas.* Athan. etiam de ſubſtantia Terræ, non de nihilo educit animas bru-

torum, vbi Aug. ſubiungit, quòd quamuis Deus terræ iuſſerit de ſui ſubſtantia producere animalia, tamen ſubiungit textus; & fecit Deus iumentum, reptilia, & beſtias, &c. quoniam formationem animalium iuxtà ideam ipſorum, nec Cœlum, nec Terra, nec Angeli potuerunt facere, ſed Deus ex eis. Igitur ſecundum Auguſt. in Terra eſt vitalis ſenſus, & amor, & poteſtas; non enim creatio hic, ſed factio, quæ pertinet ad ornatum, ex iam creatis celebratur. Licet enim Deus poſſit facere ex nihilo animas, tamen ſolam humanam vnam inſpirauit: cæteras verò ab elementis educit: Nec inſpirare potuit de ſubſtantia ſui, vt putant Stoici, & Manichæi, cum ſit impartibilis, & immutabilis, & non corporeus, vti putant Stoici. Anima autem mundi & Colchodea, & Angeli, & quicquid fingitur, non poteſt dare animas neque de ſui ſubſtantia, cùm ſint incorporeæ, & non partibiles; nec de nihilo cum ſint poteſtatis finitæ, ergo ait Aug. 3. de Trin. c. 8. Angeli, & cœlum ad productionem animarum irrationalium ſe habent ſicut agricolæ ad productionem frugum: quas nec de ſui ſubſtantia, nec de nihilo, ſed aliunde ſubminiſtratis cauſis producunt. vnde miror quî ex cœlo ſenſitiuam, & vegetatiuam, noſtrorum quidam afferunt, contra Auguſt. ſententiam, qui hoc excludit: propтereáque putat, quòd in toto mundo ſunt ſemina animarum irrationalium, nedum aliarum rerum, præcipuè in aqua, in aëre, & in terra, vt dicit 3. ſuper Gen. 14. correſpondentia verbi Dei rationibus æternis. vnde in 3. Trin. 9. ſicut matres (ait) grauidæ ſunt fœtibus, ſic iſte mundus grauidus eſt cauſis naſcentium primordialiter, ac originaliter in quadam textura elementorum, cuncta creata ſunt: ſed acceptis opportunitatibus prodeunt, &c. ergò ſecundum Aug. Animæ ſenſitiuæ ſemen eſt in mundo; & hic eſt ſenſus rerum, qui in ſpiritum animalem tenuem coaleſcens conſtituit animam brutorum. vnde ait ibidem Auguſt. ſed ne de animalibus, quaſi diuerſa ratio moueat, quæ habent ſpiritum vitæ cum ſenſu appetendi, quæ ſecundum naturam ſunt, vi tandíque contraria, &c. Item ſuper Gen. lib. 7. cap. 1. & 2. diſputat quòd Deus non potuit facere animam hominis de ſui ſubſtantia; quoniam eſt immutabilis, & cap. 3. & 4. nec de ſubſtantia aëris, quoniam (ait) anima eſt incorporea, flatus verò corpus. Nec de nihilo (ait in cap. 5.) quoniam requieuit die ſeptimo à creandis ex nihilo. Imò ante dierum curricula facta eſt creatio ex nihilo cœli & terræ; cætera verò quæ pertinent ad ornatum, ex his ſunt. 5. ex cœlo & terra, vel ex his quę ſignificantur per cœlum, & terram, vt ſæpè repetit Auguſt. Mox quærit in eodem cap. 5. & 6. an ex flatu, ſeu ſubſtantia incorporea, quæ eſt, vt ſit materia animarum creata à principio, quemadmodum & ſeminales aliarum rerum Rationes: ſicut ex terra, & aqua fiunt corpora. Et huic opinioni quaſi adhæret, & quærit vtrum, & materiam ſpiritualem animarum, & in ea rationes primordiales antè creauit, ſicuti materiam corporum, & rationes formandorum eorumdem,

& vtrumque videtur aſſerere in cap. 6. mox in 7. diſputat, an materia illa ſpiritualis animarum vis eſſet, & viuificaret corpora: an otioſa ſine vigili ſenſu motúque vitali quieſceret? ſi enim non erat vita; ergò nec erat animarum materia viuentium. ſi erat vita: vel (quæritur) beata, vel miſera, vel neutrum, ſi neutrum, ergo non erat rationalis; ergò nec poſſunt ex ea fieri animæ rationales. Mox concedit, ſicut infans (ait) eſt rationalis poſſibilitate, non facultate, ſic materiam animarum. Deinde quærit in cap. 8. ſi erat beata materia animarum, quomodo non in melius conuerſa eſt, cum ſit anima hominis, & beatior? ſed miſerior? etenim ſi ex informi formatur, profectò decoratur, ergò magis beatur. ſed forſan (inquit) eſt beatæ alicuius vitæ defluxio, quæ nil patitur in ſe, cum ex ea defluit anima. Non enim eſt corpus, vt tanquam exhalando minuatur. Deinde in cap. 9. diſputat, quòd, ſi anima rationalis ſit ex anima irrationali, & irrationalis ex corpore elementari, tunc anima rationalis erit etiam ex corpore elementari: quod reputat impoſſibile. Deinde reprobat tranſmigrationem animarum ex hominibus ad bruta; & è contra. Item in cap. 11. reprobat opiniones Manichæorum, qui de ſubſtantia Dei animas faciunt, & omnia animata Deo, etiam vermiculos, & herbas & in cap. 12. nec de terra, nec de aqua, nec de aëre, nec de corpore aliquo cœleſti vel terreno animam humanam fieri probat. Item in cap. 13. & 14. non eſſe aliquid elementare. & quamuis Medici ſpiritus vitales miniſtros ſenſoriorum putent eſſe animas humanas: Tamen hos ſpiritus (inquit) ad ſummum lucidos, & ſenſuales agnoſcimus ad percipiendum corporea. Mens autem hominis diuina ſapit, & à ſenſibus ad contemplandum ſe ſe alienat. ergò non eſt de natura aëris, & lucis, ſicut ſpiritus medicorum: per quem mens corpus regit. Mox docet ex anteriori cella capitis per neruos diſtribui ſenſum per ſpiritum ſentientem: ex poſteriori verò motum; & in media memoriam locari, quæ vtrumque connectit. ex dictis Medicorum hæc affert, quibus non negatis, tamen animam humanam eſſe quid meliùs incorporeúmque docet. & in cap. 19. ſpiritum, quem vocat aërem lucidum, facit animæ nuncium eorum, quæ ſentit in organis. & ſpiritu (ait) deficiente anima abſcedit; corpúſque moritur. Deinde quod anima non ſit de materia cœli oſtendit, quamuis ſpiritus aëreus, cælicúſque ſit ei ad miniſterium. Tandem his dubitatis, cauſalem rationem animæ dicit eſſe diem, id eſt lucem (ſpiritalem) informem, quę in 6. die Creationis ſit ſpiraculum vitę hominis à Deo, ſed cum dies ille ſit Angelicus, ſequitur, quòd anima ſit de ſubſtantia Angeli, vt Plato dixerat in Timeo. Negat tamen Auguſt. cum Platone, quòd Angelus ſit plaſmator animæ humanæ ac demum concludit, ita eſſe creatam in ſua materia ſpiritali, non præſciam malorum, & Dei nutu inclinatam fuiſſe ad animandum corpus, volens & ipſa operari, ſicut Deus operatur in eis, veluti dicit in cap. 24. & 25.

Ex quibus Auguſt. diſceptationibus elicimus, animas humanas puris, ſicut & Angelus, conſtare primalitatibus, non corporatis; brutales verò participio earum corporatarum; ita vt ſpiritus vitales ex eis, & corpore lucido fiant; qui ſpiritus ſunt animæ ſenſitiuæ brutorum, & inſtrumenta humanæ Mentis in homine. Item quod Auguſtinus non audet dicere, quòd Deus fecit animam Adæ in ſexto die ex nihilo. Nam homo, & cætera facta poſt creationem cœli, & Terræ, vocantur Moſi ornamentum. *Igitur* (ait) *facti ſunt Cœli, & Terra, & omnis ornatus eorum.* Ornamentum autem non creatur, ſed fit ex creatis. Igitur præiactat Auguſtinus ſpiritualem materiam animarum, vnde fiant animæ, ſicut corporalem materiam corporum, vnde fiant corpora, in principio, ante dierum ſucceſſionem, vel cum dicitur, *Fiat lux,* pro qua materia animarum ſpirituali, nos intelligimus primalitates, ſcilicet potentiam, ſapientiam, & amorem, ex quibus etiam Angeli eſſentiantur, ſed ſuperiori ſpecifico gradu vel generico, & propterea in 9. & 10. de Trin. ait Aug. quod Mens, Notitia & Amor ſunt ſubſtantialiter in Anima: & ſunt vna vita, & vna eſſentia. Nec dicimus, creatas has primalitates informiter, & ſeminaliter, vnde fiant nunc animæ, ſicut hoc in loco dicit Auguſt. ſed ex nihilo fieri animas humanas, ſicuti alibi mutata ſententia, idem Auguſtinus declarat. Attamen eſſentiari dum creantur hiſce primalitatibus, ſimiliter nec tenetur illa ſententia hic affirmata ab illo, quod animæ humanæ fiant ex defluxu ab anima mundi, ſicut lux de luce. Non enim defluxus datur, vnde nec partitio, nec multiplicatio rei illius intereſt, ex qua creditur iſte defluxus. Lux enim multiplicatur corporaliter, non autem Mens, vt etiam S. Bonau. aduertit. Quod ſi Auguſtinus non audet facere animas humanas ex nihilo, ſed ex præiacta materia ſpirituali: longè minus beſtiarum animas ex nulla facit materia, ergo ex primalitatibus ſeminatis in elementis: ex nihilo enim fit quod ex nulla ſui parte fit; non quod non in alio fit. Nam Mens humana fit in corpore humano organizato, at ex nihilo, vt S. Theologi admonent: ergo ſpiritus brutorum eſt ex præiactis ſentientibus, mobilibúſque cauſis, cum fit ſentiens, & mobilis: vnde vocatur ſpiritus vitæ, & motabilis à Moſe. Imò ex lucidis, & calidis etiam fit, quoniam lucidus, & calidus videtur Auguſt. & Thomæ & Alberto, & Athanaſio, & Lactantio, & aliis infrà citandis. Quando ergo dicitur, *Producat Terra animam viuentem.* Non ſolum materialiter intelligitur, ſed actiuè, & eſſentiatiuè: quoniam vis animaſtica in terra erat conſiſtens in participio caloris potentis, ſentientis, & appetentis, vt dixit Ariſt. & Auer. quos S. Bonauentura dicit eſſe concordes cum Auguſt. in hac ſententia in 2. d. 15. q. 1. In elementis ergò eſt ſenſus, & motus, vt ſemen animæ ſicut Albert. dixit in 17. de Animal.

Roboratur expoſitio Auguſtini ab omnibus Patribus. Bern. enim, ait

ait ſerm. 81. in Cant. Animæ humanæ, idem eſt eſſe quod viuere, non autem quod beatum eſſe; ſicut Deo, ergò per ſe abſolutè immortalis eſt, non autem beata: Animæ autem brutorum non eſt idem eſſe quod viuere, quoniam, non ſunt vita, ſed ſunt vitales. igitur moriuntur. & cauſam aſſignat, quoniam ex elementis, ſunt; vt dicunt, ſcilicet Philoſophi, & Theologi) humana autem à Deo. Eadem ratione Bernardi vtitur Ambroſ. in lib. de Bono Mort. cap. 9. ergo ſicuti probat Auguſt. vita beſtiarum eſt elementati ſpiritus vitæ, conſequens eſt, vt elementa ſentiant pro modo ſuo apud Auguſt. & Ambr. & Bern. Idemque probatur ex Ambroſ. 2. Hexam. cap. 3. vbi ab igne plantas, & feras dicit animari. Et in 3. libro, piſces ab aqua: ab aëre verò omnia: Idemque probat in lib. de Noe. Similiter & D. Thom. in 3. cont. Gen. 23. Vapor (ait) tenuis diffuſus per membra animalium, ſpiritus eſt. & in cap. 20. corporalis vita animalium eſt per ſpiritum vitalem à principio vitæ (id eſt corde) in cætera membra diffuſum: idem dicit Alb. lib. de Homine, &c. Hic ſpiritus ab Auguſtino vocatur aër lucidus, id eſt ſenſitiuus, iuxtà ſecundam acceptionem lucis: ergò in aëre, & igne eſt vis ſenſitiua ſecundum Patres, & D. Thomam; & expreſsè Auguſt. in 3. ſuper Gen. 5. ab igne ſenſum accerſit, & contrà Ariſt. negat de ſubſtantia cœli eſſe animam, vt ſuprà: ergò cum Ariſt. ab igne negat animam, & fatetur ab aliis elementis, quandoquidem nec potuit à calore negare, quem quodammodò facit omnium animam in libro de Animal. 3. & in Probl. & in paruis Naturalibus; negat vtique ab ardenti calore, non à blando igne, cuiuſmodi reputauit elementum Stellarum, licet ineptè; cum videret & ignem noſtrum moderatum generare plantas, & vermes; eo enim Calabri de ſemine ſerici eliciunt vermes: & Germani calore ignis ſeruant arbuſculas Arangiorum intrà caſas, quas ſubdiù viuere non poſſe nouerant. Ex ſacris literis ergò omnis anima fit ex elementis, ſeminaliter ipſas continentibus in luce, motu, & tenuitate, inque participio poteſtatis, ſenſus, & amoris, corporato, excepta Mente humana, quæ ſpiraculum Dei eſt ex nihilo. Item elementa omnia ſentire, quoniam non dant quod non habent. & Textus ſacer, & Doctores citati, dicunt, ex ſe, non ex nihilo, elementa animas produxiſſe, vt mox melius agnoſcemus omnium teſtimonio.

RATIO NONA EX PASSIONE ANImaſtica morborum in pannis & pellibus, & parietibus; quæ videntur non ſentire, & tamen naturaliter ſentire conuincuntur.

PRæterea Moſes Leuit.13.& 14. Lepram veſtimentis, & pellibus, & pannis, & parietibus euenire dicit eandem, eodémque modo paſſionéque, quo animalibus; eandémque curam illis, & his adhibet vbi ſanè manifeſtè docet affici inanimata paſſionibus animatorum, quatenus animatorum: quoniam ſenſus ineſt etiam in illis. Ait quidem: Si apparuerit plaga lepræ in panno laneo, vel lineo, vel in pellibus, rufa vel alba (ſicut in cute hominis de quo paulo antè dixerat) recludat eam Sacerdos ſeptem diebus (ſicut ſequeſtrantur etiam leproſi homines) & ſi viderit deinde faciem priſtinam non reuerſam, nec creuiſſe lepram, comburatur veſtis, quoniam infuſa eſt in ſuperficie, vel in totum lepra. Si autem obſcurior poſt lotionem fuerit locus lepræ (vt ſolet euenire in carne hominis) abrumpat eum à ſolido, & diuidet. Quòd ſi apparuerit in locis, vbi non erat lepra, tunc lepra volatilis eſt, & vaga: & debet igne comburi. (Similiter in cap.14. ait. Cum fuerit plaga lepræ in domo, eijciantur foras omnia, &c. & conſiderans Sacerdos, ſi viderit in parietibus quaſi valliculas pallore, ſiue rubore deformes, & humiliores ſuperficie reliqua, (ſicut accidit in cute humana) claudet illam Sacerdos ſeptem diebus: & poſt ſeptem dies ſi viderit creuiſſe lepram, iubebit erui lapides, & proijci extrà ciuitatem in locum immundum; domum autem radi intrinſecus per circuitum (ſicut fit homini leproſo) & ſpargi puluerem raſuræ extrà vrbem lapidéſque alios reponi pro his, qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum. Quod ſi poſtea viderit reuerſam lepram, & parietes reſperſos maculis, lepra perſeuerans iudicabitur: & diruetur domus: & ligna, & lapides; & pulueres extra ciuitatem proijcientur in locum immundum, &c. Hæc S. Moſes, ex quò certiſſimè infertur ſenſum naturalem in veſtibus, in pellibus, & parietibus reperiri, vt in rationibus prioribus concludebamus. Afficiuntur enim, ſicut res ſenſatæ iiſdem malis, affectionibúſque: licet non ſit hoc tempore eadem paſſio; vel quia non conſideratur, vel quia lepra noſtra non eſt adeò vehemens contumáxque, ſicut Iudaica, quemadmodum in medicinalibus docebamus, quòd poſſit plagare parietes. At Magi hoc facilè perſuadent ex eo, quòd pellis ouina extenſa in tympano, pulſata rumpitur ad ſonitum alterius pellis lupinæ alterius tympani: & ſimiliter fidiculæ ex ipſorum inteſtinis factæ, patiuntur in cytharis. Aquilæ penna poſita inter pennas colum-

binas, iſtas frangit, deſtruitque per antipathiam. Et linus, & pilus, in aqua tepida, animaleſcunt, & mouentur. Similiter ſi pulſaueris fidiculam primam vnius Citharæ vniſonam alterius alteri, mouetur hæc ſponte ad ſonum illius, quod ſuperpoſita palea ſaltans ſponte ex ea, oſtendit; quæ in alia molliori, & ad patiendum faciliori, non mouetur: ne dicas ex aëris commotione, non ex ſympathia ſic accidere. Coluber etiam occiſus fraxini fugit vmbram, ſe ſe mouens non ſecus, ac ferrum ad Magnetem. Amputatus naſus, refectus ex brachio ſerui, mortuo ſeruo, emarcuit in Hero, vti cadauer marceſcebat in ſepulchro. Item, vt notat S. Athanaſius, vinum in dolio, dum floret vinea in agro, confloreſcit, & nos vidimus: vnde ex conſenſu, & diſſenſu rerum fieri actionem in diſtans remotúmque ens, plurima ſunt experimenta; quibus aër conſentire medius probatur, & deferre mutuas paſſiones, vt in lib. de ſenſu rerum oſtendimus. Similiter ex ſomniorum communicatione per aërem Ariſt. ſomnia dixit fieri à Natura, non à Deo; *quoniam Natura, dæmonia*, id eſt, *ſapiens, ſeu ſenſu prædita eſt*: vt apparet ex libello eius de ſomniis, idémque aſſeruit in 3. de Gen. anim. dicens, *quodammodò omnia animæ ſunt plena.*

Præterea peſtis contagioſa idem pro Moſe manifeſtat; atque venenum. Non enim punctura ſcorpij aut viperæ tumefacit venenátque modica, exiliſque totum hominem, quatenus calida: Hoc enim magis faceret ignitum ferrum. Nec quâ humida: quoniam plùs id faceret aqua, aut aër. Nec quâ frigida: ſic enim plus poſſet nix. Nec vt ſicca quoniam terra ſigillata, & pumix potiùs id præſtarent: ergò in elementis, & elementatis alia inſunt principia ſuprà qualitates vulgò notas, & quid diuinum, vt fatetur Hippoc. & hic eſt ſenſus rerum, vis, & amor. Vides cane rabido morſos in caninos verti; quod latratu, excrementis, & canum imitatione oſtendunt: ſic morſi à rabido Gallo, gallum imitantur, alas excutiendo, & cantando, & à Cato rabido, catorum ritus, & voces æmulantur, non electiuo, ſed naturali ſenſu: vnde palam eſt, ſenſum rabioſi canis multiplicari in commorſo, non autem non rabioſi; quoniam huius vires minus vehementes ſunt: ſicut lepra Græca differt à Iudaica.

Pelles etiam, & panni ſeruant peſtem, ſenſu ipſorum affecto, non materia ſola, quæ intacta perſeuerare videtur à plaga noſtræ peſtis; quam patiebantur manifeſtam à Iudaica, & qui ſic non philoſophatur de huiuſmodi morbis, qui (vt Hipp. ait) habent quid diuinum, rationem reddere non poteſt, ſicut oſtendimus in 6. Medicinal. ex diuini Moſis, & magni Hippocratis doctrina; & rerum natura: venena enim, quæ corruſione, aut ſuffocatione enecant, non ſunt multiplicabilia, ſicuti quæ ſenſitiuo principio vehementer affecto, ac proinde multiplicabili contagione ſerpunt atque vagantur: vt de lepra vaga, & volatili S. Moſes expreſſit.

PROBATIO DECIMA EX EO, QVOD omnes creaturæ, ſentiunt, amant, obediunt, laudant, benedicunt, naturaliter pro modulo quæque ſuo, Deum Creatorem, & Gubernatorem, iuxtà ſenſum S. Scripturarum.

TAndem non modò viuere dicuntur omnia in S. literis, ſicut in Eccl. 42. *Omnia hæc viuunt, & in neceſſitate obediunt ei*: & alibi: *omnia viuunt Deo*: Sed etiam operationes vitales, & ſenſitiuas, & rationales erga Deum habere manifeſtatur. Dauid enim dicit: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Et alibi primo cæleſtia accerſit ad laudem conditoris: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum omnes Angeli eius*, &c. *Laudate eum Sol, & Luna, omnes Stellæ, & lumen: cæli cælorum, & aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt, &c.* Deinde vt notat Auguſt. omnia terreſtria inuitat dicens: *Laudate Dominum de Terra, Dracones Abyſſi, ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Montes; colles, ligna fructifera, beſtiæ, pecora, ſerpentes, volucres. Reges homines, &c.* Quapropter eſt aliquis ſenſus communis omnibus creaturis, quo conueniunt, & Deo obediunt, & laudant præter animalem, & rationalem; in quo non conueniunt: vnde alibi idem Propheta ait: *Benedicite Domino omnia opera eius in omni loco Dominationis eius.* Similiter Daniel 3. *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & ſuperexaltate eum in ſecula.* Et mox ſigillatim ex propoſito non temerè inuitat creaturas rationales, incorporeas, & corporeas, animatas, & inanimatas, quaſi vnico choro, vnicóque conſenſu conuenientes ad laudem Creatoris. Iob. 38. etiam Deus dicit in exordio rerum: *Cum me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Vbi cæleſtia animata ponit laudantia Deum vnà cum Angelis: vnde Eccleſia ait; quod *Cæli, & cœlorum virtutes, & Angeli,* &c. *inceſſabili voce proclamant.* Similiter Baruch 3. *Qui emittit lumen, & vadit, & vocauit illud, & obedit illi in tremore, Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt, & dixerunt, Adſumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Multáque his ſimilia habes in Eccleſ. 42. & 43. & paſſim in tota ſcriptura Dei, quam mentiri, aut mentiendi, & deceptionis occaſionem tàm ex induſtria dare, ſi quis dicat, impiiſſimus, & imperitiſſimus eſt. Ex operibus enim rerum ipſarum ordinatiſſimis, ex mundi, & animalium conſtructione, & communi lingua creaturarum, qua laudant Deum, operantúrque diuina quadam ratione, poſſimus & ſenſum illarum, & Dei factoris, & Gubernatoris intueri, vt in Sap. 13. Salomon copioſè dicit: & demonſtrat ſyllogiſmus

Negare ergò ſenſum naturalem elementis, & inanimatis, non minus imperiti eſt, quàm animalem brutis, & rationalem hominibus, ac ſimul S. ſcriptoribus illudere. Regula eſt Auguſtini ſupra citata, Quod illa expoſitio ſacri Textus tenenda, quam literaliter S. Scriptura inſinuat. Hanc autem de ſenſu naturali, & amore naturali rerum, habemus literaliter, & Philoſophi, & Theologi eidem conteſtantur, ergò immanis impietas eſt Epicuræorum, & inanis timor, aut præſumptio indocta eſt quorumdam ex noſtris Theologis, qui ſtudium in hac inueſtigatione non adhibuerunt, negare omnes ſcripturas Dei propter noſtram craſſam cogitationem, qua putamus res non ſentire, quoniam non habent oculos, & aures; vnde eodem errore quis diceret, ventos non moueri, quia non habent pedes, alaſque.

Propterea mirificè S. Thomas docuit in P. P. q. 60. ar. 5. & in p. 2. q. 109. ar. 3. omnes creaturas, animatas & inanimatas, & quæ habent cor, & iecur, & appetitoria inſtrumenta, & quæ non habent, amare Deum pluſquàm ſe ipſas, oſtendit ratione, quia eſſe eſſentiatur amore, vnde tantum habent de amore, quantum de eſſe. confirmátque ex Ariſt. & S. Dionyſ. ex quo in Antimach. cultum creaturarum ergà Deum ad confuſionem Epicuræorum, oſtendimus.

Mirificentiſſiméque diuinus Hier. ex eiſdem ſcripturis concludit argumentum in 8, Mat. ſcribendo: Ex hoc loco, quòd nimirũ Chri- "
ſtus Deus increpauit ventos, & mare, & obedierunt) intelligimus,
quòd omnes creaturæ ſentiunt creatorem. Quas enim increpauit, & "
quibus imperauit, ſentiunt imperantem. Non errore hæreticorum, "
qui omnia putant animantia, ſed maieſtate conditoris, quæ apud
nos inſenſibilia ſunt, illi ſunt ſenſibilia. Item idem Hier. in Ezech. x. "
exponens locũ illum. Hoc eſt animalia omnia (ait) viuunt Deo, & "
ſentiunt ſuum creatorem: Non enim eſt Deus mortuorum, ſed viuentium. "
Vnde omnia corpora rotarum plena oculis (ideſt virtute
cognoſcitiua aliquo modo) & cæli enarrant gloriam Dei, & ſol, & "
luna, & Maria, & Montes. & ſuper Ezech. 1. declarat, quod ſecundum quoſdam interpretes ſacros (quibus cum conuenit Origenes) quatuor animalia Throni Dei (ideſt mundi) viſa Ezechieli, ſunt quatuor elementa, ignis, aër, aqua, & terra, & quatuor rotæ quatuor commiſturæ elementorum, vel quatuor tempora; & mox declarans illud. *Cumque ambularent.* Quatuor ait Rotæ, in quibus eſt ſpiri- "
tus vitæ, habent concordiam cum quatuor animalibus, ſequentes ea,
&per ea Spiritum ſanctũ, &c. quæ omnia iuxtà priorem intelligentiam "
prudens Lector variæ interpretationi poterit coaptare.) Vbi manifeſtè "
S. Hieron. elementa vocat animalia, in quibus eſt ſpiritus vitæ, qui à Spiritu ſancto regitur (vel miniſterio intelligentiarũ apud D. Thomam) & propterea (ait Hier.) in ſingulorum animalium alis viſuntur manus, quoniam à ſpiritu rationali manu tenentur reguntúrque. Eadem quaſi dixit Auguſt. & Gregor. Nyſ. & alij Patres. Quocirca

„ acutus Cuiet. in Gen. 1. cum dicitur, Producant Aquæ reptile, & producat terra animam viuentẽ, &c. concors Auguſt. ait: quod non „ materialem virtutem modò habet terra, vt præcepto obediens produceret. ſicut enim ſi dicatur ligno, vt producat ſcamnum, cuius ſolã materiam habet; nequaquam obediret. ſed etiam productiuam vitalem: quam ſeminalem vocat Aug. & inchoatiuas rationes, vt palam ſit elementis ineſſe ſenſum, vnde ſenſitiua anima oritur; & quo laudant, ac benedicunt Deum: & quo recta ab intelligentia ducuntur ad certos fines, vt dictum eſt.

DVÆ OPPOSITIONES CONTRA VIM *decimæ probationis.*

SEd contra huius argumenti vim duo opponi poſſunt. Primum quòd ex his auctoritatibus concluditur, quòd omnia entia non modò rationalia, & ſenſitiua, ſed etiam naturalia inanimata habent ſenſum rationalem, animalem, & naturalem. Si enim laudant, colúntque Deum, ſentiúntque, & amant pluſquàm ſe ipſa; ergò habent intellectum, & rationem, & ſenſum, & vitam. Quomodo enim ex cunctis rebus chorus Deo deorum ad concinendum conuenire queat, abſque Dei rationali notitia amoréque? Propterea viſum eſt quibuſdam Theologis, quòd ſacra Scriptura per Hiporbolem, aut per Proſopopeiam creaturas irrationales ad laudem Dei, & ſimiliter Hier. & Thom. dicunt ſentire creatorem, & amare pluſquam ſeipſas. ſcilicet per figuram.

Secundò idem dicit, quòd ſentiunt creatorem, non errore hæreti- „ corum, qui putant omnia animantia: ſed maieſtate conditoris, cui „ viuunt, & ſentiunt, quæ nobis ſunt ſine vita, & ſenſu.) Igitur ſecun- „ dum rei veritatem non viuunt, nec ſentiunt, nec ſunt animata, ſed quia vtitur illis Deus, vt lubet, & taliter, quòd videntur ſentire, & operari, quaſi animata, & rationalia.

RESPONSIO AD PRIMAM.

AD primã reſpondetur, quòd quicquid eſt in inferioribus creaturis, eſt in ſuperioribus eminentiori modo, & per eſſentiam, vt in Deo, vel per participationem copioſiorem, vt in intelligentijs, Mentibúſque rationalibus. Quicquid verò in ſuperioribus è conuersò eſt in inferioribus obſcuriùs tamen, & exiliori participio, vt S. Thomas, & S. Dionyſ. declarauerunt, & ordo Naturæ ſuffragãtur. Eſt autem triplex ordo Amoris (apud D. Thomam) erga finem & opera-

tiones in rebus. videlicet, Amor naturalis in Elementis, & inanimatis rebus, & Animalis in Brutis: & Rationalis in homine, & Angelis: vt patet ex p.2. q.12. & ver. q.23. de volunt.1.

Hi autem ità ſe habent, vt ſuperioris infimum attingat primum inferioris, & è conuerſo. Similiter autem triplex Notitia, ſcilicet Naturalis, Animalis, & Rationalis: & hunc ordinem ſeruant quemadmodum docet ex S. Dionyſ. D. Thomas in 3. d.26.q.2. & p.p. q.77. 7. quòd ſenſus animalis ex participio eſt rationalis, ſeu deficiens participatio intellectus; igitur, & appetitus, & vis perceptiua naturalis ex participio eſt animalis, ſeu deficiens ſenſus. Item ibidem ver. in q.25. de ſenſual.2. ſenſus (ait) quatenus recipit materialia obiecta eſt ſenſus, ſed quatenus recipit ſine materia, habet, vt ſit intellectus, & ratio. Igitur ſic & naturalis virtus quatenus appetit rem, & odit, vt res eſt, dicitur naturalis; vt verò patitur benè vel malè, & ex percepta paſſione ſectatur, aut fugit, tanquam amicam, vel inimicam dicitur ſenſitiuus animalis, vt in ſympathia & antipathia experimur. & hoc ſequitur neceſſariò ex regula S. Thomæ, ac Dionyſij diuiniſſimi. Amplius notandum quòd omnes rerum appetitus regulantur etiam extrinſeco inſtinctu, vel violento, vt lapis ſurſum proiectus; vel ſupernaturali, vt prædeſtinatus ad opus bonum; vel directiuo, vt diſcipulus à magiſtro, & equus ab equite, & ſpiritus ſenſitiuus à Mente rationali. & hoc fit aliquando conſentiente totaliter qui regitur, vt diſcipulus: aliquando non totaliter, vt equus obediens frœno, & remigans Nauis gubernatori. His præiactis.

Reſpondeo, quòd omnes creaturæ laudant, & obediunt creatorem non ſolum rationaliter, ſed etiam animaliter, & naturaliter. Quoniam Mentes & Angeli habent in ſe eminenter, quicquid appetitus, & ſenſus, & potentiæ habent animantia, & naturalia entia: ſed etiam naturalia habent obſcurè vmbrateliter, & per naturam, quicquid habent animantia, & rationalia entia. Quoniam habent capacitatem operandi, quod bonum eſt, ac proinde laudandi creatorem, & obediendi. & proptereà rectiſſimè D. Thomas ait, Quòd pro modo ſuo, & naturaliter, res cunctæ plus amant Deum, quàm ſe ipſas; & D. Hier. ſentiunt creatorem. Et ratio D. Thomæ fortiſſima eſt ex auctoritate, & ſyllogiſmo; quoniam naturale eſt plus amare totum quam partem, & vniuerſale bonum quàm particulare. Deus autem vniuerſale eſt, & totum ens, bonúmque. ergò quantum participant de Eſſe, tantum participant de Amore eſſendi. & quoniam Eſſe deficiens habent, & optant non deficere quemadmodum nec Deus deficit (vt nos hanc rationem confirmantes dicebamus) conſequens eſt, quoniam amant proprium eſſe, particulam totius, quod magis ament totum, amore naturali reali veróque, non figurato, & hiperbolico. Nam realiter, vti probat in 3. cont. Gent.21. & 24. omnia appetunt Dei ſimilitudinem, & inanimata. Hac etiam ratione dicendum eſſet cum Hieron.

quod omnia ſentiunt intrinſecè creatorem dantem eſſe, & conſeruantem; A quo, dum recipiunt eſſe, & conſeruari, amant eſſe, & conſeruationis fontem. Sicut autem appetunt, ſic ſentiunt, vt mox probabimus, & ſupra probatum eſt. Præterea dico etiam quod omnes creaturæ amant, ſentiúntque creatorem, laudántque, colúntque, non modò ex innata vi, participante vires ſuperiorum creaturarum intrinſecè. Sed & exteriori inſtinctu rationalium creaturarum, ſicut dicebamus, quod opus naturæ eſt opus intelligentiæ mouentis rationaliter: non vi, vt ſagittator, nec ſupernaturaliter, vt prædeſtinator, ſed directiuè vt Magiſter, & eques, & Mens; maximè autem, vt pater ſpirituum. & propterea dixit Hier. quod elementa ducuntur ſpiritu vitali ſeu vitali vi. ſpiritus autem rerum à Spiritu ſancto ducitur. At per intelligentiam etiam non errantem, quæ participat à Spiritu ſancto concauſationem, vt dicebat S. Thomas, & omnes Philoſophi præſtantiores. Habent autem hunc inſtinctum exteriorem res cunctæ ijs in operationibus, in quibus non agnoſcunt per ſe finem, vt ignis tendens ſurſum ad ſui immortalitatem. Nam etſi ſentit paſſionem, deſtructiuam, à telluris viribus ſibi contrariis, & voluptuoſam ex acceſſu ad cognata corpora cæleſtia, haud tamen finem nouit. Et hoc eſt quod S. Thomas dicebat, omnia ad finem tendere, ſed quædam ad non præcognitum, vt naturalia. Et hoc verum, quoniam paſſione ſenſitiua delectabilis, & contriſtabilis ſola afficiuntur, vt calor, & frigus contrà inuicem pugnantes; Alia cognoſcunt finem, vt canis coeundo, non autem rationem finis, quia. ſ. propter immortalitatem, quam conſequitur ſucceſſione prolis. hoc enim vix homines ſciunt omnes. Aliæ ſentiunt finem, & rationem finis, vt homo, & Angelus; qui propter finem media diſponunt rationabiliter. Igitur naturalia opus habent inſtinctu ad finem, & rationem finis, non autem ad paſſionem qua verè afficiuntur ſenſitiuè, & ſenſitiuè appetunt, aut oderunt. Animantia inſtinctu ad rationem finis. Rationalia quoad finem, & rationem finis conſequendum ſupernaturaliter. Propterea res omnes laudant, ſentiunt, adorant, amant, ſentiunt Deum. &c. vt in Antimac. probauimus, tum ex intrinſeco participio ſuperiorum, tum ex inſtinctu. addito in his, quæ deſunt de Amore, & Notitia.

Igitur quoad opera rationalia dictum eſt à quibuſdam Doctoribus, quod dicantur per Proſopopeiam, vt Benedicite omnia opera Domini Domino; &, omnia faciunt Verbum eius. &, Terra audi Verbum Domini, &c. quod non ſatis intelligentes moderni totum opus laudis, & obedientiæ, & cultus Proſopopeiæ ità tribuunt, vt nihil de ſenſu rebus indant; & falluntur. Proſopopeiæ enim eſt inter creaturas, quarum altera alterius non ſentit nec facit operationem. Vt cum dicimus in aduentu Regis, eridanum fluuium cornua aureata lætantur

ta lætanter extuliſſe; & pinus, & fontes, laudabant eum, & geſtiebant ſydera. Hoc enim falſum eſt phyſicè ſumptum, quoniam fluuius; & arbos ſenſum de Regis aduentu non habent vllum; quoniam ipſorum eſſe, & operatio non dependent à Rege, ſicut populorum gubernatio, & res; aut ſicut vita Apum dependet à floribus, quos ità à longè ſagaciter norunt, vt cania lepores, nobis ignotos. Vnde Hiperboles, & proſopopeia eſt dicere, quod homo ſentit lepores, non viſos, nec auditos; aut flores. id quod eſt verum de cane, & Apibus. At cum cæleſtia, & terreſtria laudant Dominum, & cum dicitur. *Benedicite omnia opera Domini Domino*) ſecundum rem non eſt pura Proſopopeia grammaticalis, ſicut eſt nobis: quoniam verè omnium entium eſſe, & operari pendet à Deo, qui magis intrinſecus eſt rebus, quàm ipſæmet res ſibi, vt dicit Auguſt. & propterea quando D. Thom. ait, quòd Omnis creatura amat Deum magis quam ſe ipſam. Et Dionyſ. Omnia entia amant Deum, vt principium, & finem, & continentiam, vt bonum, quod conuertit omnia ad ſe) nec eſt Hiperboles, nec Proſopopeia, ſed veritas Phyſica; niſi ſecundum noſtrum modum ſciendi: qui quoniam neſcimus quomodo hoc fit, reputamus Hiperbolem, & Præſopopeiam, ſicuti quandò vocamus arbores, vt audiant noſtras voces, quas non norunt, quoniam alienas extrinſecáſque: noſcunt autem diuinas in participio ſui eſſe, & virtutum naturalium. Similiter cum Hieron. ait. Omnes creaturæ ſentiunt creatorem imperantem, & obediunt; ac Plato, & Theodorus, Omnes, ait, adorant, & vouent Deo) non eſt Proſopopeia, nec Hiperboles, niſi quoad electiuum rationalem actum. non in natura, in qua eſt talis actus à regulante virtute, ſed in noſtra intelligentia; & forſan illis, ſecluſa intelligentia non errante, qua reguntur, vt dicitur 3. cont. Gent. 24. Hiperboles eſt, & Proſopopeia, non pura, vt volunt Epicuræi, ſed miſta, vt explicatum eſt nobis in cap. 9. lib. contra Atheos. Et hoc doctiſſimè S. Hieron. declarat, ne erremus cum ijs, qui ponunt Proſopopeiam inter creaturas, & Deum, ſicuti inter nos, & creaturas, ſubiungens: Omnia ſentiunt maieſtate cōditoris, cui ſunt ſenſibilia quæ nobis inſenſibilia, id eſt, nō ſenſitiua: quoniam videlicet ab eo pendent in eſſe, & operari, non à nobis. Igitur S Hieron. dicens cum Euangelio quòd Deo omnia viuunt, ſentiunt, & obediunt: loquitur de vita, ſenſu, & obedientia naturali ex participio quoad ſe: & rationali quoad regimen, cui ſubſunt intelligentiarum. Sic cum dicit Deus, Producat Terra animam viuentem, &c. non eſt Proſopopeia imò hæreſis eſt dicere, quòd ſit Proſopopeia. Nam verè ſenſit præceptum, & verè produxit, licet enim Terra Agricolæ non ſit ſenſitiua, eſt tamen Deo. Nec tunc dedit nouam vim producendi, vt Caiet. & Auguſt. benè conſiderant, ſed deducendi ad actum virtutis ſeminalis vitaliſque poten-

tiam: qua prædita erat ab initio. Cum verò Amb. & Baſil. dicunt tunc à Verbo Dei virtutem gignendi, accepiſſe, intelligunt de actuali, non de primordialis virtutis actu, vt benè diſtinxit ſolers Auguſtinus. & ſicut non eſt Proſopopeia, cum Deus dicit, *Producat terra*, &, *audi terra*, &c. & ſicut eſt nobis, cum dicimus: *Audi cæli quæ loquor, audiat terra* Verba oris mei, in Phyſico intellectu: Ità non eſt Proſopopeia, cum nos dicimus ad elementa, & cætera entia, Benedicite omnia opera Domini Domino, niſi reſpectu noſtri, vt dictum eſt.

Reſponſio ad ſecundam.

AD 2. Reſponſio. Quod S. Hier. ſibi non contradicit, cum ait in 8. Mat. non eſſe elementa, aliáque entia cuncta animantia, & in x. & 1. Ezech. quòd quatuor elementa ſunt quatuor animalia, quæ ſequuntur proprio ſpiritu vitali ſpiritum Dei; & ſentiunt, viuúntque. ſiquidem impropriè ſuper Ezech. dicuntur animalia, quatenus ſentiunt. Non autem omne, quod ſentit, eſt animal. Nam vt anima ſentit & ſpiritus ſentit, & caro ſentit, nec tamen ſunt animalia. Animal enim eſt ſpiritus intrà craſſam, incluſus, conſtitutus, corpoream molem, organis poteſtatiui, & cognoſcitiui, & appetiui, ad vtriuſque vitam communem coaptatis, diſtinctam: elementa autem eiuſmodi organa non habent. imò diſputat Clem. Alex. 8. Strom. 2. vtrum plantæ cum habeant organa, debeant dici animalia, vt Platoni placet, an non, vt Ariſtoteli. & quidem dicendum eſt, quod, ſi ex quo ſumitur nomen attendimus, elementa non ſunt animalia, vt beſtiæ, nec animata, vt plantæ, ſed ſolùm ſentientia, & mouentia ſe. Quando autem negat Hieron. eſſe animantia, negat iuxtà placitum hæreticorum, non abſolutè. Ait enim: Omnia ſentiunt, non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia. Qui autem hæretici ſic dixere, ſunt Manichæi, qui Deum bonum in conflictu cum Deo malo irretitum, aiunt, materia fuiſſe corporali; de qua paſſim extrahitur; & liberatur, donec totus; & ideò omnia eſſe animata ipſo Deo per vim materiato. Hoc docet Auguſt. in lib. cont. hæreſ. 46. & in libro imperfecto ſuper Gen. c. 4. ait hos hæreticos non ſolum dediſſe brutis, & plantis, ſentire, videre, audire, diſcernere, ſed etiam intelligere rationes, & cogitationes noſtras, idem in 7. Gen. c. 2. & in cap. 11. ait. Manichæi qui ſe Chriſtianos putant in hac opinione tranſlationis animarum, ſunt Philoſophis gentium deteriores. quod illi animæ naturam à Dei natura diſcernunt: iſti verò cum aliud nihil di-

cant eſſe animam, quàm Dei ſubſtantiam, atque omninò idem quod Deus eſt, non trepidant tam turpiter commutabilem dicere, vt nullum ſit herbæ, ſeu vermiculi genus, vbi eam non eſſe permiſtam, vel quò reuolui non poſſe, mirabili opinentur inſania, &c. & ſæpè idem Auguſt. hoc enucleat. Baſil. item hom. 8. in Gen. inquit exponendo, *Producat Terra animam viuentem, &c.* non ex ex anima quam habet, vt dicunt Manichæi, ſed vt educeret præſtitit facultatem, &c. quibus verbis non contrariatur Auguſtino & Caietano, & ſibi ipſi, qui ponit vim vitalem in elementis; ſed Manichæis, qui Deo animant ſubſtantialiter elementa. Hanc planè opinionem reprobat Hieron. cum ait, ſentire res cunctas, ac non eſſe animantes hæreticorum errore. At cum in 1. & x. Ezech. affirmat eſſe animantes, intelligit ſolùm ſentientes, vt dictum eſt. & ſic procedunt omnes Patres, cum hic errorem explodunt Manichæorum, Stoicis quoquo pacto communem: proptereáque negant animationem rebus, ſed non propterea, & ſenſationem.

CONCLVSIO.

ERgò error eſt, & materialis ſaltem hæreſis, negare vitam animaſticam rebus naturalibus. hæreſis autem formalis contra omnes ſcripturas negare vitam, & ſenſum omni modo. item eſt ridiculas ſcripturas, falſitatibus, & occaſionibus errandi de induſtria datis, plenas facere, & fabulationibus potius dignas, quàm diuino ſpiritu iudicare, vel iudicandas præbere: iuxta regulas Auguſtini, & Thomæ & S. Canonum.

QVARTA PHALANX ARGVMENTORVM, EX AVCTORITATE THEOlogorum, tam dogmaticorum, quam ſcholaſticorum, expreſsè, vel per neceſſariam conſequentiam, rebus cunctis ſenſum ineſſe confitentium.

Ex Dionyſio diuiniſsimo Apoſtoli Pauli diſcipulo.

DIONYS. de cæleſt. Hierarch. 15. Ignis, ait, eſt ſenſibilis (id eſt ſenſitiuus) in omnibus, & per omnia proficiſcitur, &c. omnia ſuperat, & in ſui traducit officium; omnia renouat calore vitali, mouet complectitur omnia, cum tamen aſtringi ipſe non poſſit. Item 4. de diuin. Nom. p. 1. Lux illuminat omnia, creat, & viuificat, quia eſt imago ſummi boni, & cap. 5. ſol ſubſtantias, & qualitates permultas, & differentias, ipſe vnus cum ſit, & vniformem infundendo lucem, renouat, nutrit, ſeruat, perficit, diſcriminat, coniūgit, refouet, fæcundat, auget, immutat, implet, firmat, ſuſtollit, viuificátque omnia. Et quodlibet ſuo modo eſt particeps ſolis. & ſol vnus cauſas omnium antè vniformiter cæpit. Multò magis ideæ rerum in ca uſa ſolis, & omnium vniformiter ſunt, &c. vbi ſanè docet, & ſolem, & lucem eſſe ſenſitiuum, & vitalem, & rebus vitam dare. & quoniam eſt Dei ſtatua Deum ideatorem & creatorem repreſentare: proptereáq; ei ſimilem eſſe, ergò & primalitatum participare multum, vt poſſit aliis elargiri. idcircò potens viribus deſcribitur, & cauſatiuus ad omnia formada, mutanda. itē ſenſitiuū ad omnia viuificāda, & amoroſum ad fæcundandū, & nutriendū, & appetitus ingenerandos. & quidem Nazianz. & Galenus has virtutes dant ſoli, vt ſit perfectè Pater inferiorum entium. Et quamuis idem Dionyſ. in cap. 4. p. 1. declarans gradus entium, dicat, Angelos, & animas rationales plus diuinitatis participare, vt omnia conuertantur ad ipſum, rationalia rationaliter, ſcienter, & gnauiter; ſenſibilia ſenſibiliter, & carnaliter; quæ autē ſunt ſenſus expertia, ingenito vitalis deſiderij motu. Et quæ vita carét, ſolumq; ſunt, ſola aptitudine participandæ ſubſtātiæ, &c. Tamē, vt paulò antè dicebat. Hæc omnia viuunt, & ſentiunt, & amant Deum Deo. Nam licet planta non ſentire reſpectu animalis dicatur, & Tellus reſpectu plantæ, tamen omnia ſentiunt primordialiter ex participio pri-

malitatum, vt idemmet fatetur ſæpè, quòd etiam amant omnia pulchrum, & bonum. Præterea intelligit plantas, & elementa, ſenſus ideò expertia, quia carent oculis, & auribus, cæteriſque ſenſoriis, quæ vocantur ſenſus ſæpiſſimè apud Doctores. Haud tamen propter hoc ſenſu naturali hæc priuat, ſed animali: omnibus enim natura conſtantibus, ſenſum, & amorem boni tribuit ſemper: ſiquidem in parte 2. eiuſdem cap. ex Hierotheo, amorem (dicit) ſiue diuinum, ſiue Angelicum, ſiue ſpiritualem, ſiue animalem, ſiue naturalem dixerimus, inſitiuam quandam intelligamus, commiſcentémque virtutem, ſuperiora quidem mouentem ad inferiorum prouidentiam: æqualia verò rurſus ad ſocialem ſui invicem communionem, ac poſtremo loco inferiora vt ad potiora, & ſublimiora conuertantur, adigentem, &c. Mox in p. 4. cum multa de amoribus dixiſſet, conglobat omnia in vnum amorem dicens pro modo cuiuſque ſubſtantiæ, amor ille integer, atque vniuerſus, qui ex his, quæ ſunt, omnibus naſcitur, &c. itaque affirmat, quod amor in cunctis rebus inſitus vniuerſaliter ſit, ſicut & Pſaltes dixit de Sapientia, *omnia in ſapientia feciſti*. Et Eccleſ. 1. *Effudit illam ſuper omnia opera ſua, &c.* Vt planè intelligas, Amorem, quem vocat virtutem (quoniam primalitas induta reſpectum, vt reſpicit ad exteriora, virtus dicitur ex Metaph.) cunctis ineſſe rebus, ſicut ſenſus, & poteſtas, licet in aliquibus, ſit occultus, ſicut dixit de igne in cap. 15. cæleſt. Hierarch. quod occultus eſt, vbi non apparet manifeſtus: & Marſ. Ficin. ſuper 3. Ennead. Plotini, *occulto*, ait, *calore viuunt, quæ manifeſtus deſtituiſſe videtur*; ità amorem vel naturalem cunctis inſitum, & ſi occultum, ponit Dionyſ. quemadmodum & D. Thomas interpretatur: Nedum erga Deum ſummum vniuerſale bonum, ſed etiam erga proprium bonum propriúmque eſſe. Nam & poſteriora, & inferiora (inquit) ad ſuperiora conuertit: & amplius æqualia conſociat, & virtus eſt commiſcens, & vniens? Quid clarius? Præterea nedum omnia entia participia eſſe amoris vult Dionyſ. vnde D. Thomas elicuit, quòd tantum de Amore habent, quantum de eſſe: ſed etiam non entia bonum amare fatetur in cap. 4. p. 1. At quomodo amant eſſe niſi ſint aliquo modo? & ſentiant ſaltem in idea, & ſi non ideato? Præterea cap 7. à prima vita Deo deriuat omnes vitas rerum omnium. Viuificantur enim (inquit animantes cunctæ atque arbores & ſiue ſpiritualem dixeris, ſiue rationalem, ſiue ſenſitiuam, ſiue nutritiuam; ſiue vegetatiuam, ſiue quamlibet vitam aut vitæ initium, aut vitæ ſubſtantiam, ex ipſa & viuit & viuificat, quæ ſuper omnem eſt, &c. Ecce quàm doctè vitam dat cunctis rebus; & enim quibus negat vitam, vt elementis, dat principium vitæ, id eſt vim ſenſitiuam, motiuam, & appetitiuam, ex his enim vita eſſentiatur, & conſtat, vt ex Auguſtino & Ariſt. & Baſ. nedum ex Dionyſ. probatur, & nos in Metap. demonſtrauimus. Vnde & Clem. Alex. *Qui vitam ponit ſine ſenſu*, ait, *ponit vitam ſine vita*. 8. Strom. 1. Item Dionyſ. ibidem c. 7.

Deum ſapientiam, & ſenſum, & rationem, vocat penetrantem per omnia. At non quidem ſicut ventus, aut lancea: ſed ſicut dans omnibus participium ſuæ ſapientiæ, vt dicit Eccleſiaſticus cap. 1. ergo ex Dionyſio, omnia ſentire habemus commercio Dei. Poſthæc, vnitatem ſimilitudinis poteſtatem, &c. in omnibus à primo vno deriuat: & à primo ente entitatem, &c. Sicut dixerat in cap. 5. vt nemini dubium ſit, quin non modò entitatis, vitæque, ſed etiam potentiæ, & amoris participium rebus cunctis largiatur: itaque & ſenſum, vt ſint integra participatio, deitatis Trinæ integrum teſtimonium: in rebus non mutilatum: nec de pauperatum in Deo, S. Bono, omnîfariam ſui diffuſiuo, quantum eſt opus, vt ſæpè dictum eſt.

Ex Gregorio Theologo.

" GRegorius Nazianzenus cognomento Theologus: cui nemo vnquam contradixit (teſte D. Thoma) in Orat. 34. Sol, ait, eſt
" vitæ dator, & pater animantum. At Sol luce, caloréque animat, vt ſuprà probatum eſt ex Philoſophis, & Theologis: calor ergò eſt vitalis, & animaſticus vt dixerat Ariſt. ergò & ſenſitiuus: vita enim ſenſu motúque conſtat, vt dictum eſt: vnde Athanaſ. & alij Patres dicunt, animam eſſe calidam. Igitur, & frigus ſentit; ſimiliter enim agit & patitur, vt calor, & fugit, & fugat: ergo & elementa. Conſentit ergo Nazianzenus Dionyſio, & nobis & Philoſophis.

Ex Magno Athanaſio.

SAnctus Athanaſius, cuius auctoritatem ita tuetur Eccleſia, vt ne-
" mo reſpuere auſus ſit: in lib. de definit. §. de Anima, & Mente,
ait; Anima beſtiarum eſt opificium ſuum: ex terra accipit iuxta man-
" datum Dei, *Producat Terra reptilia animarum viuentium.* Ergo ani-
" malia bruta ex Terra acceperunt animam ſuam; ideóque terrena ap-
petunt, non cœleſtia. Quomodo ex Terra, iuxta dicemus: dedit terra
" beſtiis iuxta præceptum Dei carnem; caro ſanguinem eſt operata;
" ſanguis autem animalis anima facta eſt animali irrationali. Ideò ſan-
" guis concretus fit caro, caro corrupta fit terra: ſed homo ex inſpiratione diuina animam accepit: ideò res diuinas agnoſcit, &c. Deinde vocat ignem vitale elementum, &c. Ergo Athanaſio terra dans animam eſt animaſtica, id eſt, ſenſu prædita, qui in carnem vertitur, & in ſanguinem, ex quo fit ſpiritus anima brutorum: ſic etiam Ambroſ. & D. Thomas, & alij Patres, ſpiritum vitalem ex ſanguine, vel humore,

qui ſanguini eſt proportionalis, vt dicit M. Alber. educunt, nutriúntque; & iuxta conſequentias Auguſtini neceſſariò Tellus ſentiat; ex qua anima ſenſitiua educitur quibuſcunque mutationibus, & ignis ſentit, ſi elementum eſt vitale, cùm præſertim animam calidam, dicat Athanaſius, deinde in §. de anima ſic. Anima eſt per ſe calida tanquam ardens ignis, ſicut ignis quæ ſunt in olla poſita coquit; ſic anima, quæ igneam naturam habet, cibos in ventriculo receptos conſumit. Nam anima non propterea dicitur Pſyche, quod frigida ſit, ſed quia magno ſuo calore humores abſtergit; ſicut Sol calidus cum ſit & igneus, ſiccat humum, &c. Quod autem anima ſit calida comprobatur ex morientibus, quorum membra, recedente anima, frigeſcunt. Quandiù anima abundanti cibo reficitur, viget corpus, & valet viribus. Quando verò deſtituitur cibis, abſumit corpus. Non enim poteſt corpus abſque cibo animæ caliditati reſiſtere, &c. Deinde ſedem animæ determinans, ait; ſicut Sol, aliquem locum occupat, & totam illuminat domum; ſic anima occupat cor, venas regias, & caput, & totum in corpus vitalem ſuam potentiam diſtribuit, &c. Igitur Athanaſio anima brutorum eſt ſpiritus calidus habitans in capite, corde, & venis: quoniam in corde fit ex ſanguine ſpumoſo miſtoque inſpirato aëri in venis regiis, id eſt arteriis, item ex attenuato ſanguine inceſſanter pulſatili, & in capite ex plexu ratiformi ſpiritus aluntur, vt nemo dubitare queat, quin Athanaſio calor ſit ſenſitiuus, & anima ſpiritus calidus, lucidus, tenuis, mobilis, participio primalitatum donatus: & quamuis videatur loqui de mente humana, haud tamen loquitur, niſi de ſpiritu, quo mens corpori vnitur, vt dicit Auguſt. & Mens dicitur calida per accidens, vnione ſpiritus, qui per ſe calidus eſt, & exemplum de calore coquente indicat, loqui de ſpiritu, vel de mente, vt ſpiritum informat; & ſic etiam Lactantius, & alij Patres intelligi debent. At quòd cætera entia ſentiunt, nedum calor, & ignis, & terra, vt ex dictis patet, oſtendit Athan. in quæſt. 23. vbi quærens, num animæ defunctorum ſentiant beneficium ſuffragiorum noſtrorum: Reſpondet, Quòd ſicut vitis floreſcit extra in agro; & odorem ſentit vinum in vaſe recluſum, & ſic confloreſcit & ipſum: ita animæ piorum precibus conſolantur.) Igitur Athanaſio res omnis ſentit, quod ſibi proportionatur, etiam diſtans per aëris communicationem: vt diximus de plantis, & fungis, & quidem continua experientia docet, omnes liquores arborum, ad ipſarum odorem floreſcentium cieri, & quaſi confloreſcere, & ſicut Apes à longè ſentiunt odores florum, non autem vulpium, quos ſentit canis: & quodlibet ens quod proportionatur ſibi: ſic vinum odorem vitis floreſcentis, & oleum, olearum, &c. & fungi odoriferi, quos muſcarolos vocamus, non naſcuntur in loco ſolito, ſi quis ſtercus ibi euacuauerit, ſed longius ab illo germinant; & cucurbita fugit oleas, &c.

Ex Baſilio Magno, & Chryſoſt.

SAnctus Baſilius Magnus, cuius ſcripta, inquit Greg. Nyſſenus) Canonicis ſolis cedunt: in Hexam. Hom. 1. declarans illud, Spiri-
„ tus Domini ferebatur ſuper aquas, ait, hoc eſt, ſecundum cuiuſdam
„ Syri religioſiſſimi expoſitionem, fœcunditatem vitalem, aquarum naturæ præbebat. ex qua deinde *Producant*, ait, *Aquæ reptilia animæ vi-*
„ *uentis, &c.* At, inquam, quoniam fœcunditas vitalis animaſtica eſt, & ſenſitiua, vt Ariſt. quoque docet; Non enim dat quod non habet: ergo ſenſus rebus inditus eſt à ſpiritu viuificante, iuxta Baſilij ſententiam, vel eius ex verbis ſequitur per neceſſariam conſequentiam. Præterea ipſe concedit animam Mundi. ſed anima non copulatur corpori abſque intermedio ſenſu, vt probat Auguſtinus, Nyſſenus, & Clem. Rom. ergò &c. Similiter Chryſoſt. exponens ly. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*: Hoc eſt, ait, vitalis, & efficax operatio gene-
„ randis præuia, ergò conſentit cum Baſil. Qui Baſil. etiam hom. 5. ait.
„ Arbores, & herbæ dicuntur viuere propterea, quòd alendi ſenſu facultatis participes ſunt, non tamen animalia ſunt; &c. igitur Baſilio
„ plantæ ſentiunt vitæ ſenſu, id eſt naturali, & non ſunt animalia, ſicut
„ & nos docebamus in reſp. ad 1. oppoſit. contra vlt. argum. Theologi-
„ cum.

Item Baſilius exponens Ly. *Germinet terra, &c.* facultatem generandi à verbo ponit. Facultas autem non eſt niſi ſenſus Verbi, qui primus ſenſus vocatur à S. Clem. participium.

Item homil. 8. *Producat terra animam viuentem, &c.* Non quam
„ habebat, vt dicunt Manichæi, ſcilicet de diuina ſubſtantia, ſed vt educeret præſtitit facultatem. hoc eſt vt in actu ponat quod ſemina-
„ liter habebat, vt docebat Auguſt. Hanc facultatem ineſſe terræ, ex
„ permutatione declarat Baſilius, qua vſus eſt Athanaſius dicens: Animalis anima ſanguis eſt (teſte Moſe) ex ſanguine fit caro: ex carne
„ terra. nam ex terra facta eſt caro: ex carne ſanguis: ex ſanguine ani-
„ ma, &c. ergò conſimiliter ſentit Athanaſ. & Baſil. quoniam terra prius eſt animaſtica, non anima diuina, & rationali, vt dicunt Manichei, ſed ſenſus participio, quo ſeminaliter eſt animata. Nam vertitur in carnem, in ſanguinem, & ſpiritum; qui actualiter eſt brutorum anima, vt omnes Patres conueniunt, atque phyſiologi; & hoc eſt, quod dixit Baſil. & Ambr. præſtitit facultatem, vt educeret animam;
„ quoniam his mutationibus quoque fit, vt patet cum de pane ſanguis, & de ſanguine ſpiritus fit, nutriturque in corpore noſtro, vt Theologi, ac Philoſophi pariter ſentiunt. Nec dubium eſt, Chryſoſtomum his conſentire: quippè qui ſolem maritum & Tellurem matrem vocat; ex quorum congreſſu generat omnia: & ſpiritum animalem, cali-

dum,

dum, lucidúmque animam eſſe docet, vt in q. Phyſ. oſtendimus eius ex dictis.

Ex S. Ambroſio Doctorum Primate.

Sanctus Ambroſius, quem cæteris præfert Auguſtinus, Hexâm. 5. cap. 2. ait. Aqua prior animarum viuentium diuino nutu reptilia animata produxit, & cap. 3. Aqua, inquit, animat, & creat, &c. blandè quidem Mater animantium, & cap. 4. ſicut volatilia, & feræ viuunt aëre: ita piſces aqua ipſorum parente, & altrice. Iterum lib. 5. cap. 3. *Producat terra animam*, &c. Currit in conſtitutione Mundi per omnem creaturam Dei verbum, vt ſubito de terris, quæ ſtatuit Deus, animantium genera producantur. ergo (inquam) ſecundum Ambroſ. ex verbo, quod eſt ſapientia Dei, vis animaſtica cunctis rebus ineſt Nam vnde habet aqua, vt ſit altrix, & Mater, & poſſit animare, niſi ſenſus animaſticus ineſſet illi? non enim ex nihilo, nec Deus præcipit dare, quod non habet: ſimiliter terra potuit præcepto Dei producere, quoniam virtutem animalem habebat, vt Auguſt. & Baſ. & Athanaſ. & omnes præſertim Caiet. dixerunt. & cum Ambroſ. aut Chryſoſt. aut alij negant ſenſum elementis aliquandò, profectò animalem ſenſum, non naturalem, negant: niſi contrarij ſibi ipſis cuipiam videantur. Similiter, vt Athanaſio ex terra caro, ex carne ſanguis, ex ſanguine ſpiritus, ſic Ambr. in lib. de Noe & Arca, 25. & in lib. de Iſaac cap. 1. Anima, ait, non eſt ſanguis, non ignis, non enthelechia, &c. Rationale animæ, cuius ſubſtantia diuinus eſt ſpiritus, quia inſufflauit in faciem eius ſpiritum vitæ, &c. vitalis anima, & delectabilis (id eſt iraſcibilis & vegetatiua) ſubſtantia ſanguis in ſcriptura appellatur: quoniam cum ſanguine in venis, & arterijs animat, viuificatque) & cap. 11. ait, corpus hominis, ſicut nidus, vt ſpiritus vitalis per omnes viſcerum partes penetret. Sanguinis, & ſpiritus nidus eſt cor, &c. vbi ſanè loquitur de ſpiritu animali, non mentali. Mentem (.n. in capite locauit in Hexam. 6. & iterum in cap. 9. initium arteriarum inſiti caloris, quo animantur, & tepefiunt vitalia) & cum in lib. de Iſaac. cap. 2. negat animam eſſe ignem, aut calorem, loquitur de rationali. Igitur calor vitalis eſt in aquis, in terra, in ſanguine, & in cunctis rebus, animaſticus, id eſt ſenſitiuus. & eiuſdem opinionis in hoc apparet Ambr. cum Athanaſio & Baſil. per neceſſariam conſequentiam.

Ex S. Gregorio Nyſſeno.

SAnctus Gregorius Nyſſenus, frater Magni Baſilij, Philoſophus magnus, ac Theologus, in Hexam. & in lib. de An. & Reſurrectione, credere, ait, oportet, vnicuique rei etiam Rationem quandam ſapientem pariter, & artificioſam inditam eſſe, eamque maiorem, quàm nos cernere poſſimus. Verbum igitur, dixit Deus, &c. ad hanc rationem refertur; & de ipſa Dauid: omnia in ſapientia feciſti, &c. vnde cœlos enarrare gloriam Dei, &c. quoniam artificioſum quicquid in eis, &c. quibus ex verbis videtur Nyſſenus animam mundi ponere à verbo creatam atque verbi iuſſionem exequentem; igitur & mundum ſentire. Nam in lib. de opificio cap. 8. Rationem, ſine ſenſu, docet, in corpore non hoſpitari: vt etiam S. Clem. dixerat. Quonam modo enim Ratio, mundo infuſa, regeret partes, niſi ſenſum imperij ſaltem per paſſiones naturales doloríficas, & iucundas haberent? concordat cum Auguſtino, qui exponit Ly, *fiat lux*, de luce corporali, & de ſenſuali, & de Rationali cunctis rebus regendis præfecta. Item, idem Nyſſ. in lib. de opif. cap. 8. Hominem componit ex anima nutritiua, & ſenſitiua, & intellectiua. Senſitiuam dicit tenuem, & lucidam craſſiorem intellectiua, & ſubtiliorem accretiua, & vinculum vtriuſque; probátque vim ratiocinantem in corpore non manere, niſi ſentienti commiſceatur, & in cap. 13. vegetatiuæ tribuit imaginari in ſomnis, & participium intelligentiæ, ob coniunctionem, &c. cap. 15. ſenſitiua (ait) & vegetatiua ſunt quodammodo animæ: non omninò, vt Mens cap. 20. ſpiritus (inquit) mobiles, vltronei motus, & ſenſus auctores, qui per neruos diuiduntur, &c. Itẽ in calore eſt cauſa viuendi, quo amiſſo morimur, ideò calor cordis nutriendus fuit ſanguine. Item in lib. de Reſurrectione, & anima, Deum ex naturalium ſpecie; animas ex corporis gubernatu: ſenſum ab ijs alium probat ex turbatione, quam Rationi apportat. Affectus, paſſiones, & Notiones ex contubernio brutalis animæ, non, natura, ineſſe Menti.

Hæc, & alia ex Gregorio docent, mundum à prima Ratione creatum. Ab Ratione communi creata, quæ eſt anima mundi gubernari ſub imperio verbi Dei.

Animam humanam à Creatore, brutalem ab elementis, vitámque maximè in calore contineri: ſpiritus qui ſunt animæ inſtrumenta, ſentire, ac mouere corporis membra per neruos inambulando. Vegetatiuam, & animalem non eſſe animas omninò, ſicut Mens, ſed quodammodo: & in Rationali iram, & concupiſcentiam ex horum coniunctione fieri, eſſéque quaſi excreſcentias affixas, &c. & quoniam rationem ſine ſenſu reperiri non poſſe demonſtrat, in elementis, qui-

bus quaſi incorporatam, & conſubſtantiatam vult eſſe Rationem, itidem præineſſe ſenſum. Mirificè quidem iſta docet ex philoſophia, & ſcripturis ſanctis. Nec poſſe benè regi Mundum, niſi ſenſu Rationéque, quemadmodum nec corpus humanum. Item quæ ſunt quodammodo animæ in homine, hoc eſt, inſtrumenta Mentis; ſunt animæ prorſus in brutis, & plantis: & in his omnibus putat ſe concordare cum Baſilio Magno fratre ſuo, quem ſequi profitetur in cunctis.

Ex Lactantio Firmiano.

LActantius de Philoſophia, & Religione benè meritus: De opif. 17. concludit. Videtur ergo anima eſſe ſimilis lumini: quæ non ipſa ſit ſanguis, ſed humore ſanguinis alitur, vt lumen oleo, &c. item (ait) Non eſt ignis, nec ſanguis, nec flatus, ſed viuimus ſanguine calore, & ſpiritu: ergo omnes benè aliquid dixerunt, ſcilicet Critias, qui ſanguinem, Varro, qui flatum, Heraclitus, qui ignem, fecere animam, &c.) vbi ſanè Mentem eximit, non brutorum animam ex horum conſortio, ſenſitiua enim, & vegetatiua verè aluntur, & ſunt tenuis ſpiritus, lucidúſque, licet vt animæ ſunt, flatus non ſunt propterea lib. 2. de origine errorum, c. 13. Mors animarum eſt ad æterna ſupplicia damnatio. Hæc bruta non attingit: quorum animæ non ex Deo conſtantes, ſed ex communi aëre, morte ſoluuntur, &c. vbi comprobat, quod diximus. Videtur tamen Mentem facere corpoream ex his: & iterum cum ait in lib. de opificio. 15. ſenſus ille viuus, atque cœleſtis, qui Mens, vel animus nuncupatur, tantæ mobilitatis eſt, vt ne tunc quidem, cum ſopitur, conquieſcat, & in lib. 2. cap. 13. ſi anima (inquit) ignis eſt, vt oſtendimus, in cœlum debet eniti, ſicut ignis, ne extinguatur, & ſicut non poteſt viuere hîc ignis abſque pingui materia, vnde alitur: ſic animæ cibus eſt ſola iuſtitia, &c. ex his videtur Lactantius ex aëre facere animam brutorum, ſicut nonnulli Patres, & Orpheus opinantur; & quidem ſpiritus vitæ aëreus, vt D. Thom. Alb. & Auguſtinus, & Galenus & Hipp. & Teleſius, & alij opinantur, ex aëre, & vapore ſanguinis nutritur. Vnde calorem ſentire, & ſenſitiuam animam calidam eſſe, & nutriri, vt dixit Athan. ſed Rationalem ſuperioris ordinis: quoniam paſcitur iuſtitia, ſicut ſpiritus animalis vapore ex quo cœlum, & ſanguinem & aërem, & calorem ſentire, habemus iuxta Lactantij opinionem.

Ex S. Clemente S. Pontifice Romano.

S. Clemens Petri Apoſtolorum Principis diſcipulus, & ſucceſſor, in Recogn. 8. aquis ineſſe inſitum ſpiritum vitalem, ingenitum ab initio: vnde vegetant, creſcunt; ſentiúntque naſcentia ex humore, terráque, diſputat, probátque; & concludit ex mirifica formatione, & pulchritudine naſcentium. Ex his (dicens) omnibus conſtare puto, artifici ſenſu, & non irrationabili naturæ opere, cuncta effici, & vi vniuerſa conſtare, &c. Rectè (inquam) ſanè: quoniam Ars, ſeu Verbum Dei operantur in rebus ſentientibus, aptis imperio, vt ſponte, non vi, nec ſupernaturaliter, operentur. Nec enim rationi parent, vt benè ſcribit Nyſſenus, niſi ſenſu doloris volúptatiſque adigenti. Nam vt D. Thomas, ait, non ſolum reguntur & ducuntur extrinſecus, ſed ſponte innata & vi propriarum formarum eunt.

Item S. Clemens ait. Terra virtutem vuluæ habet ad viuificandum ſemina, &c. idémque dicit Eſdras. in lib. 4. ergò (inquam) ſenſitiuam, & vegetatiuam, & motiuam: his enim eſt vitalitas. Deinde quærens, cur, ſi Deus gubernat, quædam fiunt ordinatè in Natura rerum, quædam inordinatè. Reſp. quod vbi ſenſus ineſt, ibi poſſunt fieri ordinatè & inordinatè, vbi non eſt ſenſus, neutrum. Ratio enim ordinem facit: cuius impeditio deinde eſt inordinatio: ſed propter finem à Deo præſcriptum, &c. vbi autem Ratio ibi ſenſus. Quapropter, cum in omnibus reluceat Ratio. (Natura enim ait S. Thomas, eſt Ratio diuinæ artis res cunctas ad ſuos perducens fines) igitur, & ſenſum omnibus ineſſe naturalibus, oportet, per quem verbum mouet regítque. Non enim diceret, educat terra animam viuentem, niſi præinſit ſenſus vitalis eductus & educendus, &c.

Ex S. Irenæo Epiſcopo Lugdunenſi.

SAnctus Irenæus, cœtaneus Apoſtolorum diſcipulis in lib. 2. aduerſus hæreſes Valent. c. 18. appellatione Dei eo ſubaudiunt, ſenſus & verbum, & vita, & incorruptela: & veritas & ſapientia, & Bonitas, & omnia talia, &c. & neque ſenſum vita antiquiorem, aliquis poteſt dicere: ipſe enim ſenſus vita eſt, neque vitam poſteriorem, vti non ſit ſine vita, qui eſt omnium ſenſus, ſcilicet Deus, &c. Quapropter ſi Irenæo Deus eſt omnium ſenſus, ac vita: quæcunque par-

ticipant vitã, participãt ſenſum. ergò Tellus, & Aqua, & Bruta, & plantæ, & ex eis educta ſentiunt viuendo, & viuunt ſentiendo, per conſequentiam neceſſariam concordem, Eccleſiaſtico dicenti. *Hæc omnia viuunt, &c.*

Ex Clemente Alexandrino.

CLemens Alexand. Origenis præceptor, in Pedag. 1. Caro, ait, concreta in vtero à naturali, & calido ſpiritu, à quo effingitur fœtus, viuificatur, &c. Vbi ſanè ſpiritum ſentientem, & architectantem corpus, & viuificantem affirmat, ſicut Ariſt. & Alb. & Auguſt. qui cum ſit ex calore, & igne, vt pluries diximus: non videtur dubitandum, quin Clemens ſenſum igni, & contrariis ſuis, quibus cum pugnat, adſcripſerit. Item Pedag. 2. Anima (ait) non vinoſa, eſt pura, ſicca, luminoſa. ergò ſapientiſſima & optima; ergò contemplatiua: At exhalationibus madefacta, inſtar nubis in molem corpoream cogitur, &c. Quo ſermone videtur Heracliti, & Stoicorum de anima opinionem ſequi; quod nimirum ſit ignea. Sed exponendus eſt ſicut Athanaſius eius conterraneus, & Baſil. & Lactant. qui loquuntur de anima brutorum; vel de Mente humana, quatenus corporeo ſpiritui calido incorporatur per informationem: cuius puritate, & impuritate ipſa expeditur vel impeditur; Videtur ergo igni ſenſum dare. At etiam rebus cunctis in Strom. 2. dicens. Magnes ferrum trahit propter cognationem, & ſuccinum feſtucas, & electrum paleas mouet. Eis autem parent, quæ trahuntur, &c. ſi ergò Clemens cognationi, & conſenſui dat attractionem, & obedientiam attractis, proculdubio in rebus ſenſum confitetur. Non enim vim, nec ſupernaturalitatem, adducit pro cauſa; ſed ſpontaneum ex cognitione amorem, conſenſúmque vt & Dionyſius.

Ex Euſebio Cæſarienſi.

EVſebius, Theologiæ, & Philoſophiæ, & hyſtoriarum peritiſſimus, lib. 1. de Demonſt. Euang. 10. Anima, brutorum (ait) eſt ſanguis: & in eo vis vitalis (id eſt ſentiens & mouens) & quia dixit Deus; *Germinet Terra herbam virentem, &c.* Et, *Educat Terra animã viuentem, &c.* omninò eiuſdem naturæ, & ſubſtantiæ bruta eſſe dicenda ſunt, cuius germinantia & plantæ, &c. Manifeſtè igitur Euſebius ſenſum dat plantis, atque brutis, & Terræ & Aquæ. Quoniam vis vitalis, quæ eſt in ſanguine brutorum, (qui videtur ſenſitiuus ca-

lor aliis Philoſophis, & Theologis) eſt itidem in humoribus plantarum (quas dicit eiuſdem ſubſtantiæ cum brutis, & generis, & naturæ) & in Terra, dante, & educente ex ſe animam viuentem. quoniam ex ſenſu eius, & calida tenuitate (ſeu magis ex vapore, vt loquitur S. Thomas, & Alber.) ſpiritus animalis caloris vi gignitur; qui organizat, & animat plantas, & bruta. Propterea etiam in 3. de Præparat. Euang. 3. Ponit Euſebius mundum animal magnum ex Orphei au-ctoritate laudata: Ignémque Deum: quem Stoici faciunt mundi Mentem: & omnem animam igneam. Quod verum eſt de ſenſitiua tantùm, vt Auguſt. probat etiam Virgilij auctoritate Ænead. 6. *Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo*, &c.

At non poteſt Mens vniri vitaliter corpori humano, vel mundano, abſque vitali ſpiritu, vt dictum eſt ex Auguſt. & Clem. & Lactant. & aliorum ſententia, præcipuè S. Thomę, qui docet animam vniri corpori, vt Motorẽ, mediante ſpiritu aëreo, vt formã verò, mediante ſenſitiua virtute. Mal. q. 16. 1. & 1. p. q. 76. 6. & 2. cont. Gen. 87. & 89. Pot. q. 3. ar. 9. ad 16. 3. p. q. 2.

Ex Thoma Caietano Card.

THomas Caietanus, qui in exponendis ſcripturis æquatur Patribus, in p. Gen. exponens illud, *Producat Terra animam viuentem, &c.* inquit. Non ſolum materialis potentia Terræ vis producti-
» ua, ſed actiua quoque eduxit animas. Siquidem non imperatur li-
» gno, vt faciat ſcamnum, quoniam ſolam materialem habet potentiã, &c.) Deinde, ait, Anima ſenſitiua eſt quid diuinum, vniuerſas exce-
» dens creaturas corporeas, &c. Et paulò pòſt. Producitur anima ſenſi-
» tiua ex miſtionis naturalis virtute, &c. Et ideò eſt corruptibilis, &c. Igitur Caiet. Primo dat vim productiuam animæ, Telluri materialiter, & actiuè; ergò animaſticam, & ſentientem. Non enim dat, quod non habet, vt ipſe prædicit ibidem cum aliis. Secundò docet vim ſenſitiuam excedere omnes creaturas corporales: ergò nec ex corporum vi, nec ex qualitatibus elementaribus vulgò notis, animam ſentientem producit Caietanus: ſed ex virtute ſenſitiua præinexiſtente participio primalitatum. ex quibus habent cuncta potentiam eſſendi, & ſenſum eſſendi, & amorem vt dicebat S. Thomas; imitationes potentiæ Patris, ſapientiæ filij, & Amoris Spiritus ſancti; vt priùs dicebam. Tertiò vult, animam ſentientem vi miſtionis fieri: non quidem ex vulgaribus virtutibus, corporeiſque, vt benè præmiſit; ſed ex calore ignis, & materia telluris attenuata, in ſpiritum verſa, fit, non vt ſic, ſed vt primalitates participant, & propterea apud Patres aliquando vis animaſtica eſt calor, vt Ariſt. & Auer. etiam voluere: aliquando

quid meliùs, non tamen ſine calore. quem omnes vocant rerum vitam. Idem Caiet. diſtinguit *vitam vitarum*, *vitam vitæ*, & *vitalem vim*. Primo modo vocat rationalem ſpiritum: quoniam continet etiam in ſe vitam ſenſitiuam, & vegetatiuam. Secundò, ſpiritum ſenſitiuum, quoniam continet, & vegetatiuam. 3. modo, inſpiratum aërem. ex eo enim nutritur ſpiritus animalis apud Hipp. & Gal. & Teleſ. & Lactant. & Auguſtin. & Nyſſ. ita vt neceſſe ſit in cunctis ſenſum vel naturalem iuxtà Caietanum, & Patres, vel per neceſſariam conſequentiam ex dictis eorum agnoſcere. Si.n. non ex nihilo, nec ex vulgaribus qualitatibus, nec ex miſtione, vt miſtio eſt, Animam dat Tellus: ergo ex indito ſenſu, nam & materialiter, & actiuè dat Caietanus.

Ex Adamantio Origene.

ORigenes, qui teſtimonio Hier. & totius antiquitatis, omnes ſapientes in prophana, & ſacra Philoſophia ſuperauit, & linguarum, & ſectarum peritia; ſcripſit ſuper illud Iſaiæ, *Terra Terra audi verbum Domini, &c.* intelligentia animante terram gubernari, ſicut cœlum, & corpora magna. Igitur & aërem, & Aquam; & propter hoc etiam S. Clemens Rom. Recogn. 9. probat Terram, Mare, cœlum, fluuios, ſtellas, omnéſque creaturas ſentire præceptum, & timorem Domini per ſe, vel per Angelos. Quare concedunt etiam Doctores aſſiſtentem, & gubernatiuam virtutem Angelorum præfatis corporibus. Auguſt. tamen, & Baſil & Gregor. Nyſſ. præter hæc, Rationem vniuerſalem cunctis rebus, inditam dixerunt. At vbi ratio, ibi ſenſus, vt dicebant ſancti Clemens, & Nyſſen. &c. eaq; ratione probatum eſt, quoniam agi ad operationes artificioſas res nequeunt, niſi ſtimulis doloris, & voluptatis. Præterea nec poſſet ex Terra agricolando efficere animas brutorum vt probabat Auguſt. niſi terra ſit ſenſu prædita naturali, vel de nihilo, aut de ſui ſubſtantia det Terræ vim educendi animas. Hoc autem exploſit Auguſt. & Thom. & alij Doctores: quoniam Angeli agricolantur non creant, nec formant, ſed mouent ad formationem. Quod autem ex ipſorum defluxione, non fiat Anima, vt aliquando concedebat Aug. hæſitando, ex eo probatur, quoniam non ſunt corporei, vnde quid decidatur; nec corporati, ſicut lux, vnde multiplicetur. Prætereáque eſſent brutorum animæ rationales de natura Angelorum. quod falſum eſt. ergò, &c. Præterea 3. Periarch. 1. Quæ à ſe mouentur vitam habere probat, quæ conſiſtit in ſenſu, motuque (vt etiam Ariſt. docet 8. Phyſ. T. 29. & D. Tho. in comm. lect. 7. vbi ait ſi grauia, & leuia mouentur à ſe ipſis, ſunt animata.) Vnde arbores, metalla, Animalia, & ignem, & fontes aqua-

rum viuentium, quoniam à ſe mouentur, viuere dixit optima quidem ratione. Et licet poſtmodum lapides non viuere dicat, quatenus ab alio extrinſecus mouentur, tamen quatenus ſponte ſua propriáque forma mouentur deorſum, & augentur ex terra, metallorum ritu, non negat eſſe vitales, cum ignes, qui mouetur ſurſum ſponte, & metalla, quæ vegetant, pariter inter viuentia numerarit. At non viuunt abſque ſenſu, vt pulchrè docuit Irenæus, & Clemens, & Nyſſ. ergò cunctis ſenſum largiatur his Origenes oportet. Præterea ait, qua non
„ ſolum ex ſe mouentur, vt ignis, plantæ, aqua, ventus, &c. proprio ſen-
„ ſu; ſed etiam à ſe, vt bruta, & homines, aliquid ſupra ſenſum ha-
„ bent, bruta nempe phantaſiam, homines verò rationem: quæ iudi-
„ cant de cunctis. Cuius (ſcilicet rationis) participes, & aliquæ be-
„ ſtiæ, ait, videntur incentiuo quodam, tamen naturali non vera ratione
„ moueri, &c. D. Thomas vocat hoc incentiuum, quaſi rationale, vim æſtimatiuam, quæ eſt in confinio rationis, & ſenſus in 3. d. 16. q. 1. ar. 1. & 2.

Porrò in cap. 4. diſputat Origenes, cum dixiſſet hominem conſtare ex anima, ſpiritu, & corpore; vtrum duæ ſint animæ ſenſitiua, & intellectiua, an vna. & concedere videtur, vt veram, vtramque opinionem. Primæ Scotus adhæret. & Gregor. Nyſſ. & multi Patres. Secundę ſcilicet Thomas, & Alber. At Origen. cum ſenſitiuam non ſeparat, & carnalem animam à ſpiritali ſeparat, vult eamdem animam, quando obedit carnali paſſioni, vocari ſanguinem, & carnem, in S. literis; quando ſancto Spiritum. Eſt enim pugna inter ſpiritum & carnem. Vocat autem ſpiritum Mentem, quatenus à Spiritu ſancto regitur; eamdémque Mentem, dum à carne regitur, ſenſualem. Et huic expoſitioni S. Auguſt. conſentit in lib. de Spiritu, & An. cap. 48. & de dogm. Eccleſ. cap. 18. & 19. Similiter S. Irenæus lib. 5. Aduerſ. hæreſ. cap. 9. Homo ait, conſtat ex ſpiritu, anima, & carne; & vocat
„ ſpiritum ipſum Spiritum ſanctum Dei, quo Anima regitur. Ambr. ve-
„ rò partem Animæ ſuperiorem, religionis tenacem, quam ex currus Ezechielis expoſitione vocat Aquilam: rationem inferiorem, ſeu practicum intellectum, vocat hominem. partem ſenſualem diuidit in bouem, & Leonem, ideſt, in Concupiſcibilem & Iraſciblem. Falluntur ergò, qui cócupiſcibilem, id eſt, vegetantem, priuant ſenſu. Cum nec Plato huius currus inuentor, nec Ambr. nec Auguſt. nec Baſil. neque Euſeb. nec Nyſſ. nec alij meliores, conſentiant. Vtraque opinio ſuſtineri poteſt. ſ. de vnitate & pluralitate, dum tamē à Deo bono, & à Deo malo duas contrarias cum Manichæis animas non deriuemus.

Verum enim verò Origenes, quem ſequitur Teleſius in lib. *Quod animal vniuerſum*, &c. non videtur rectè vtramque opinionem concedere: ſoluendo illud argumentum, quod ſpiritus pugnat aduerſus carnem, vt inquit Apoſt. vnde duę animę apparent: Plato autem, &

Pythago-

Pythagoras ex pugna inter Rationem & Iraſcibilem, & ex pugna Iraſcibilis contrà Rationem, aliquando contrà Concupiſcibilem, concluſit in homine tres animas, vt etiam Galenus contendit: & Scotus non diſſentit) inquit Origen. & Teleſius, quòd illa pugna poteſt eſſe eiuſdem animæ cum ſeipſa, quoniam variis trahitur obiectis. Dum enim carnalibus excitatur paſſionibus à corpore, & ſpiritalibus à lege Spiritus ſancti, ſecum diſſidet, donec decernat, cui parendum. Vnde vna anima ſuſtineri poteſt. quod etiam in lib. de dogm. Eccl. & in Conc. decernitur. At ſi ſic ſequitur, quòd differentia ſola ſyllogiſmorum, & obiectorum tantum oppoſitorum, ſint in anima humana, non autẽ ſubſtantiæ differẽtes. vnde poſſet quis putare etiã in mundo non reperiri, niſi Rationem, quæ omnia regit, ſecúmque diſſidet, dum obiectis trahitur oppoſitis. Hoc autem falſum eſt, niſi apud Stoicos, ponentes animam paſſibilem, & diuiſibilem, & paſſionibus cunctis obnoxiam. At cum certi ſimus, Animas brutorum non eſſe de ſubſtantia rationali hominum, quippe cum hæc ſit Dei ſpiraculum, illa verò elementorum, & in homine non ſolum variatio obiecti, ſed etiam finis faciat pugnam. Diuina enim rapiunt mentem ſurſum, caro non trahit deorſum, niſi vt ſentiens obiecta caduca, quibus, vt conſimilibus delectatur: quæ Mentem delectare non poſſunt, niſi prout ſentienti caducę inhæret conſentiens. Propterea melius videtur Auguſtinus ſentire in lib. 12. ſuper Gen. (qui eius proprius eſt, alij verò ſpurij,) quòd homo conſtat ex mente à Deo data & ſpiritu, qui ex ſanguine naſcitur, & alitur, vt Amb. & alij Patres dixere: & corpore carneo. vtique ſpiritus iſte eſt anima ſenſualis, quæ in homine eſt inſtrumentum Mentis, in brutis Princeps anima; & hæc eſt iraſcibilis, & concupiſcibilis, vt in q. Phyſ. probauimus. Propterea dicendum eſt, quòd in homine eſt vna anima; cæterę enim vel ſunt diſpoſitiones ad ipſam, atque ſubiectum, vt dicit Scotus: vel animę aliquo modo, & ſecundum quid, vt dicit Gregor. Nyſſenus vel inſtrumentum mentis, vt Auguſt. docet. Præterea manifeſtum eſt, quòd quando Mens infunditur, viuebat anima ſenſitiua, & vegetabat corpus. Mens autem, vt probat S. Thom. in 3. p. q. 2. non corrumpit ſenſitiuam, nec ſenſoria. (quicquid dicat alibi de mente Ariſt. non ſua) ſed perficit, quippe ſine quibus nec recipi in corpore, nec habitare poteſt: vnde fuſo ſanguine, aut ſpiritu, moritur homo, quia diſcedit mens, non quia moritur mens, eorum miniſterio deſtituta. Qua propter non eſt putandus Origenes ſenſum ſpiritui, & carni abſtuliſſe, aut elementis, vnde fiunt, non dediſſe. Ipſe enim primus dixit, quòd vir Rationẽ, mulier ſenſualem ſpiritum, ſerpens carnem, voluptatiſque vim ſignificaret, in peccati exortu. vt triplex vis in homine inſit, & anima vna; cæteræ verò diſpoſitiones, aut inſtrumenta animaſtica.

Ex diuo Aurelio Auguſtino Epiſcopo, Magno Eccleſiæ Doctore.

D. Auguſt. ſcholaſticorū. Pater, vt ex iam dictis conſtat, ponit omnium rerum Rationes ideales in Verbo Dei, ſeminales rationes in Materia: cauſales verò in elementis. Cum autem Verbum ſit Dei ſapientia, & Ars, & ſermo, & lex æterna, & ſenſus, vt ex nominatis antea patribus probatum eſt; ſequitur, vt elementa, & res omnes ſeminales, & cauſalis ſenſus participio prædita ſunt. Participatio enim ſapientiæ, aliqua ſapientia eſt. & propterea Dauid. Pſal. 103. *Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti*; ideſt cum ſapientia iuxtà phraſim Hebraïcam, ergo & ſenſitiua: ſic etiam Caiet. cum dicitur in Pſal. 135. *Feciſti cœlos in intellectu*) exponit cum intellectu; ideſt, intellectiua anima ſaltem aſſiſtente, & motrice, animatos. Similiter & alij Patres. & certè Auguſt. hunc locum ad idem citat, & in Eccleſ. 1. dicitur. *Deus creauit ſapientiam in Spiritu ſancto: & effudit illam ſuper omnia opera ſua, &c.* Duplicem effuſionem ſeu triplicem dat Auguſtinus. Primam in creatione animæ mundi, ſeu Rationis omnia continentis, quæ ſapientiæ Dei ſubſeruit, vt dicit lib. imperf. ſuper Gen. 4. Nam (*Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*) intelligitur, ait, vel Spiritus ſanctus, vel aër, vel vitalis creatura, qua vniuerſus viſibilis mundus, atque omnia corporea continentur, & mouentur. Cui Deus omnipotens tribuit vim quamdam ſeruiendi ad operandū in ijs, quæ gignuntur. Qui ſpiritus cū ſit omni corpore æthereo melior, &c. non immeritò ſpiritus Dei dicitur. nā & Dei Terra dicitur, & omnis plenitudo, &c. Secundam effuſionem ſapientiæ tangit Aug. cū exponit, ly *Fiat lux*. Nam vel intelligitur lux corporalis, quæ ignis, & cæli eſt: vel ſenſualis, ex qua, cunctis inſerta rebus, fiunt animæ ſentientes, tanquam ex præiacta materia. & propterea Deus dixit Terræ, vt producat animam viuentem, ex illa nempe luce. vel lux rationalis, quæ ſpiritualis materia eſt animarum. Igitur elementa omnia non modò Ratione communi reguntur, ſed etiā luce ſenſitiua ſunt perfuſa. &, ſicut nos dicimus, participio ſecundæ primalitatis, quæ eſt ſapientia. Igitur ſunt in elementis ſeminaliter, & cauſaliter animę, quatenus elementa lucem hanc habent, quæ ſenſus eſt, ſiue ſapientiæ participatio: Acutiſſimus enim Auguſt. conſiderauit, quod Ratio genita poteſt facere ex nihilo animas: non tamen ex ſui ſubſtantia. Ratio verò creata, quæ dicitur anima Mundi, non poteſt facere ex nihilo, nec de ſui ſubſtantia, aut defluxu, (quamuis alibi hoc aſſeruerit) ſed agricolando, & applicando actiua paſſiuis, vt

faciunt Angeli, ſicut dicit 3. Trin. 8. Idcircò ſubiecit animarum productioni lucem ſenſualem, ſeu participium ſenſus in cunctis elementis. Propterea in 3. Gen. ly. *Producant Aquæ, &c.* & *producat Terra animam, &c.* exponit, quod eiecerunt ex ſe animas viuentes, quas habebant primordialiter. Omnibus quoque elementis dat ſenſum. Nam licet (ait) ab igne magis ſit ſenſus, & à luce ſenſitiua, tamen in cap. 3. & 4. refert quinque ſenſus ad elementa, nempe Tactum ad Terram: guſtum ad Aquam: auditum ad aërem; olfactum ad vtrumque: viſum ad ignem; quaſi hæc omnia ſenſu ſint affecta naturali: alioquin Anima per ipſa non ſentiret. Patet autem hoc magis, quoniam in lib. de Diuinatione Demonum declarans, vnde ipſorum diuinatio, & ſagacitas tanta, (inquit) quoniam habent corpora ex aëre, & igne, quæ ſunt elementa maximè ſenſitiua, & penetrantia. Nobis autem prædominantur Terra, & Aqua, ideò craſſiorem habemus ſenſum. Idem dixerunt Athan. & Lactant. de ſenſu ignis, & aëris. Imò Ariſt. 2. de An. T. *Nullus ſenſus* (ait) *ſine calore.* Similiter in ſect. 77. Probl. 10. calorem vocat Animam, & in ſect. 30. ſenſum, & prophetiam ſybillarum ab atrabili, in quantum calida eſt, promit. Et Gal. in lib. de Rig. & Hipp. in libro de carnibus, &c. & Stoici dixerunt, animam eſſe calidam cum Heraclito, & Lactant. & Athan. & Baſil. Sed intelligendum de ſenſuali eſſentialiter; de Rationali, ex copula, iuxtà illud Dauid. Pſalm 38. *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Similiter Virgilius, cuius verſum. *Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo)* Auguſtinus approbauit. Participium Primalitatum ergò præmiſit ad animarum productionem. Et operationes ſenſus ipſorum vocat numeros, & rationes. Nam & Platoni Anima eſt numerus, ſeu Ratio ſeipſam mouens. Propterea in lib. 5. Geneſ. cap. 8. Inſunt (ait) Aquis & Terræ perfectiſſimi numeri, trahentes ſecum potentias ſequaces, ad brutorum, & plantarum generationem, &c. Imò etiam de cadaueribus in lib. 3. cap. 14. educit animas. Quoniam (ait) in omnibus animatis corporibus ineſt quædam vis naturalis, & præſeminata materia, & quodammodo initiata primordia futurorum animalium, &c. & eſt idem ferè cum eo, quod dixit Ariſt. quòd in Terra, eſt humor, in humore ſpiritus, in ſpiritu calor, vt quodammodò omnia animæ ſint plena in 3. de gen. an. cap. 11. vt S. Bonau. aduertit. Sed aliquid plus, & clarius poſuit Auguſt. in elementis, vt ex ſenſu, luce, & tenuitate, ſpiritus vitæ, qui anima brutorum eſt, conficiatur.

Porrò D. Auguſt. in 13. de Trin. docens Peccati originalis productionem, per virum intelligit Mentem: per mulierem Rationem inferiorem: quæ ſpiritus ſenſitiuus eſt, rationalis tamen per participationem, (vt D. Thom. ſæpè, & in 2. Ethic. cum Ariſt. do-

cet) per ſerpentem intelligit ſenſualitatem carnis, id eſt concupiſci- tiuam ſenſus vim. Alij dicunt, Rationalem, ſenſitiuam, & vegetatiuam: quoniam vegetatiua eſt participio ſenſitiua; ſenſitiua verò participio rationalis. Siquidem ſupremum infimi attingit, infimum ſupremi.

Idque amplius declarat in 12. ſuper Geneſ. vbi Hominem ex carne, ſpiritu, & mente, conſtituit. Non enim Mens ſpiritui corporeo vnitur, niſi per ſymbolum inter ſenſum, & rationem. Nec ſpiritus corpori, niſi per ſanguinem; quoniam non poteſt eſſe in ſicco, vt dicit apud Grat. c. 32. q. 2. vnde verè Auguſt. ſpiritui, & carni dat ſenſum. Nam ſenſualitas carnis ſpectat, vt Amb. etiam docet, ad delectabilem, ſeu concupiſcibilem (ità ipſi loquuntur) quæ eſt vegetatiua. Spiritus verò, quem vocat etiam iraſcibilem, ad ſenſitiuam; & hoc ſæpè docuit Auguſt. præcipuè in 3. de Trin. cap. 9. Animalia, dicens, habent ſpiritum vitæ, cum ſenſu appetendi, quę ſecundum naturam ſunt: vitandique contraria. Hunc autem ſpiritum vitalem, non formaliter, ſed ſeminaliter poſuit cunctis in rebus. quippe in ſenſu, & luce, & calore, & corporeitate; quæ attenuatione vertitur in ſpiritum, ſecundum Aug. & Alb. & Thom. & Nyſſ. & alios omnes. Et 12. Gen. 7. & 8. Viſorum Propheticorum tria genera facit, ſcilicet corporale, quod ſenſibus exterioribus percipitur: Spiritale, quod ſpiritus imaginationi repræſentatur: & intellectuale, quod Menti. Spiritus autem (cap. 9. inquit) eſt vis Animæ Mente inferior, vbi corporalium rerum ſimilitudines exprimuntur, & hic in pecoribus eſt irrationalis: & præſidet ſenſuali parti (id eſt) vegetanti, ſicut Mens ſpiritui, &c. Ex quo apparet ſecundum Auguſt. ſpiritum ſentientem eſſe: vt docet etiam in cap. 11. & inſtrumentum Mentis, cui nunciat obiecta per ſenſum, & ſenſoria. Si enim non ſentiret in ſenſoriis, non nunciaret, quę percipit; nec perciperet animaſticè.

Propterea verum eſt, vt dicebamus ex Origene quòd vna eſt Anima in homine .ſ. Rationalis: ſpiritus enim ſenſitiuus, & vegetans inſtrumenta ſunt; ſicut in bruto vna eſt ſenſitiua, cuius inſtrumentum eſt ſenſualis, ſeu concupiſcibilis, aut vegetalis. Scotus autem tres formas ponit non ex æquo; quoniam Vegetatiua eſt pręparatio ad ſenſitiuam; & ſenſitiua ad Mentalem. Et hoc D. Thom. in 3. p. q. 2. conſentit, quòd adueniente ſenſitiua non corrumpitur vegetalis, ſed perficitur; & adueniente rationali ſenſitiua perficitur. quidquid alibi dixerit Ariſtotelizando: ex ſcriptoribus enim ſacris accepit, quòd elementatio, organizatio, vegetatio ſenſificatio præcedunt ad animæ rationalis ſuſceptionem, ſicut & animatio rationalis vna cum eis, ad verbi ſuſceptionem in Chriſto, perſonantis vtramque naturam. Propterea Deus non materiæ nudæ, ſed

homini formato iam de limo, organizatóque, & animaſtico ex ſenſu telluris, quo parit animas brutorum, inſpirat ſpiraculum vitæ rationalis.

Ex D. Hieronymo, Presbytero Eccleſiæ Doctore.

SAnctus Hieronym. Doctor Eccleſiæ vocatus Maximus, & d. 15. c. ſancta Romana, cunctis Prælatus; tria aſſerit in 8 Mat. ſumpto argumento ex eo, quod Ieſus Deus imperauit Mari, & ventis, & obedierunt: Primum (*quod omnes creaturæ*, ait, *ſentiunt Creatorem*) non per figuram ſermonis, ſed per veritatem (*Nam.* 2. *quibus imperauit* (ait) *& quas increpauit, ſentiunt imperantem*) 3. declarat qualis non ſit, & qualis ſit dicens (*Non errore hæreticorum, qui putant omnia animantia*) id eſt Manichæorum, qui res animant de ſubſtantia Dei, irretita paſſibilíque, vt ſuprà in argumento 10. oſtendimus ex Auguſtini, & Baſilij teſtimonio (*ſed maieſtate* (ait) *conditoris, quæ apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt*) Noſtra enim maieſtas, tam modica eſt, vt vix cum partibus noſtris, & hominibus brutíſque habeamus commercium, & conſenſum, & ideò nobis per Proſopopeiam ſunt ſenſitiua, ſicut cum Virg. ait.

„ *Titirus hinc aberas; ipſi te, Titire, Pinus.*
„ *Ipſi te fontes hæc ipſa arbuſta vocabant.*

Deo autem per veritatem, vt Daniel teſtatur, *Benedicite omnia opera Domini Domino*, quoniam eius maieſtas continet in ſe entitates, & veritates, & operationes rerum omnium: idcircò ſentiunt illi, quæ non ſentiunt nobis, ſicut digitus meus ſentit mihi, qui alteri homini, aut cani, aut boui, &c. non ſentit. Item lingua mea Italis ſentitur, quibus rationalis eſt: non autem Turcis, & Indis, noſtram non ſentientibus ratiocinationem. Proptereáque Dauid de lingua cœli, & terræ, & creaturarum ait: *Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces*, ſcilicet ab omnibus, ſicut loquela Italica: nam *In omnem terram ſonus, & verba eorum* prodeunt, & audiuntur, &c. eadem ratione D. Hier. in 10. Ezech. ſcribendo explicat, quod omnia ſentiunt creatorem, & omnia viuunt Deo, licet non nobis. Dei enim entitatis, & bonitatis, (non autem noſtræ) participio ſunt, igitur viuunt illi: ſicut manus mea mei participio viuit mihi, non autem cani, aut tibi, excepto quod participatio manus eſt conſubſtantialis, creaturarum verò imitatiua, & coentitatiua, vbi autem eſt ſenſus creatoris, eſt & ſui ip-

ſius: ex participio enim bonitatis propriæ ſentiunt, & amant magis id, quod participant, quàm ſe ipſas creaturæ, vt docuit S. Thomas, ſæpè allegatus. habent ergò ſenſum eſſendi ſui, & amant Deum, à quo, & in quo, per quem, & propter quem ſunt, dum amant ſe, & procurãt ſe conſeruari in illo eſſe, quod à primo ente habent, amántque naturaliter, non electiuè, magis quàm ſe: vti naturaliter magis amatur totum quàm pars, & vniuerſale bonum, quàm particulare. ex p. p. q. 60. ar. 5. & p. 2. q. 109. ar. 3. ſimiliter adhuc S. Hier. in Ezech. 1. ſcribens, vocat quatuor elementa animalia.

Et quoniam ſunt Deo, licet non nobis; & quoniam ſenſus participio gaudent, vnde animalia dici queant nobis cum improprietate, & quoniam in argumento 10. Theologico ex dictis Hier. & Thomæ contexto, iſthæc omnia probata ſunt, ſufficiat cunctis noſſe, Hieron. huius ſententiæ ducem eſſe anteſignanum.

Ex D. Bonauentura, Eccleſiæ Doctore Seraphico.

SAnctus Bonau. in 2. d. 15. q. 1. recitat opiniones tres de animabus brutorum. Prima, quod à principio Deus creauit eas ex nihilo, quando fecit animalia: ſed nunc multiplicantur per deciſionem, & communicationem, ſicut lumen candelæ abſque diminutione, & multò melius quoniam formæ omnes ſunt ſpirituales. Secunda, quod productæ ſunt ex aliquo materialiter, & ſeminaliter, quoniam aliquam materiam fecit Deus ſpiritualem, ex qua produxit animas, & ex virtute actiua; ita quod ex corpore corpora, ita ex materia illa animæ, in qua eſt vis actiua. Tertia, quòd animæ brutorum ſunt ex aliquo materialiter, ſed non ſeminaliter: quoniam materia animæ cum illa concreatur, & cum illa deſtruitur: & ſic omnes animæ, & à principio, & nunc ſunt à Creatore.

Prima (ait) non placet, quoniam forma produceret aliam formam ex nihilo, ſi per ſui transfuſionem, & multiplicationem. Nec ſecunda quoniam illa materia ſpiritualis eſſet etiam materia Rationalium animarum. Item vlla materia non eſſet in ſe, neque in alia materia corporali: quia educeretur materia ex materia, & non eſt inuenire quomodo non viuat, nec vſum habeat. Tertia non conuenit, quoniam ſi materia corporalis non interit nec anihilatur, multò minus materia ſpiritualis animarum. Tunc Bonau. ex propria ſententia docet quod anima ſenſitiua fit ex aliquo, non materialiter: quoniam illa materia
„ non perderetur, ſed ſolum ſeminaliter, quoniam non habet materiam
„ partem ſui, cum ſit forma ſimplex, ſed fit ex materia, ſeu potentia actiua, quæ proficit excitata ab agente, donec fiat anima: ſicut glo-
„ bus proficiendo fit Roſa. erat hoc ſeminarium, quando terra produxit

animas brutorum & nunc eſt; & tunc data eſt virtus actiua, vt producere poſſit de ſeminario animas, & corpora. Probat hoc auctoritate Auguſtini ad Oroſium, & ſuper Gen. lib. 3. Item auctoritate Ariſt. qui. 16. animal. vegetabilem, & ſenſibilem animam eſſe potentialiter in ſemine, & organizare ex eo corpus, dixit: Item in 2. de gen. an. 11. ponit omnia quodammodo animæ plena. In quo concordat cum Auguſtino. Item reſpondens ad 2. ait, quod ſeminalis ratio non eſt mate- ria ſpiritualis, nec corporalis, ſed quædam potentia ſpiritualis, indita materiæ corporali, ei innitens, & ab ea dependens; & proptereà anima in brutis generatur, & corrumpitur. Mox ad obiectionem, quomodo non eſt ex materia, & forma, ſi eſt hoc aliquid, & mouens corpus: omne autem mouens eſt ſeparatum, ergo hoc aliquid. Reſp. quod vna pars corporis mouet partes alias; & illa pars mouetur à toto corpore; qua mota mouet ſe. Deinde docet ante præceptum, illud ſeminarium non fuiſſe: aut fuiſſe non potens producere animas actualiter: & ex putrefactis fieri animas ſeminaliter, quoniam cœlum non generat animas, ſed diſponit, vt è ſeminario educantur. Hæc habemus ex S. Bonauent. vnde elicitur, quòd vis ſeminalis tam in ſeminibus, quam in putrefactionibus, ac proinde in elementis, ſit participium poteſtatiui, cognoſcitiui, & appetitiui, ex quibus puris conſtat anima humana de foris creata immiſſáque: atque ex corpore tenuiſſimo, exque primalitatibus corporatis conſtant animæ brutorum, & ſic concordant omnes Patres, & textus ſcripturarum, excepto eo, quod patribus videtur anima non eſſe forma, ſed ſpiritus corporeus motabilis: Bonauenturæ verò, & loquentibus in peripato, dicitur forma immotabilis; & propterea non poſſunt concordari, niſi in eo, quod erat in rebus ſeminarium animarum, quoniam dixit Deus, *Producat terra animam*, vti & nunc eſt. Re vera etiam ſpiritus eſt hoc aliquid, & ideò mouet, nec primum membrum, id eſt cor mouetur niſi à ſpiritu, & ſic corpus totum: impoſſ. eſt enim ab immota anima dari motum, vt dictum eſt ſæpè, &c. Nec prima opinio videtur reprobanda, niſi in eo, quòd genitarum ex putrefactis animarum, non reddit rationem: ſed dum dicit, multiplicari per deciſionem, & communicationem, ſicut lumen candelæ, eſt acceptanda, manifeſtè enim calor multiplicat ſeipſum, alium numero faciens calorem in ferro, & ligno, & manu: vnde & vis ſenſitiua eius, idem facere poſſit. Propterea circa finem quæſt. acceptat hanc opinionem, dicens: & quidam dicunt, quod anima multiplicatur, cum ſit ſpiritualis, & non deciditur anima ab anima; deciduntur tamen à corpore ſpiritus, & calores, & virtus animalis; quæ adiuuat cum virtute matricis vt illa potentia àctiua quæ erat in humore ſeminario, perueniat ad actum completum, &c. Rectè quidem, ſed calor ille, & ſpiritus deciſus videtur animaſticus Ariſtoteli; & acceptatur à Bonauent. & Greg. Nyſſen. ex eo facit animam, ſiue in ſemine ſit, ſiue in ſtercoribus.

Secunda opinio quatenus illa materia ſpiritualis prǽfuit ad animarum, tam humanarum, quam brutalium productionem in elementis, eſt quidem Auguſtini dubitatiuè loquentis, vt patet ex allegatis in Ratione 8. Theologica, ſed tamen in hoc diſcrepat, quoniam ex luce rationali præſeminata educit animas humanas, ex altera verò ſenſuali præſeminata educit brutales; & tandem hanc vbique eſſe veram relinquit, illam verò de materia rationalium retractat docens; quòd ex nihilo creatur, infunditurque.

Tertia valet, quatenus anima ſpiritus eſt, qui non anihilatur, ſed in tenuem euaneſcit aërem; de quo etiam nutritur, ſicut omnes Patres, & Philoſophi docent. At non remanet amplius anima, quoniam omninò mutatur, & perit de eſſe animæ in eſſe aëris, vel &c. At palam eſt, quòd poteſtatem actiuam dat huic ſeminario vniuerſali Bonauentura & appetitiuam, & ſenſitiuam; qualiter poſuit Ariſt. & Auguſt. quos ipſe allegat. Porrò enim ſunt virtutes ideales in verbo Dei: vt inquit Auguſt. in 6. ſuper Gen. ſunt in elementis, ſicut in cauſis generalibus: & ſunt in elementatis vis ſeminalis, in planta, & animali, & ſunt in ſeminibus, quæ ex illis deciduntur, id eſt, quoad partem corpulentam: ſed multiplicantur, & effunduntur, & communicantur quoad incorporeas virtutes. Cum ergò animæ ſint iuxta Bonau. & Auguſt. ſimiliter in elementis; nec ſint virtutes actiuæ elementorum vulgò manifeſtæ, videlicet calor, frigus, humor, ſiccitas: ſed tamen in eis: conſequens eſſe vt ſint, ſicut participatio diuinitatis ideantis, vt dicit S. Thomas, p. Phyſ. lect. 15. ergo ſicut poteſtas, ſenſus, & amor; & propterea D. Thomas ſemper docuit, appetitum, & potentiam eſſendi, & conſeruandi ſe ſe, eſſe in rebus naturalibus vltra quatuor qualitates elementares: ergo & ſentiendi, dicere debet ex neceſſaria conſequentia, & expreſsè dixit, vt infrà.

Ex Durando Epiſcopo Dominicano Doctore ſolidiſſimo.

DVrandus etiam in 2. d. 15. q. 1. cœlum, ait, cauſat viuentia non „ quia mouet, quoniam motus localis non eſt ratio aliquid agendi: Neque per influxum, ab intelligentia acceptum: quoniam non „ poteſt intelligentia immediatè mouere ad formam: nec mediante „ motu, per quem nihil acquirit, vt ipſe probat niſi vbi, vt ſic: ergo, ait, quia eſt productum à Deo, quaſi ſemen generabilium, & corruptibi- „ lium; & ſicut in ſemine non viuo eſt vis generatiua viui, ſic in cœlo „ vis productiua vitarum. Sed profectò fallitur Durandus, niſi ponat in ſemine ſenſum, & in cœli calore, velut Ariſt. & Alb. fecere, quo ani- „ marent. Omnibus .n. confeſſum eſt in ſemine vim ſenſitiuam ineſſe.

&

& in calore putridorum, vt quodammodo omnia animæ ſint plena; & ipſemet Durandus ibidem.d.18. q.2. agnoſcit rationes primordiales rerum in Deo: obedientiales in creaturis in reſpectu tantum ad Deum: & ſeminales in reſpectu ad certas res: vt in ſemine equi eſt vis ratióque ſeminalis ſolius equi: & inſuper docet quòd virtus ſeminalis eſt actiua ſimul, & paſſiua: ſed actiua magis; & omnia viuentia generari ex elementis habentibus rationes ſeminales, & vim animaſticam, vt Ariſt. & Bonauent. & Alb. Qualitates autem vulgares non ſunt animaſticæ peripateticis vt ſic, niſi vt ſenſu, appetitu, & vi, affectæ. Alioquin eſſet pura materia ſubſtantia animæ, vel inſtrumenta; non autem animaſtica: nec animatiua, nec actiua ad animationem, ſed ad calefactionem, frigefactionem, humectationem, ſiccationem, motionem, &c. Ineſt autem in ſemine, & in putridis, & in cunctis, quaſi ars architectans, & ſenſus, reſpondens directioni architectantis Artis, vt ſuprà ex rationibus, & Philoſophis, & Theologis probatum eſt: ergo, &c.

Ex Ioanne Scoto Franciſcanæ Academ. Principe.

IOan. Scot. in 2. d. 18. q. 1. Anxiè diſquirit de virtutibus ſeminalibus, & tandem vires elementorum ſolas paſſiuas, actiuáſque dicit ſeminaliter ſe habere, ſiue in ſemine animali, ſiue in putrefactis; cum ex eorum tot, tantis, talibúſque particulis, ita concinnatis euenit, vt fiat aliqua qualitas, ſeu virtus apta ad altiorem gradum, ſiue plantarum, ſiue metallorum ſiuè brutorum. Cùm autem inſtat, vndenam tanta virtus ex tali concinnatione, vt organizet corpus, & ſit anima: Reſpondet cum Galeno, & Auerroe, eſſe in ſeminibus virtutes diuinas, quæ ſint autem, non dicit: ſed cum primalitates quatenus ad exteriores actus reſpiciunt, ſint virtutes apud veteres: conſequens neceſſarium eſt, vt participatio potentiæ, ſapientiæ, & amoris diuini, ſit virtus animaſtica. Nec enim ex nihilo producit animas Scotus; nec de ſubſtantia inanimi. Igitur de participio illo: ergò ſenſum rebus ineſſe placeat Scoto oportet, & appetitiuam vim, quæ ſeminarium poſſit eſſe animarum, vel animatorum: conſtat autem ex ſupradictis Auer. & Gal. quòd non aliter ſentiunt de calore animaſtico loquentes: ergo, &c. Mirificè Scotus prætermiſſis dicteriis omnibus de calorum variis differentiis, diuinum quid vltrà elementationem ad rerum animationem adduxit.

Ex B. Alberto Magno, S. Thomæ Præceptore, Philoſopho, & Theologo Eminent.

BEatus Albertus Magnus inchoationes formarum propter autoritatem S. Auguſtini de ſeminalibus rationibus, dat materiæ. Ipſa enim per ſe ad omnem eſt apta formam: ſed per numeros ſeminales ad certas formas. Igitur animarum dat inchoationem & ſeminarium, vt patet ex ſua Phyſ. & lib. de quatuor coæuis, vel ergo iſtæ virtutes ſunt qualitates, vt dicit D. Thomas, & Scotus; vel particula fœcunda ad totam animam, vt videtur dicere Alber. ſi primum cum nulla qualitas ſit animaſtica, niſi ſenſitiua, vt Ariſt. in 2. & 3. de gen. An. & Auer. & Gal. qui calorem dicit eſſe animas, ſicut & Ariſt. ſect. 27. prob. 10. conſequens, vt calor ſit ſentiens, vel alia qualitas occulta in elementis. Calorem ſentire probatum eſt, quoniam animaſtice agit contra ſe, & contra inimicum; propterea non ſolus calor ſentit, ſed frigus, & elementa omnia, in quibus Ariſt. Auer. & Albert. in 2. & 3. de gen. An. ille in textu, iſti in commentis, ponunt virtutem animaſticam, vt ex eis fieri poſſint animalia. Igitur inchoationes ſenſitiuarum, ſunt vel calor, vt ſentiens; vel aliqua vis ſenſitiua, vt particula, quæ in ſpiritum vertitur caloris ope. Nec aliud Alber. adducere potuit. Quocirca in lib. de Hom. cum tractat de Generatiuo, inquit, *anima* plantæ, & bruti, ſunt in ſemine in potentia non materiali tantùm, ſed etiam effectiua, & operante; ſicut omnes formæ, excepta Rationali. Calor autem, & aliæ qualitates, educunt illas, &c. & hoc verum apparet ex eo, quod calor attenuans materiam efficit ſpiritum motabilem, qui eſt anima brutorum, & plantarum, in S. Scriptura. Vnde in reſp. ad penult. & vlt. argumentum q. 1. ar. 1. ibidem ait. Sanguis non facit ſenſum, niſi per calorem naturalem, qui eſt cauſa ſentiendi: non tamen vt principium primum ſenſus, &c. Rectè quidem, quoniam primalitas præcedit, quam effudit Deus ſuper omnia opera ſua, Eccl. 1. & Pſal. 103. *Omnia in ſapientia feciſti*: quam autoritatem allegant Patres, cum de terra, & aquis animalia educunt. Calor ergo, vt ſapientiæ participio affectus, educit animam de corporeitate tenuiſſima ſimiliter affecta.

Præterea idem Alb. ait ſpiritus naturalis, vitalis, & animalis, naſcitur ex vapore effumante de corde: eſtque naturæ aëreæ: & inſtrumentum animæ, per quod influit ſenſum, & motum, &c. & hoc rectè dicit in homine: ſed in brutis eſt anima ſenſitiua ipſe ſpiritus, vt Patres docent, exponentes illud: *Sanguis eorum pro anima eſt*: & alibi, *anima beſtiarum eſt in ſanguine*. Quod de ſpiritu, qui ex ſanguine

ſit, exponunt Amb. Auguſt. Athan. Baſil. & alij paulò antè citati quamuis Scholaſtici quidam Ariſtotelizando dicant, formam immobilem eſſe totius animam. Præterea quomodo ſenſum, & motum, anima influat in membra per ſpiritum, vt Alb. hic, & Auguſt. dicunt: & D. Thom. etiam vitam in 4. cont. Gent. 20. niſi ſit ſenſitiuus mobilis, & vitalis? verè enim ſentit, dum fugit intro in timoribus, & foras in lætitia; & in ſomno, & vigilia ad animandum, & operandum, vt Ariſt. aduertit, & Gal. & Auguſt. Propterea motum, & ſenſum eidem dant.

Præterea in eodem loco Alber. negat formas in generatione hominis ſuccedere, ita vt priùs forma vegetalis, vti vult Scotus, ſit præparatio ad ſenſitiuam, & ſenſitiua adueniens ad Rationalem, quæ omnes perficit, efficítque vnum hominem, non ſimplici, ſed compoſita vnitate; cuius oppoſitum dicit S. Thomas de Mente Ariſt. quod adueniens forma corrumpit non ſeruat præcedentem: id quod nec ipſe D. Thomas in 4. cont. Gen. 44. & in 3. p. q. 2. ſuſtinet, ſed contrarium. At Alb. vult vnam formam à principio ineſſe in ſemine, idque etiam explicat iterum in lib. 16. an. cap. 11. dicens. (Eſt ſimul à principio calor, vegetatiua, ſenſitiua, & Rationalis: ſed priùs manifeſtatur vis caloris elementaris, deinde cœleſtis, deinde opera vegetatiuæ, deinde ſenſitiuæ, deinde Rationalis. quando ergò fiunt organa vegetatiuæ præeſt vegetatiua. quando ſenſitiuæ organa fiunt, præeſt ſenſitiua virtus animalitatis, & cum omnibus ineſt intellectus, ſed non affixus organo, &c.) Hæc rectè dicit Alb. quoniam in calore eſt vegetatiua, & ſenſitiua vis, & intellectiua; ſed intellectiua de foris aſſiſtens, quæ eſt intelligentia non errans: quæ curat, vt abſoluta organizatione, & vegetabilitate, & ſenſificatione, optimè in fine operis creanda anima à Deo, ſuſcipiatur. & hoc docet S. Thom. in 4. cont. . . . . quod non conueniebat diuinæ naturæ aſſumere humanam, niſi organizata prius, ſaltem prioritate naturæ, corporis ſtatua, animatáque anima rationali, vt ſit dignum habitaculum; ſicuti nec anima rationalis vnitur corpori, non prius organizato, vegetanti, & ſenſificato, vt optimè probat Auguſt. qui materiæ informi tam diuinam formam neſcit abſque medio connectere, idemque D. Thom. in q. 13. de creat. 9. qua propter ſi Alber. errat, vt D. Thomas vult in 9. de creat. art. 9. in eo; quod dicit intellectum præfuiſſe, quoniam Deus poſtquam formauit ſtatuam de limo terræ, inſpirauit ſpiraculum vitæ intellectualis: haud tamen errat in eo, quòd dicit, in ſeminibus, & putrefactionibus, ac generationibus cunctis cum calore præineſſe vim vegetantem, & ſentientem: quod & D. Thomas acceptat ſuper Iob. c. 14. quomodo enim organa vegetantis, non vegetans, & ſentientis non ſentiens parabit? volo quidem, vt etiam B. Alb. docet, has virtutes operari in organizatione ſub magiſterio intelligentiæ; haud tamen fieri ex non præexiſtentibus poſſe

dicam vnquam. & cum D. Thomas, ſolùm in potentia præfuiſſe affirmat, ſumit Ly. potentia pro virtute actiua, nedum paſſiua, & pro rei generandæ entitate latente: alioquin vt arguit Scotus, & Caiet. & Auguſt. nunquam non vegetans in vegetatiuum, & non ſentiens in ſenſitiuum verti queat, ſicuti ruditer dicebat Alex. qui etiam ſenſitiuum in intellectiuum exaltat mendaciter etiam contra Ariſt. dogma, vt ſuprà probatum eſt.

Propterea ergo de mente Alber. etiam plantæ, quæ vegetant, ſentiunt, ſicut Nyphus ex illo docuit: eamdémque opinionem S. Baſil. & Euſeb. & Athan. docuere, vt ſuprà narrauimus: Præterea Alb. in 16. anim. c. 11. Motus cœli, ait, operatur in generatione animalium, ſicut inſtrumentum Angelorum, ac proinde Dei, mouentis Angelos, & omnia; cœleſtes virtutes, ait, ſunt in ſpiritu, vt in ſubiecto; in calore, vt inſtrumento: & ſunt ſicut Ars Dei facientis omnia: cuius virtute producitur anima, quæ operatur opera vitæ, &c. Mox docet, quòd calor, & vegetans, & ſentiens, & Ratiocinans, ſunt ab initio, & manifeſtationes earum fiunt gradatim, vt paulò antè dicebamus, non autem nouæ informationes, vt putat Scotus, & D. Thomas. Igitur in calore ſenſum ponit ab initio vt Auer. & Ariſt. & hoc certius declarat Alber. in 16. animal. 4. dicens, virtus animę quæ eſt in ſemine, non eſt anima, ſed aliquid animæ & ſubiectum eius eſt ſpiritus, qui eſt retentus in ſemine per ſpiſſitudinem, & viſcoſitatem; in quo ſpiritu eſt virtus formatiua organorum, & totius (idem dicit D. Tho. 4. cont. Gent. 46.) Huius virtutis formatiuæ inſtrumentum eſt calor, qui habet virtutes animæ, vt eius inſtrumentum, & mouet ad vitam, & habet virrutes cœleſtes, & elementares propter materiam, in qua eſt. ex elementari habet ſubtiliare, mouere congregare diſgregare, &c. ex cœleſti fundare, eſſe permanens & ſubſtantificare, donec fiat animal, vel planta, &c. ex quibus verbis colligimus, eſſe in ſemine, & putrefactionibus, vt mox dicet, partem animæ id eſt ſenſum; qui per calorem, cui ineſt, format, & tandem in animam vertitur, vt dicebat Bonauent. ſicut globus in Roſam. Spiritus enim non ſolùs eſt anima Alberto, ſed producit animam, & Architectatur corpus. Animam autem produci ex eo, quod præeſt, vt ſui pars, hoc eſt, ex ſenſus primalitatum participio, neceſſariò oportet: & argumenta Bonauent. & Thomæ, quòd forma fieret cum magis, & minus, & quòd accidens vni, alteri non eſt ſubſtantia; non procedunt contra B. Albertum, tum quia ſunt ex Ariſtotelis autoritate millies negata à D. Thoma circa hæc axiomata, vt probaui in qu. Phyſicis, tum quia ſi ſpiritus inotabilis eſt anima, vt placet Patribus; argumenta euaneſcunt contra formam procedentia. Mox Albertus hunc ſpiritum nutriri dicit ex externis elemẽtis, ita vt nullum careat ſymbola ſenſitiua vi. Nam ſicut (inquit) ſpiritus vitalis nutritur ex aëre inſpirato, ita ſpirit⁹ formatiuus, qui eſt

in ſemine, nutritur ſpiritu, qui pulſat per poros arteriarum, & calor ««
nutritur per ſanguinem, &c. At, inquam, manifeſtauimus in quæſt. ««
Phyſ. quòd eiuſdem ſubſtantiæ eſt calor cæleſtis & elementaris,
& animalis, ſubiecto ſolùm, & modificatione interdum differens.
& idem calor ſolis inſpeculo generat ignem; & ignis ille animalia,
conſequens eſt, vt ſi vnus calor ſentiat, ſentiant omnes. Prætereà
manifeſtũ eſt ex Medicinalibus, probatúmque nobis, quod idem ſpiritus nutritur ex ſanguine attenuato, ſicut calor, & ex aëre inſpirato, & tranſpirato. & quòd hi ſpiritus non diſtinguuntur ſubſtantia,
ſed officiis, & nidis, vt loquitur Amb. ſeu officinis: Nec formatiua
vis in ſpiritu eſt aliud, quàm pars illa animæ, de qua dixit iterum Alber. in cap. 11. eſt in ſemine aliquid Animæ, ſed non Anima; & ſicut ««
Ars, non ſicut forma, &c. Rectè ſanè. Spiritus enim non operatur, ««
vt forma immobilis, ſed ſicut Artifex diſtinctus à ſtatua inambulans ««
organa, quæ format etiam D. Thomæ: ſed ad formandum agitur diuino artificio; Propterea dixit, ineſt vt Ars, quod etiam Ariſt. dixit, & non intellexit. Deus enim operatur omnia in omnibus: &
fato, Neceſſitate, & Harmonia, adigit ſpiritum calcaribus voluptatis, & doloris, vt ſic agat, organizet, & non aliter, qualiter faceret calor non ſic regulatus. Et quod iſte calor ſit idem vbique ſentiens, declarat Ariſt. ſupra citatus in lib. 17. An. c. 11. vbi Alber. ait,
quòd calor terræ, & aquæ facit animalia, ſicut calor vuluę, & ſeminis. quoniam in terra Aqua, in Aqua ſpiritus, in ſpiritu calor cæli, ««
& ignis, & calor Animæ, ideſt animaſticus, vt Auer. melius exponit, & quidem, vt probauimus, ij calores vnum ſunt, vt calor animaſticus ſit vbique, veluti Ariſt. dixit. In terra, & Aqua generantur
Animalia, & plantæ; quoniam eſt in Terra humor, in humore ſpiritus, in ſpiritu calor, vt quodammodo omnia animæ ſint plena, &c. ««
ergo calor, qui eſt in ſemine, eſt idem cum calore, qui eſt in terra, & ««
humore, & ſpiritu, id eſt aëre; vt vult Alber. & Auer. & idem eſt
ſenſitiuus Alber. & Auicen, & Auerr. & Ariſt. & Auguſt. vt nulli
ſit dubium, in elementis cunctis præineſſe ſenſum, ex Alberti ſenſata doctrina.

Ex S. Thoma Eccleſiæ Doctore Angelico, Magiſtro Acad. Prædicatorum.

TAndem D. Thomas potentiam eſſendi, & amorem eſſendi, & finis, & manifeſtè, & ſemper cunctis rebus naturalibus, etiam inanimatis, & in ſe ipſis, dat, & ab exterioribus cauſis: Senſum verò aliquandò perplexè, aliquandò manifeſtè, aliquando ex neceſſa-

tia conſequentia; vt nullum ſit dubium, quin imago, aut Veſtigium diuinæ Trinitatis, completum vbique doceat. ergo & ſenſus vbique. De potentia nullus dubitat Thomiſtarum; omnes enim res ſunt, quia poſſunt eſſe, & poſſunt conſeruari in ſuo eſſe: hac enim potentia ablata, ampliùs non ſunt: vt in Medic. & in Metap. oſtenſum eſt. Patet hoc etiam P. P. q. 99. & q. 109. & q. de Pot. & 1. 2. q. 55. vbi docemur res priùs poſſe eſſe, deinde poſſe, quia poſſunt cõſeruari, & per proprias virtutes innatas, & per cauſas ſuperiores; cuiuſmodi eſt Sol, cælum, elementum cognatum, vt piſcibus mare, aër feris; & tandem per primam cauſam, quæ Deus eſt. De Amore duplici etiam conſtat apud D. Thomam; alterum enim vocat naturalem ſequentem eſſe, vel eſſentialem ipſius eſſe, quo amant plus Deum creaturæ omnes, quam ſe ipſas, vt patet ex 12. q. 109. ar. 3. vbi docet, quòd etiam creaturæ inanimatæ quantum habent de Eſſe, tantum habent de Amore; & ideò amant Deum, vt totum eſſe, cuius ipſę ſunt participationes, pluſquam ſe ipſas; probatque auctoritate S. Dyoniſ. concluſionem. ſimiliter P. P. q. 60. 5. amat, ait, omne ens magis Deum, quam ſe ipſum naturali amore pro modulo ſuo. Quoniam amat bonum, ergò magis amat maius bonum, quod eſt amabile magis ſecundum naturam. Amor enim naturalis non poteſt peruerti, ſicut electiuus, quo amamus etiam aliquando minus bonum magis. Ideò non poteſt creatura magis amare ſuum eſſe partiale, quàm diuinum totale, & fontale, vnde habet, vt ſit, & bonum ſit. Vnde in 2. argumento Theologico. Alterum amorem agnoſcit D. Thomas in rebus, quo amant ſeipſas, vt partes totius boni amabiliſſimi vt ex præfato diſcurſu S. Thomæ patet, vbi dicit quod amant ſeipſas, ſed plus Deum. item ex eo, quod dicit 3. cont. Gen. 22. videlicet quantum entia participant de bonitate diuina, tantum participant etiam de voluntate diuina, qua amant propriam bonitatem, & eſſe. Item ex eo, quòd dicit in 3. cont. Gent. 19. 20. 21. 24. Res omnes cupere propriam entitatem & bonitatem, & perpetuitatem, quoniam cupiunt aſſimilari Deo in eſſe, & operari. & ideò omne ens naturaliter agit propter finem, & appetit finem, vt etiam probat in 2. Phyſ. cum Ariſt. vnde Natura (in lec. 14. ait,) eſt Ratio diuinæ artis perducens res ad fines ſuos; ſicut Ars eſt natura extrinſeca. & hoc appetitu inſito grauia deorſum, leuia ſurſum tendunt, plantæ fructificant, foliis ſe tegunt, & ſimiliter calor fugit frigus, aut fugat, aut extinguit; & frigus calorem, &c. quoniam amãt proprium eſſe, & ſic omne elementum agit amore proprij eſſe, & odio proprij non eſſe, ad quod per contrarium ducuntur: & propterea amica ſectantur, inimica oderunt, quoniam ſentiunt inimica & amica. Hunc autem amorem, & odium non ab extrinſeco ponit D. Thomas, ſed intrinſecus in propria forma, & ſubſtantia, & participio Eſſe. quãtum enim ait, participant de eſſe, tantum & de Amore. Idque probat etiam 3. cont. Gent. 69. vbi errorem Maurorum vnà cum Auer. redar-

guit, ponentium à Deo actus, & operationes, non à proprijs rerum formis prodire. Vnde ſequebatur quod Deus calefacit in calore non autem calefacit calor. idcirco amorem naturalem in formæ inclinamine ad finem ponit D. Thomas. Cum autem ponit ab extrà, docet talem inclinationem, vel eſſe violentam, vt in lapide proiecto: vel ſupernaturalem, vt in prædeſtinato, ſicut dicitur PP. q. 23.1. vel regitiuam, ſicut in Bailo exequente iuſſum Regis, vt dicit q.22. de volunt. ar. 1. & ſic Opus naturale, vbi & quatenus rationabiliter fit, eſt opus intelligentiæ non errantis, vt Philoſophi docent, & ipſe D. Thom. in 3. cont. Gent. 24. ſic Floritio, vt Floritio, eſt ab arbore; vt artificioſa, eſt ab intelligentia: vt autem propter finem immortalitatis ſaltem ſucceſſione conſequendę, eſt à Deo principaliter, ab Angelo directiuè, ab arbore executiuè.

At regula vniuerſalis eſt D. Thomæ, quòd omne agens propter finẽ appetitum, præcognoſcit finem, & rationem finis, ſi eſt rationale agẽs, vt homo. Appetit autem, & præcognoſcit finem, ſed non rationem finis, ſi eſt animale Agens, vt Canis præſentit cibum, & coitum appetitum, ſed non vitam, & immortalitatem, quæ ex coitu reſultare poteſt, nec hunc coitum eſſe Medium ad hunc finem. Ità docet in p.2. q.1. ar.1. & 2. diſt. 25. q.1. Et quamuis in q.22. de ver. ar.1. docet, quòd naturalia mouentur à Deo præcognoſcente, & ordinante ad finem, & non à ſe: hoc tamen intelligit principaliter quoad finem, & rationem finis. Sic enim à Deo, & ab intelligentijs mouentur. Cum quo ſtat, quod proprium appetitum in illis inditum præcedit proprius ſenſus etiam in illis inſitus, alioquin eſſent, ſicut ego & tu. Non enim poſſum appetere ego, quod cognoſcis tu; nec equus amat vt bonum, quod nõ cognoſcit ipſe, ſed canis: niſi moueatur aliunde vi calcarium aut ſupernaturaliter; & hoc ipſemet D. Thom. docet in præfatis locis, & amplius in Ver. q.22. de volunt. ar. 1. vbi ait, quod ſi naturalia non à ſe, ab alio ducerentur in finem ſicut ſagitta, tunc non appetere finem, ſed dirigi, aut impellidi, cerentur. Nunc autem verum eſt, quod appetunt, mouentúrque appetitu innato, ergo & innato ſenſu eius, ad quod mouentur, & appetunt. & hoc concedit S. Thomas Ver. q.22. de volunt. ar. 2. quòd ſic, & tantum amant Deum, vt, & quantum cognoſcunt.

Si quis autem opponat, quòd D. Thomas dicit in q.23. de volunt. ar.1. Quod triplex (ait) eſt appetitus, videlicet Rationalis, Animalis, & naturalis. Porrò Rationalis (addit) mouetur ſpecie vniuerſali, apprehenſa ſine materia, & ſine præſentia materiæ; & propterea eſt liber Appetitus ad velle, & nolle, & ad omne bonum vniuerſaliter. Appetitus autem animalis mouetur à forma præcognita, ſed materialiter recepta, licet ſine materia. Et propterea non eſt liber Appetitus, quia materialiter recipit. Attamen, quia ſine materia, eſt aliquo pacto liber. Appetitus naturalis ſecundum aliquos Doctores ſequitur præ-

,, cognitionem naturalem. at hoc verum non eſt, ſed ſequitur inclina-
tionem formæ inditæ, non autem receptæ ab exterioribus, ſicut ratio-
,, nalis, & animalis, & ideò (ait) fit ſine cognitione. Alioquin forma
,, naturalis cognoſceret ſeipſam (vt concludit in q. 22. de volunt. ar. 1.
ad 20.) quia cognitio fit per aſſimilationem. Idem autem ſibi non
,, poteſt aſſimilari: Nam impedit notitiam inexiſtens forma, ideò abſq;
,, præcognitione appetunt.

Reſpondeo, quòd D. Thomas loquitur de notitia animali per ſpeciem acceptam immaterialiter: & hanc negat calori, & frigori, & plãtæ, & metallo: imò & guſtui animalis neganda eſt: quippe quod recipit ſapores cum materia, & præſentia materiæ, nec propterea ſenſus non ſit: Nos autem loquimur de ſenſu naturali, qui fit ex perceptione paſſionis, qua ſentit ſe affligi, minui, & extingui, contrarium à contrario, vt calor à frigore, & ideò fugit, aut pugnat vſque ad internecionẽ: ſicuti è cõtra ſentit à ſibi ſimilibus, cognatiſque foueri, & augeri. ideóque ſectatur amplectitúrque, vt Magnes ferrum, & Mercurius Aurũ: quod etiam in cunctis ſympathia, & antipathia docet. & Motus rerum ſurſum aut deorſum, aut quæcunque ad cognata corpora, fugáque à nociuis, vt in quatuor libris de ſenſu rerum probauimus argumentis, quibus nemo reſpondere poteſt, niſi dicere, Neſcio, quia virtus occulta eſt, &c. Rationes etiam S. Thomæ ſunt ex aliena opinione Ariſtotelicorum, putantium, nihil cognoſci, niſi ſit contrarium aliquo pacto, & per ſpeciem acceptam. Apud alios verò, qualis Seneca, Durandus, Teleſius, multique Theologi, qui negant ſpecies illas intentionales, valent nihil. Præterea D. Aug. lib. de Anima & Spiritu cap. 2. docet quod anima intelligit ſeipſam per ſe. & 7. ſuper Gen. c. 21. D. Thomas idem dicit de Deo, & de Angelis quod intelligunt ſe per ſe, & non per ſpeciem aliunde acceptam. Similiter Henr. Gandauens. intelligere abditum eſſe ſine ſpecie, aliunde recepta; ſuperadditum verò ab externis, ſic. Quapropter ratio S. Thomæ eſſet contra S. Doctores, & contra ſeipſum, ſi eſſet ex proprijs, & de omnimoda cognitione. Igitur loquitur de cognitione illata, & non de naturali, quando probat quod res naturalis non noſcit ſeipſam, ideſt animaliter ob illatam ſpeciem. Cum quo ſtat, quòd ipſe non negat notitiam, qua res cunctæ amant proprium eſſe tanquam bonum ipſis notum, vt ſæpè dictũ eſt. Et hoc patet, quoniam omnia amant ſimilari Deo, & ſeruare ſuum eſſe, quia eſt participium diuini eſſe, in doctrina S. Thomę. ergo concedit illis amorem ſui, ergo & notitiam ſui; ergò, & amare & noſſe conſeruationem ſui, & odire ac noſſe deſtructionem (idem enim eſt eſſe, & conſeruari) ergo & conſeruantia, & deſtruẽtia: ſed negat illis notitiam finis, ad quem feruntur naturaliter, & rationis finis, & mediorum: non autem paſſionis noxię deſtruentis, & delectabilis conſeruantis, ſenſum abſtulit vnquam, vt patet; quoniam de finis notitia, & de illata hic loquebatur.
,, Hoc etiam liquet ex Reſponſo ipſius ad arg. 13.

eiuſdem

eiuſdem articuli; vbi ait, quòd res naturalis non metaphoricè, ſed verè delectatur fine acquiſito, quem appetebat, licet largo modo: quoniam & Dionyſ. in 4. de diuin. Nom. dicebat, quod pulchrum, & bonum eſt omnibus delectabile, & amicabile. Et id oſtendit rerum auidus motus ad cognata, & fuga ab inimicis. vnde ſtultum eſt dicere, quod appetunt ire, & eunt appetendo ad rem amatam, & cum iuerint, ibi non delectantur.

Præterea idem D. Thomas docet q. 25. de ſenſual. ar. 1. Appetitus rationalis tendit in bonum abſolutè, tanquam in finem præcognitũ, & ex præcognita ratione finis. Senſualis verò tendit in finem præcognitum, non ſub ratione boni communiter, ſed conuenientis ſibi: hoc eſt quatenus vtile vel delectabile eſſe ſcitur. Appetitus vero naturalis eſt determinatus ad finem, & tendit abſque apprehenſione finis per quã ſecundum rationem appetibilitatis diſtinguatur res appetibilis à non appetibili: ſed hæc apprehenſio eſt in Autore Naturæ. Obiectum ergò appetitus eſt hæc res in quantum talis res. Appetitus verò ſenſibilis, eſt hæc res in quantum conueniens, vel delectabilis. Sicut Aqua non in quantum Aqua, ſed in quantum conueniens guſtui appetitur. Obiectum verò proprium voluntatis rationalis eſt bonum abſolutè, &c. Quò circà videtur D. Thomas auferre Naturalibus ſenſum diſcretiuum conuenientis ab inconuenienti, quatenus ad finẽ ſpectant, ad quem diriguntur ab Autore, diſcernente; non autem quatenus feruntur ad finem ex proprio appetitu. ſic enim neceſſariò delectantur, cum Amico copulantur, & dolent cum inimico. Probatum eſt enim ſupra id ex Antipathia, & Sympathia, & ex doctrina Patrum; quod Deus dolore, ac voluptate, amore, & odio, cuncta regit, adigitque ad ſuos fines, etiam non prȩcognitos, ſicut equus ad bellum, vel ad ſibi ignotas nuptias. Præterea ex eo, quod ſupremum infimi attingit infimum ſupremi, & è conuersò, probauit D. Thomas in 3. d. 26. q. 2. & P. P. q. 77. 7. quòd ſenſus eſt participatio intellectus, & quod ſenſitiuum participio eſt Rationale. ergò naturalis appetitus eſt ex participio ſenſitiuus: ergò D. Thomas dat ſenſum naturalem naturalibus, licet neget Animalem: Alioquin ſua diſtinctio de triplici appetitu, & graduatione eorum, & regula S. Dionyſ. ab eo tantoperè celebrata, eſſet fallax. Præterea ibidem dicit, & replicat in q. 25. de ſenſual 2. quòd sẽſus eſt sẽſus, quatenus recipit materialia obiecta: ſed quatenus recipit ſine materia, habet, vt ſit intellectus, vel Ratio. ſic naturalis virtus, quatenus appetit rem, aut odit, vt res eſt, dicitur naturalis: vt verò ſectatur, aut fugit paſſione percepta ab ipſa, tanquam ab amica, vel inimica ſicut ſympath. & antipath. docet, ſenſitiuus eſt, per regulam S. Thomæ & S. Dionyſij. Pariter enim ſenſus, vt eſt virtus æſtimatiua (inquit D. Tho. in 3. d. 16. q. 1. ar. 1. & 2.) apprehendit rationem conuenientis, & diſconuenientis, non autem quatenus ſenſus, & carni concretus, & organis. Igitur liquidò conſtat, quòd cum D. Tho-

mas negat ſenſum cognoſcentem rationem conuenientis, & diſconuenientis, rebus inanimatis, loquitur de ſenſus parte ſuperiori, ſecundum quam eſt rationalis: non de inferiori, quem participat vis naturalis perceptiua caloris, & frigoris, & elementorum, pugnantium pro vitæ tuitione fugentium inimica, & ſectantium amica. Id autem manifeſtius eſt, quoniam D. Thomas ponit vitam etiam in calido, & humido, in 2.d.15.q.2.1. ſimiliter in lib. de morte, & vita, vbi Ariſt. *Vita*, ait, *eſt permanſio caloris natiui*, & in Probl. 27. quod *calor eſt quaſi animal per ſe mobile intrò foraſque.* Præterea calor apud Ariſt. 4. Meteor. & 2. & 3. de Gener. Anim. architectatur corpus animatum, & animat, & viuificat; idemque ſuprà citati Patres dixere. Idemque D. Thom. Pot. q. 3. 8. & 14. & 1. p. q. 118. 1. 3. virtus ſeminis agit triplici calore videlicet Animalis, cæli, & elementi; vt dixerat pridem præceptor eius Albertus M. ſed aliquando concedit D. Thomas calorem cæli eſſe eumdem cum elementari P. P. q. 68. vbi Platonem facientem cælum igneum laudat, tanquam textui Moſis conuenientiorem. Calor autem animalis procul dubio eſt ab elemento ignis, compoſiti ad miſtionem, vt dicit in 4.d.19.1.ar.4. Nam vt igneus omnia conſumit; vt inſtrumentum animæ vegetantis, generat carnem, nutrit, &c. Idem dicit p. An. lect. 14. & P. P. q. 78. 1. Ergò eſt idem calor animalis, & elementaris, & celeſtis: non enim aliunde venit ad miſtionem. Sed iſte calor etiam vbi non adeſt anima, nec ſemen, vt in ſtercoribus, & putredine, generat animalia, à nulla regulatus anima, etiam teſtimonio Ariſt. & Bonau. & Alberti, niſi influxibus magnis ab intelligentia. ergò calor per ſe animaſticus eſt, ergò ſentit S. Thomæ, veluti & Ariſt. & Plato, Hipp. & Auer. & Gal. & alij Philoſophi docuere. Amplius Magnes D. Thomæ attrahit ferrum ex vi ſpeciei à cælo data, vt dicit 4.d.33. q. 1. & ſpiritual. 2. c. & An. 1. & 3. cont. 92. quoniam imprimit illi virtutem, & alterat, vt dicit 7. Phyſ. lect. 3. ſed cælum non dat aliquid ſupra calorem, & lumen, vt alibi probauit, & ſigillationem; ergò calor animaſticus, & attractiuus eſt illi. Tandem ipſemet D. Thomas omnes tollit ambages ſuper Iob. 14. lect. 2. Siquidem, vbi dicitur in Textu. Lignum
„ habet ſpem, ſi præciſum fuerit rurſum reuiuiſcit: & rami eius pullu-
„ lant. Si ſenuerit in Terra radix eius, & mortuus fuerit in puluere trun-
„ cus eius, ad odorem aquæ germinabit, &c. (ibi dicit S. Thomas.) Ideſt
veniente pluuia, (ideſt) putredine ligni habente vim ſenſitiuam, &c.
„ Profectò ergò dat vim ſenſitiuam, plantis, & putrefactis rebus, & elementis; ex quibus fiunt plantæ, & bruta, ſicut & Ariſt. 3. de gen. An. 11. Hoc idem quod Iob. dixit Virgil. Georgicorum 2.

..... Quin etiam mirabile dictu,
Truditur ex ſicco radix oleagina ligno.

Ex putrefactis autem bubalis Apes, ex equis veſpæ naſcuntur, & cunctis ex cadaueribus vermes; Nam & ſi ſenſus animalis illis abeſt, vt dixit Auguſt. in lib. de cura prò mortuis agenda: haud tamen deeſt na-

turalis, vt idem Auguſt. docet 3. ſuper Gen. cap. 14. & hoc in loco D. Thomas & Ariſt. 17. An. & Auer. & Alb. M. & alij ſupra citati. Ipſe quoque D. Thomas in 2. Phyſ. & alijs in locis ſuprà citatis, ratione regi naturalia cuncta docuit, & naturam eſſe rationem rebus inditam; quam abſque ſpontaneo appetitu, ergò & ſenſu, operari, niſi per vim, aut ſupernaturaliter, aut directiuè tantum, impoſſibile eſſe docuimus. Similiter, & in q. 3. de creat. 9. Ponit, ſicut Alber. vim formatiuam in ſpiritu animaſtico, qui in ſemine, & in putrefactis ingeneratur caloris attenuantis, ac ſentientis vi: & cum aduenit anima rationalis, nō vult corrumpi ſpiritum, nec calorem, nec virtutem formatiuam, ſed remanere, vt regitiuam; ſpiritum verò, vt Mentis inſtrumentum. Idemque docet in 4. cont. Gent. 44. ex parte, ex parte verò in 3. p. q. 2. ar. 2. & 5. quoniam rationalis prærequirit ſenſitiuam, & organa affabrè elaborata: eaque adueniens perficit, non deſtruit, ſic Verbum corpus benè organizatum, & rationalis animæ informatione decoratum, vt cōuenienter vniri poſſit, & non deſtruere, ſed perficere quod inuenit. Igitur ſi hanc Philoſophiam ritè expendamus, videbimus D. Thomã cum optimo ſuo præceptore conuenire B. Alb. Magno; quod nimirum in rebus præineſt ſenſus. Et non manifeſtatur animaſticè, niſi poſt ſenſoriorum formationem, & in ſemine & putridis eſſe Animam in potentia, actiua ſcilicet & materiali, quoniam præineſt ſenſus, & motus vitalis in actu: alioquin nunquam promouebitur corpus ad animatum eſſe. Manifeſtat autem Ranarum ſubita generatio ex guttis pluuiæ calidis, & puluere terræ viſcoſo; quæ fieri tam citò nullo queant pacto, niſi præinſit vis ſenſitiua, non modò in putridis, vt docet D. Thomas in Iob. 14. ſed etiam in calore, & cunctis in elementis, vt Alb. Auer. & Ariſt. cæterique Philoſophi, & Patres ſanctiſſimi ſuprà allegati docuerunt. Item licet D. Thomas 2. cont. Gent. 68. vegetatiuam, & ſenſitiuam brutorum & plantarum, & attractiuam Magnetis, doceat ab Angelis per motum cælorum, vel à virtute cælorum fieri, cæteráſque formas, in materia, quæ non poſſunt fieri ab elementaribus viribus: Tamen non excludit ſenſum à rebus. vt .n. in eodem lib. & P. P. q. 65. 5. declarat, cælum, & Angeli non dant formam, nec generant, quoniam Materia eis non obedit ad nutum, nec alterant, ſed ſolum mouent ad formam. Igitur vis vegetans, & ſentiens, ſunt in rebus ſecundum D. Thomam, & à cælo per motum concinnantur, vt ſint ad animandum formatæ. «veniunt enim formæ (ait) ab Angelis, & cælo, non per influ«xum, ſed per motum. & Aug. per agricolationem, vt ſuprà. Si quid aliter ex Ariſtoteliſmo D. Thom. dixit non ei contradicit, qui hæc ex illo affirmat, quippe qui in opuſc. 72. nos docet, vt cum in eius libris pugnantia deprehendimus, ſequamur eam opinionem, quam conſonantiorem veritati agnoſcemus. Propterea Thomiſtarum opiniones variæ. Sed hæc ſolidior, quę philoſophis, & Patribus, & ſcripturis commodior.

CONCLVSIO.

QVi ergò negat omnem ſenſum cunctis rebus naturalibus, contrariatur naturæ decretis, Philoſophorum doctrinis, Naturam declarantium; ſanctæ Scripturæ autoritatibus, ſenſum multiplicem rerum teſtificantibus, & diuiniſſimis Theologis, naturæ, & ſcripturę, qui duo Codices Dei ſunt, ſapienter interpretantibus, & atheis omnem diuinitatem fauet excludentibus. Qui autem ſenſum concedunt, his omnibus conſentiunt. & pietatem colunt, dum Dei teſtimonia in ſenſu Rerum, & Mundi animatione, & vita, contrà Diuinitatis hoſtes Atheiſtas, hæc omnia negantes, venerantur.

RESPONSIO AD ARGVMENTA Principalia.

AD 1. Reſponſio. quòd nullus Philoſophorum potuit ex inſenſatis elementis rebúſque, facere ſentientia animalia, vt probatum in 1. & 2. Phalange ex eorumdem auctoritate. Nam vel ſenſum rebus indunt, vt Thales, Heraclitus, Empedocles, Anaxagoras, Diogenes, Ariſtoteles, &c. vel à Deo, vt Varro, & Zeno. vel Deum ipſum, vt Dauid Mantiſco. & Mannich. vel ab Anima mundi, vt Plutarch. & Platonici quidam, vel à materia ſpirituali, vel ſeminaria Animaſtica vt Auguſt. & Bonau. notarunt: vel ab aliqua intelligentia, vt Auic. & Peripatetici multi deriuant. Quorum opiniones reprobauimus, eámque ſolam veram oſtendimus, quam S. literæ pronunciant, videlicet, ex elementis brutorum animas, hominum verò à Deo ex nihilo. Solus autem Democritus, & ſequaces epicurei, ex non ſentientibus ſentientia faciunt, & intelligentia, tàm inconſideratè, & ruditer, vt ab omnibus explodantur: quoniam hoc ex ſua poſitione, qua negat Deum eſſe Autorem, & rerum curam gerere: eiuſque ſapientiam rebus infuſam, ſed caſu fieri, regique omnia. Viderint quibus aſſociantur, qui librum de ſenſu rerum nequaquam probant. Rationes contra Atheiſmum, huius opinionis cauſam, vide in Atheiſmo Triumphato.

Ad 2. negatur antecedens, omnes enim Theologi ex S. ſcriptura, & ratione impulſi, dedere rebus naturalibus vitam, & ſenſum, vel expreſsè, vel neceſſaria conſequentia, vt in 3. & 4. Phalange argumentorum monſtratum eſt.

Ad 3. negatur conſequentia. Imò ipſe Eccleſ. in p. cap. dixit. Deum *creatam Spiritu ſancto ſapientiam, effudiſſe ſuper omnia opera ſua, &c.* & propterea in cap. 42. de cunctis elementis, & elementatis dixit: *Omnia hæc viuunt, & in neceſſitate obediunt Creatori,* vt ex 3. phalange, argumento primo, & 5. patet: ex eo verò cap. 16. vbi inſenſatum cor dat creaturis, potius intelligere debemus, creaturas habere vim animaſticam. Cor enim pro anima accipitur in ſcripturis, iuxta illud Pſal. 32. *Qui fingit ſingillatim corda eorum;* Et Matth. 15. *de corde exeunt cogitationes malæ.* Sed dicitur inſenſatum reſpectu noſtri: ſicut aſinus & homo indoctus, dicitur inſenſatus reſpectu viri ſapientis, & hoc patet, quoniam ibi objurgat homines rationales, Deo ſe abſcondentes, non obedientes cui etiam parent, & obediunt, quæ noſtri reſpectu inſenſatum habent cor. Ait enim: *Non dicas à Deo abſcondar, &c. in populo magno* (ſcilicet creaturarum) *non agnoſcar, quæ eſt enim anima mea in tam immenſa creatura? Ecce cœlum, & cœli cœlorum, abyſſus, & vniuerſa terra, & quæ in eis ſunt, in conſpectu illius commouebuntur. Montes ſimul, & colles, & fundamenta terræ cum aſpexerit illa Deus, tremore concutiuntur; & in omnibus his inſenſatum eſt cor, & omne cor intelligitur ab illo, &c.* Quibus ſanè verbis ſenſum, & affectum, & paſſiones ſenſuales, & appetitiuas, ſeu cor, docet rebus ineſſe erga Creatorem, & ad ſe inuicem, vt ſuprà declaratum eſt: licet comparata hominibus rationalibus inſenſata dicantur.

Ad 4. Videtur Ariſt. nugari contra Thaletem in 1. de an. ipſum accuſans, omnia facientem animæ plena: quem in 3. de Gen. an. cap. 11. deinde ſectatur, confitens animæ omnia plena. Quo circa, & Durandus, & Lactantius incuſant Ariſtot. tanquam ſæpè contraria dicentem, & ſentientem. Itaque reſp. Quòd etiam ſi anima ſit in aëre, nequaquam propterea ibi animalia faciet: non enim ſola anima ſufficit ad animalium conſtitutionem, ſed requiritur etiam corpus humidum, vt ſit ductile, & ſolidum, vt ſit conſtans, atque organizari queat ad opera vitæ, & receptaculum animæ. Proptereáque volatilia ex aquis, terra miſtis, ſacra Scriptura educit. Aër autem, & ignis tenuiſſima ſunt, ſensúque ſagaci prædita vt docet Auguſt. in lib. de diuin. Dæm. ad animandum, vbi craſſitie obteguntur aptiſſima. & ideò benè melior in vtriſque vis animaſtica, vt Ariſt. confitetur.

Ad 5. Igitur reſponſio patet. Quoniam anima aëris libera eſt in corpore ſimilari (ſi tamen anima dici poteſt) nec diuerſis partibus variarum conſiſtentiarum, diuerſis obnoxiarum iniuriis, quales ſunt in difformi corpore animalium, alligata eſt. At etiam S. Auguſt. reſpondet; quòd aër tenuior, & viuidior, ideóque aptior ad agendum, quam ad patiendum, vt lib. de Diuin. Dæm. & Gen. 3. oſtendit. Porrò nec Ariſt. rectè dubitat. Quærere enim debuiſſet, cur aër plus viuit quàm animalis corpus: & tunc ex ſolutione reſciuiſſet, vt Galen. philoſophari ſolet

Ad 6. Nequaquam dicimus,aërem,aut ignem animalia: nec animantia,licet hoc aptius dici poſſit: ſed ſentientia modò. Quoniam non animalem ſenſum,ſed naturalem habent. Animalis enim ſenſus conuenit ſpiritui animanti,vt nomen ſonat, hoc eſt ad omnem motum intrinſecùs impellenti: vnde Hipp. ait: *Animal componi ex contentis, continentibus, & impetum facientibus.* Hoc eſt, ex humido, ſolido,& ſpiritu,intra craſſam incluſo molem,organizatam ad vtriuſque vitam,poteſtatoriis appetitoriis,& ſenſoriis. Senſus autem ignis inclitus illi,ſicut ſpiritui eſt,nec intra ſolida retentus organa; & quẽadmodum ſpiritus non dicitur anima propterea, quòd ſentit; ſic neque ignis propterea quod ſentit.de quo Virg.inquit: *Aethereum ſenſum, atque auraï ſimplicis ignem.* Qua propter iniuſtè accuſatur Thales; quamquam poteſt vocaſſe animalia mundi elementa: ſicuti & D. Hier. & alij, quatuor animalia Ezechielis interpretantur elementa quatuor: ex ſolo nempe ſenſu: non autem propriè, iuxta nominis impoſitionem. Imò,inquam,nec anima vocatur anima, cùm foris eſt,ſicut dum eſt in corpore,ipſum animando: ſed mens,vel ſpiritus; licet ſoleat etiam dici anima propter commenſurationem, & propenſionem ad corpus,quod animauit,& animabit, vti S. Thomas conſiderat. Homo quidem eſt animal à ſpiritu animali, vt bruta: homo, à Mente.

Ad 7. Concedo,animam eſſe ſimilarem; loquimur enim nunc de anima brutorum corporea,tenui,inſtar aëris, vt Patres ſupra citati loquuti ſunt. At ex hoc non ſequitur,quòd non poſſit diſſimiles corporis animare partes; ipſa enim non ineſt, vt forma, ſed vt agens, & habitator, vt in propria quæſt. probauimus SS. Chryſoſtomi, Ambroſ. Gregor. Nyſſ. aliorúmque Patrum teſtimonio comprobatis rationibus, ex textu Moïſis, cui anima dicitur ſpiritus vitæ, & ſpiritus motabilis; coniunctus tamen ſubſtantiali originali coniunctione: è cerebro diſcurrens per neruoſum genus, foras, & intrò ad corporis ſenſificationem,& motionem,& vegetationem; quæ ſpiritibus irretitis inter viſcerum fibras abſoluitur: & hic actus dicitur animatio; ſi autem ineſſet vt forma, & temperies, quemadmodum Galeno, & Alexandro placet, nequaquam eſſet vna in corpore non vniformi; omnis enim pars proprium temperamentum propriamque formam habet, vt palam eſt de cordis,iecoris,renum, capitis, ſtomachi,carnis, oſſium,&c. temperamentis variis; formiſque, ex elementatione reſultantibus variis. Mens tamen humana poteſt diffomme corpus informare: quoniam non eſt forma elementationis, dependens à materia vel miſtione,illíque immerſa: ſed dependet à Deo, & ineſt corpori, ſicut lux aëri,teſte Amb.in lib.de bon.mort. & ſicut Rector, Artifex, & habitator, vt Chryſoſt. Baſil. Amb. Greg. Nyſſen. & cæteri Patres decreuerunt; non autem,vt enthelechia. Hoc enim reprobat Ambr. lib. de Iſaac contra Ariſt. Item Nyſſen. & alij Patres. Porrò autem

Patres in Concil. Vienn. decreuerunt, animam eſſe formam contra Auer. & alios peripateticos, qui ex hoc, quòd non eſt forma, falsò inferebant, eſſe vnicam in cunctis hominibus: contra quam hæreſim factum eſt decretum, quòd ſit forma, ſi plurificatur ex hoc, quod forma eſt, non autem contra Patres ſanctiſſimos, atque doctiſſimos, qui plurificant animas humanas. ſed formas eſſe negant, ſicut ponuntur ab Ariſt. ne forte corruptibiles, ad corporum informatorum corruptionem, facere cogerentur: ſicut declarauimus in q. de diffinitione, & immortalitate animorum. At ſi nunc contra Thaletem loquitur Ariſt. de partibus mundi difformibus, nil probat: non enim animam partibus mundi, quæ forma ſit, damus, ſed ſenſum naturalem, qui eſt entitatis primalitas. Nec enim, quia calor, & frigus, ſentiunt, dicuntur animari, vel informari, vel habitari à ſenſu: ſed conſtitui, quaſi eſſentialitate entis, quantum. n. habent de Eſſe, tantum de amore & ſenſu, & potentia vt ſuper oſtendimus, & ex D. Bonau. Præterea idem Solis calor, & lux, eſt in lapide, in planta, in metallis, in aëre, in nubibus, in liquoribus, neque inconuenit: quoniam non eſt forma compoſitionis, quæ difformia informare non poteſt, ſed poteſtas ſimplex, multipliciter commiſcibilis: Idemque contra ſe Ariſt. fatetur 3. de Gen. An. quando dixit calorem eſſe aliquo pacto animam terræ, aquæ & aëris, & Auer. in commento, dixit, calorem eſſe virtutem animatam & tamen in multis eſt difformibus corporibus.

Ad 8. Primò reſpondet, S. Hier. in 10. Ezech. quòd Deo omnia viuunt, quomodo Virg dixit, Nec morti eſſe locum, atque Deum ire ‹‹ per omnes, terráſque, tractúſque maris, cœlúmque profundum) & in ‹‹ 8. Matt. quæ nobis ſunt inſenſibilia. Deo ſunt ſenſibilia: ergo & cadauera. Mox dicebamus, quod licet non inſit ſenſus animalis in cada- ‹‹ ueribus, ineſt tamen naturalis ex quo paulatim attenuante calore, conſurgit ſenſus animalis, dum in ſpiritum conuertitur motabilem, vt dicebat S. Baſil. Hoc quidem palam eſt, quoniam vermes ex cadaueribus naſcuntur, ſenſu prædíti, non ab anima mundi, nec à cœlo, nec ex nihilo, ſed ex naturali eſſentialitate, ſeſe promente. Proptereáque S. Auguſt. ſibi ipſe reſpondens in 3. Gen. 14. ait. Cætera animalia, quę ‹‹ de mortuorum naſcuntur corporibus, abſurdiſſimum eſt, dicere tunc ‹‹ creata, cum animalia ipſa creata ſunt, niſi quia inerat iam in omnibus animatis corporibus vis quædam naturalis, & quaſi præ ſeminata ma- ‹‹ teria, & quodammodo initiata primordia futurorum animalium, &c. ‹‹ hanc materiam alibi vocauit lucem ſenſitiuam, cunctis inſitam: diſtinctam à corporali, & rationali. Igitur licet mortuum ſit corpus nobis, non tamen Deo, & licet in vita animali mortuum, quia amplius animal non eſt, viuit tamen in naturali, & viuentia producit ex præſeminata materia, quæ participium eſt primalitatum. Vnde vngues, & pili vegetante vi, creſcunt in mortuis: & caliditas excreta ingenerat ſpiritum irretitum, qui organizat corpus, vt fatetur Ariſt. Auer,

Alber. Thom. & alij: caliditas autem animaſtica eſt, vt ſæpè probatum eſt. Prætereà manifeſtè chorda, & pellis ouina, exhorret lupinam poſt mortem; & occiſus coluber fraxini ab vmbra recedit, & cadauer occiſi feruet, & icit ſanguinem ad occiſoris præſentiam; & excoriantem tremit, & alia multa diximus in lib. de Senſu Rerum pro cadauerum naturali ſenſu, conſensúque.

Ad 9. Hieronymus negat, creaturas eſſe animatas Dei ſubſtantia, contra Manichæos; non autem ſimpliciter, vt probauimus in 3. Phalang. arg. 10. dub. 2. & quomodo vocat elementa animalia; & quomodo ſenſitiua ſunt Deo: & quomodo inter ſe: ſcribendo in Ezech.

Ad 10. Reſponſum eſt in q Phyſ. & in lib. de Senſu Rerum. Nunc autem dicimus, quòd omnes corporis partes proprium habent temperamentum, propriúmque modum ſentiendi; aliæ acutiùs, vt caro, corium neruus; aliæ obtuſiùs, vt os, pilus, vngues: quorum ſenſus, & ſpiritus implantatus naturaliſque dicitur, aliquando communicans ſuam ſenſationem ſpiritui libero, qui in capite habitat, pérque neruos diſcurrit ad ſenſum, motúmque partibus communicandum animalem: aliquando verò non. Multiſque experimentis horum ſenſum oſtendimus, cùm quia viuunt, nutriuntur, attrahunt alimentum, bonum, excrementa excernunt; tum quia dentes manifeſtè ſentiunt calorem, frigúſque, & acidis obſtupeſcunt. Lapides etiam vegetant, nutriuntur, mouentur ad cognatum, & à contrario: vt dictum eſt in libro de Senſu Rerum, & in prima Phalange: hoc argumento Galenus neruorum, & dentium ſenſum acceptat, non autem aliorum, quorum eadem ratio, eo deceptus, quod reſecti non dolent. At quidem dolent exiliter: verum illorum paſſio, ſenſúſque naturalis non communicatur ſpiritui animali non implantato. Manifeſtè enim Cæſura veſtis, & cutis, & carnis etiam cum alicui negotio vehementer incumbimus, non ſentitur, & qui irati præliantur, vulnera non ſentiunt. Similiter qui ecſtaſim patiuntur: cum tamen verum eſt, quòd caro ſentit vulnera proprio ſenſu; licet ſpiritus communis motabilis vehementiori occupatus affectu, non percipiat. ſic in ſomno puncta acu caro ſentit, non tamen animal ſentit, niſi adeò vehemens ſit punctura, vt ſpiritui ad interiora collecto communicetur. Durities ergo oſſis, & pili, non tranſmandat paſſionem, propterea non imperitè Ariſt. ſpiritum liberum ingredientem ad interiora in ſomno, & timore, & egredientem ad exteriora in vigilia, & hilaritate, animal vocauit, ſect. 27. Probl. 10. quoniam omnis ſenſatio eſt naturalis, antequam animali ſpiritui communicetur, & tunc dicitur ſenſatio animalis.

Ad 11. Verè ſenſus, & Ratio, cunctis in rebus apparent, & inſunt: homines enim per eſſentiam ſunt rationales; bruta ex participio rationis ſupra ſenſum ordinarium habent æſtimatiuam, vt D. Thom. Auicen. Themiſt. & meliores Peripatetici cognouerunt: Plantis verò, & cæteris rebus naturalibus, non ineſt cum ſenſu ratio elicita, neque

que per eſſentiam, neque per participationem, ſed ſolum ratio impreſſa, ſicut in horologiis, quæ ponderibus ita mouentur vt rationem habere videantur: ſic res cunctæ per influxus magnos, neceſſitatem, fatum, & harmoniam, ab intelligentia, non errante, ad actiones, & operationes ita aguntur, vt rationabiliter operari videantur. Habent ergo ſenſum impreſſum, & expreſſum. Nociuum enim & proficuum ſentiunt elicita ſenſatione naturali: habent & rationem impreſſam, ſed non expreſſam: neque enim poſſunt ſyllogizare, vt homo, nec exiſtimare, vt animal: ſed tantum dolore, & voluptate affici, vnde fugiunt, aut ſectantur, & ad opus à dirigente virtute intellectuali rationabiliter feruntur: & hoc in 3. phalange oſtendimus ex D. Auguſt. Alber. Thomæ, & Nyſſeni doctrina probatiſſima. Ariſt. etiam in 2. de gen. an. dicit, quod calor calefacit, ſubtiliat, denſat, aliáſque paſſiones in ſemine facit naturaliter: ſed membra & organa corporis facit rationaliter. Quærens, autem vnde hæc illi ratio, reſpondet in 2. de Gen. Anim. 1. quòd ex motu impreſſo à generante homine in ſuo ſemine fit organizatio rationabiliter, quia homo rationalis eſt, & in ſuo inſtrumento imprimit rationabilem motum, vt ſcriptor in penna. Deinde non confiſus huic motui rationalis genitoris, cum in ſeminibus plantarum irrationalium, & in putrefactis, organizatio fiat etiam artificioſè: Item quoniam motus impreſſus, abſente motore deficit paulatim, & irrationabiliter operatur: in ſeminibus autem ſemper creſcit, & ſapientiùs inceſſanter operatur, donec formet animal, animamque producat mirificentiſſimam; neſcius, quo volueret caput, eandem in 3. de Gen. an. 11. calori cœleſti hoc munus, motui non poſſibile, demandat; ſimiliter in lib. 2. cap. 3. vbi calor, alias viſus Ariſtoteli ſtupidus, ab Ariſtotele tandem obtinet ſenſum, vt ſit animaſticus, veluti Auer. & alij admonent, ſupra citati: ſed artificium rationabile vnde calori, ſolummodo ſentienti, inſit, non dixit, nec dicere potuit: quoniam intelligentiæ motrices cœlorum agunt motu, qui ſenſum non adducit, non autem calore, in Ariſtoteliſmo. Calor enim illi fit ex motu cæli in aëre, non autem in cœlo, niſi deſtruat quicquid docuit in 1. & 2. & 3. lib. de cœlo & mundo, & 1. Meteor, & quamuis nunc ex igneo elemento cœlum conſtituat, non aſſignat, vnde vis artificioſa calori inſit, cum nec inferiores res Angeli intelligant in Ariſtoteliſmo: vnde mirum eſt, quòd quidam vegetab. & ſenſualem animam à cælo dari, vt inſtrumentum eſt Angelorum, dicant, cum non niſi modificationem motus, & caloris, & lucis faciant motores, at nullum ſenſum, niſi inſit naturalis, modificetur ad animationem, vt dictum eſt, etiam de mente Auguſt. & Thomæ, & Patrum. Propterea Auicen. recurrit ad colchodeam, & Alex. ad intellectum actiuum, habitantem ſphæram inferioris mundi ſublunaris. Nos autem, neque hoc ſufficere putamus, niſi rebus dent ſenſum naturalem; vnde intelligentiæ agricolando educant ex elementis animam, quam nec de nihilo, nec de ſui ſubſtantia

dare poſſunt,vt dictum eſt. Concedimus ergo rationem rebus impreſſam, non elicitam; ſenſum verò impreſſum, elicientémque actum ſentiendi: quod fuga,& ſequela; amor,& odium inter naturalia oſtendunt.

Ad 12. Vtique ſenſus animalis ſuſcipit ſine materia; non omnis ſed oculus,auris,imaginatrix vis. At guſtus,tactus, & olfactus, cum materia ſuſcipiunt, præſertim guſtus: ſenſus autem naturalis ſuſcipit materialiter: quoniam paſſionibus agitur præſentaneis conſeruantis,& deſtruentis: & ſic plantæ,& lapides, & frigus, & calor patiuntur: & licet S. Athan. dicat, vinum in dolio ſentire florentis vineæ odorem: Hoc etiam materialiter fit communicatione aërei vaporis. Duriora ergo minori ſenſu prædita ſunt: & ita oportuit,vt ſubſtentarent: veh,nobis,ſi pili,& oſſa,& vngues ſentirent, vt caro,& neruus. At deterius veh, ſi nil ſentirent,& de hoc dictum eſt in 4. phalange argum.10. & quomodo non ſolum diriguntur ad finem, ſicut ſagitta,& equus ab exteriori agente: ſed proprio inſuper inſtinctu,& appetitu: alioquin non ſpontè naturæ,ſed vi,aut ſupernaturaliter,aut ſolum inſtrumentaliter mouerentur,vt dictum eſt in 3. phalange 9. & 4. in 10.

Ad 13. Reſp. quod cum examinaretur doctrina Teleſij in S. offic. circa annum 1592. Hæc opinio de Senſu Rerum non venit in dubium. Nam tres tantum ipſius libri tunc prohibiti ſunt, donec expurgentur,vt patet ex 1. indice ſub Clem.8. videlicet, liber de ſomno, & liber: Quod vniuerſum animal,&c. & liber de rerum natura: & Tiberius Carneleuarius Medicus,& Philoſophus conterraneus, accepit à S. Officio propoſitiones corrigendas in Teleſio: in quibus hæc non extat. Prætereà in aliis eius libris,videlicet de Mari, de Iride, de vſu Reſpirat. de his quæ in aëre fiunt,de coloribus; hæc opinio habetur; nec vetiti ſunt. In anno deinde 1598. examinando Patres quatuor libros noſtros de Senſu Rerum manuſcriptos nihil oppoſuerunt contra ſenſum rerum naturalem: nec quod poſuerim animam mundi aſſiſtentem cum Aug. Baſil. Nyſſeno,& Ficino, & Platone; ſed hoc tantum: ſi anima mundi eſt: ergo beatificabilis, vel beata eſt: ergo & animæ brutorum,& partes mundi omnes. Reſpondi, vt patet in actis anni 1598. (id quod etiam narraui in lib. meo de Senſu Rerum, impreſſo in an. 1617.) quòd ſi detur anima mundi aſſiſtens, & regens intelligentia beata,quæ poteſt eſſe vna ex Dominationibus, non propterea animæ brutorum,& ſentientes res naturales, itidem beatificabiles forent,quoniam non ſunt ex ſubſtantia,aut defluxu illius animæ, ſed ex participio communis ſenſus naturalis: quemadmodum, nec potentiæ,nec appetitus rerum eſſent,niſi ex participio indito primalitatum. Sic enim & vermes in ventre hominis, & pediculi in capite nati,non ſunt ab anima rationali hominis rationales; ſed ſolum ſenſuales ex communis ſenſus participio: nam & ex ſtercoribus hominis,& cadaueribus conſimiliter fiunt: nec noſcunt animam hominis, ſicut

nec nos animam mundi per ſenſum.ſed longos poſt ſyllogiſmos. Eandem reſponſionem,dant SS.Gregor. Nyſſen.& Auguſt. ſupra citati, qui Rationalem virtutem quaſi animam mundo præficiunt: attamen vnicuique enti propriam animam dant,vel à Deo, vt homini; vel ab elementis,vt brutis,& plantis, &c. vel à ſenſuali luce,cunctis communi: vt dictum eſt in phalange 3. & 4.& cum ita reſpondiſſem, rogaui Gubernatores S.Officij,vt me,vel rationibus,vel præcepto vincerent,quominus hanc opinionem tenerem:& noluerunt,ſed licentiam tenendi permiſerunt,& Domini Cardinales Aſculanus, Santorius,& Sarnanus doctiſſimi Inquiſitores dixerunt, me benè pugnare per hanc opinionem contra Atheos; & pro patribus. Aſt anno 1627. Cēſores quidam ſuper libro altero ſuſcitarunt hoc dubium; & rationem nouam adduxerunt,quia D.Hier. qui dicit, Res omnes ſentiunt Creatorem; ſubiungit,non errore hæreticorum, qui dicunt omnia animantia,&c.& dicebant errore Philoſophico.Proptereáque vt ſatisfacerem Zelo ſacri Cenſoris; qui meam rectam intentionem metitus antequàm hoc opuſculum ederem, conceſſit mihi, & ſi non ſenſum, tamen proſenſum rerum quoniam ſapientia Dei effuſa ſuper omnia opera eius, vt dicitur Eccl.1.non æquè in rebus naturalibus,atque in animalibus ineſt,donec negotium exactius diſcutiatur ac ventiletur apud doctiſſimos. Propterea ego oſtendi hoc in opuſculo ex Auguſt. & Baſil.& aliis,quòd Hier.affirmat ſenſum rerum; nam & res omnes ſentire Creatorem dicit,& quatuor elementa,quatuor animalia,& ſi impropriè ex impoſitione recta vocabulorum,tamen quia ſentiunt, concedit, aliquando ita vocari: negat tamen dici cuncta animantia iuxta ſententiam Manichæorum, qui omnia de ſubſtantia Dei irretita in conflictu cum malo Deo,animant entia,vt ſatis ſuperque in præfatis phalangibus patuit,præſertim in 3.phalange 10. ad 2. dubium,& in 4.vbi citatur Hier. & in 1.ſæpiſſimè.

Quocirca cum ex iam dictis, iam compertiſſimum ſit, quod Hier. & Thomas, dicunt res omnes ſentire, & amare Deum pluſquam ſe ipſas; & hoc millies repetunt iidem,aliique Patres, ex quibus probatum eſt primalitatum participium in cunctis rebus; qui igitur iubent me dicere non ſentire,ſed pro ſentire,cogunt ſimul dicere pro amare, & pro poſſe. Oſtendi enim ex Patrum decretis,entibus in cunctis ineſſe potentiam,& amorem eſſendi, & conſeruandi ſe.Patres quidem nemo ritè reprehendat: nec ergo me, ipſorum elocutionem imitantem eo in ſenſu,quo & ipſi loquuntur.Profecto Ly ſenſus commune, vocabulum eſt ad naturalem,ad animalem, & rationalem, ſicut & amor datur ſecundum D.Thomam,& naturalis,& animalis,& rationalis: ſimiliter,& potentia naturalis,& ſenſualis,& rationalis. Quapropter ingenioſiſſimos Cenſoros rogo, mihi, & Patribus annuant huius vocabuli vſum: quoniam nulla ex hoc ſequitur inconuenientia,aut error:ſed omnia conueniunt SS.Scripturis,& Patribus,& Phi-

loſophiæ, vt patet ex ſupra iactis probationibus, & fundamentis S. Auguſtini, & S. Thomæ, & philoſophorum. Quæ euacuet, ſi potis eſt, qui adhuc repugnabit, eſt opus: interim inhæreamus teſtimoniis naturæ, & Scripturæ, & Philoſophorum, & Theologorum, vtriuſque Codicis Interpretum. Nec ſi quis bono Zelo ductus aliter ſapiat, fundamenta Patrum vacillent, donec meliora ſapiamus.

Concluſio Poſtrema Vniuerſalis.

IGitur mundum Dei ſtatuam viuam eſſe, non mortuam, & intelligentiarum adminiſtratione ſub vna prima, quæ eſt ſub Deo, gubernari; & veluti animari. Réſque omnes proprio appetitu, propria potentia, proprióque ſenſu, vel rationali, vel animali, vel naturali, ex participio primalitatum præditas eſſe: Quicunque affirmat, dummodò non expreſsè, vel ex neceſſaria conſequentia repugnet ſacris literis; non eſt reprobandus, iuxta fundamenta Auguſtini à principio poſita. ſique id probat veris rationibus; hanc item in ſacris literis ſententiam contineri putandum. Verum enim vero non contradicit. Quod ſi etiam Philoſophi conteſtantur, maiori certitudine, magíſque amplectendus: ſi verò & ſacra Scriptura; pro errante, qui contradicit, habendus: ſi tandem autoritas Patrum, Scripturarum, Interpretum, conſonat, hæreticus eſt, vel materialiter, qui contradixerit. Nos autem id adſequuti ſumus; vt probaremus, hanc de Senſu Rerum opinionem, non modò nil repugnare SS. literis; ſed rationibus euidentibus comprobari, & omnium philoſophorum, exceptis Atheis, Teſt. Item ſcripturarum ſanctarum ſenſibus, ita conuenire, vt non poſſint rectè exponi, ſecluſa opinione hac. Imò expreſsè in ſacris literis ipſam contineri: & tandem ab omnibus ferè Patribus Græcis, & Latinis, vel expreſsè vel neceſſaria ex conſequentia, confirmari: ergo, &c.

FINIS.

THOMÆ CAMPANELLÆ, DE SENSV RERVM;

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

QVICQVID EST IN EFFECTIBVS eſſe & in cauſis: ideóque Elementa ac mundum ſentire.

ENs nullum aliis dare poſſe, quod ipſum in ſe non habet, alibi à nobis demonſtratum eſt, ac ſapientes fere omnes fatentur: experientia quoque nos docet ſatis. Nunquam enim lucem vidimus gignere tenebras, nec calorem frigus, nec ſpinam lenire, nec graue leuare. Nec colligunt de tribulis ficus, ait Meſſias. Idemque in omnibus patet. Poteſt quidem moles, quæ calida eſt, fieri frigida, ſed non frigus à calore produci, nec calor in frigus conuerti. Calor quoque frigida inter entia obſeſſus roboratur & creſcit: at non frigus quidem ei caliditatem addit, ſed ipſe per ſe augetur, cum natura ſui diffuſiuus ac multiplicatiuus ſit; quod rebus non contingit ſterilibus per ſe meréque paſſiuis.

Cum vero animalia (ex omnium Teſtimonio) ſenſum habeant; ſenſus autem ex nihilo non oriatur: neceſſario adfirmandum eſt, Elementa, ipſorum Cauſas, ſentire, & quidem omnia. Nam quod vni ex Elementis ineſt, conuenire omnibus, demonſtrabimus. A quibus.n. habent calorem, frigus, humorem, ſiccitatem, motum & quietem,

aliáſque conditiones, ab his etiam ſenſum habeant oportet. Propterea Deus iubet, *Producat Terra animam viuentem, & producant aquæ reptilia & volatilia, &c.* quoniã non materialiter modò, ſed etiã actiuè erat vis animaſtica in elemẽtis, vt Patres cuncti & ſcholaſtici in huius libri Defenſione citati docuerũt? Non.n. ex nihilo, nec de ſubſtantia Dei, aut Angelorũ ſunt ſentiẽs & vegetans vires, ſed rebus inſunt: vt probatum eſt. Sentit ergò cœlum & terra & mundus, animaliáque inter ipſum manent, ſicuti vermes intra ventrem corporis humani, qui hominis intellectum & voluntatem & ſenſum non percipiunt, quoniam ipſorum ſenſui non proportionantur.

Capvt II.

ARGVMENTA NVLLA CONTRA primam propoſitionem militare.

1 AT inquiunt: Sol non eſt animal, neque planta: generat
2 tamen animalia, plantáſque. Item tenuis eſt, mobilis, &
candidus; nihilominus indurat, & denſat lutum, & ni-
gros reddit Æthiopes ſub Tropicis, vbi immoratur diu-
3 tius, Ignis quoque torret: frigida & nix calefacit manum
4 & pinguefacit ſolum: calidum nitrum refrigerat potiones; timor non
5 frigidus frigefacit hominem: Viuus dat mortem alteri viuo. Multá-
6 que ſimilia diſſimiles producunt effectus. Omniſque res fit ex eo
7 quod ipſa non eſt. Ergo ex non ſentientibus rebus, res ſenſitiuæ oriri
8 poſſunt. Quidam ſcioli nunc dicunt: non ex elementis, ſed ex cauſis
præſertim formali eſt ſenſus brutorum.

Reſpondeo: Quæcunque fiunt intra Cœlum & Terram, quicquid
habent, accipere his à duobus Elementis. Itaque animal non eſt ſol,
ſed terræ portio, in quam agendo ſol ſpiritum produxit intra craſſi-
tiem cum liquore, lentore & viſcoſitate: ex qua exhalare non valens
Ad 1. ſpiritus, molem organizauit, ac communi aptam vitæ effinxit, vt in-
ferius dicemus. Igitur planta & animal habent ſpiritum, calorem,
motum, & tenuitatem à ſole; & materiam à terra, arte ſolaris ſenſus
concinnatam: Attamen nihil habent quod non ſit in cauſis, licet non
eodem modo, quo in cauſis eſt. Hic autem modus, varius, eſt formatio, ac forma naſcitur ex miſtura ac caſtigatione contrariorum actiones aduerſas edentibus, quibus Deus Benedictus donauit agentes cauſas, vt inſtrumenta eſſent ad imprimendum in materia varios Ideę primæ modos: quo in cunctis rebus eius Bonitas elucescat. Quod forte ſol non intelligit, neque tellus. Sed ille ſolem ignemque facere cupit: hæc vero terram. Itaque debilitantur, ac res producunt proin-

de miſtas, formatas primæ Ideæ figuris, cuius organa ſunt primaque ſigilla. At ſenſus non videtur eſſe forma modúſque quidam Exiſtentiæ, veluti ſunt aliæ figuræ, ſed res eſſentialis, viſque actiua ſuperans vulgares qualitates elementorū vt mox palam fiet. Idcirco ſolem ſentire neceſſe eſt & terram. Similiter ſol non indurat lutum producendo duritiem ac ſiccitatem, ſed detegendo duritiem terrenam, quæ immiſta ſub aquæ mollitie latebat. Ex terra enim dura, ac molli ex aqua, componitur lutum. Ignis vero agens prius conuertit in fumū, ac cœlum aquam ſibi ſimiliorem, minúſque ſuæ actioni reſiſtentem: Tellus autem remanet cum ſua palam facta ſiccitate: quam tamen vehemens ignis liqueſcere poteſt, & in fumum vertere, vt in fornacib. comperimus & in ſalis & metallorum fodinis. Ad 2.

Solem calidum eſſe, alibi contra Ariſt. oſtendimus: ideóque producere ignem conformem, & (vt aiunt) vniuocum igni communi. Nec enim poteſt habere virtutem calefaciendi, niſi ſit calidus. Cum virtus non poſſit ſeparari ab eo cuius eſt virtus. Vbi autem minus vigens eſt, languide tantum calefacere. Eadem ratione dum partem tenuem mobilem ad ſe tollit, remanet pars altera immobilis, quæ illius motum participabat. Ita & nigreſacit non producendo nigredinem, ſed manifeſtando nigredinem materialem, quæ ſub candore tenuium calidarum partium latebat. Si hanc chartam albam comburas, cernes flammam albam exhalare, quæ tenuior eſt chartæ pars: materiam vero craſſam nigram remanere. At ſi in ipſam magis agat ignis, efficit vitrum, ſique amplius, aërem tenuem, albumque; tametſi materiam omnem inertem eſſe, ideóque nigram in Phyſicis oſtenderimus, nigredine quidem inerti & non actiua, qualis tribuenda videtur frigori. At ex his argumentis innoteſcit, neque in luto neque in carbone eſſe aliquid, quod non ſit aut in ſole, aut in terra aut in materia. Præterea inſpicienda eſt ſolis actio iam facta, quæ ſemper eſt tenuitas, & candor, quando tamen perfecta eſt: multæ enim nubes adhuc nigrent; non autem facienda, quæ remanet priuata, re facta. At in rebus ſimilaribus licet pauciſſimæ reperiantur huiuſcemodi, eius actio eſt perpetuo tenuitas, motus & candor. Nix autem non calefacit manum, Ad ſed ipſe calor natiuus hominis, ſentiens ab inimico frigore ſuum de- 3. ſtrui hoſpitium, colligitur, creſcit, accurritque in manum ad expulſionem illius. Pinguefacit nix, quia calorem habet natiuum, blandum, tali aptum effectui: Frigus vero illius eſt extraneum, non eſſentiale. Nunquam enim tantum frigus, quod ingrediatur & conſtituat naturæ opera, videri poteſt, cum ſol longe terram viribus exuperet. Nitrū Ad vero refrigerat, quod vini frigus extrinſecum, aduerſo illius motu, at- 4. que inimico odore turbatum, concentratur, & creſcit. At ſi diu agitaretur, vt ſolet, frigus deſtrueretur, & vinum calefaceret. Timor eſt fu- Ad ga ipſa ſpiritus vitalis calidi ad partes interiores, ne ab inimica re læ- 5.

datur: Ideóque partes exteriores remanent minus calidæ, & quaſi frigidæ, præſertim aëre frigido, vel minus calido ſubeunte: ac tremunt, quia non tantum habent ſpiritum, qui poſſit earum ſuſtinere

Ad 6. pondus. Eſt quidem accidentalis, non eſſentialis actio, qua viuus occidendo dat mortem. In arte vero non requiritur ſimilitudo naturalis inter effectum cauſámque ſicut hæc ſcriptura fit à me, qui ſum homo, & non ſcriptura: attamen habeo in mente ſcripturæ ſimilitudinem, ideóque huic chartæ ipſam do. Nec inſtrumento ſed agenti principali ſimilis eſt effectus. Itaque hæc doctrina meæ menti ſimilis eſt, characterum vero lineamenta calamo & atramento in colore, gracilitate, & obtuſitate: Horum enim inſtrumenta ſunt principaliores cauſæ quam ego: non autem configurationis. Igitur cum quis occidit alterum, mors eſt ſimilis mentali cogitatui occiſoris, & non eius naturæ: vulnus autem latum eſt oblongumque ſimile gladio. Quando autem caſu occidit, ſimilis eſt cogitatui primi motoris, cui nihil eſt à caſu; vt patet ex Metaph. Cæterum cum calor occidit frigus expellendo à ligno, vel penitus interimendo, quod euenit, ſi quis iaciat niuis globulum intra magnã fornacem accenſam, affirmare oportet, mortem non à calore oriri, ſed à non eſſe frigoris. Calor enim vt frigus occidat, aliud nihil facit, niſi calefacere. Ergo per ſe dat ligno calorem, id videlicet quod eſt ipſe & habet. At per accidens fit, vt pereat frigus, quod cum calore ſimul viuere non poteſt. Poſſe autem perire, quod potius impotentia eſt, vt in Metaph. dixi, aduenit frigori, quoniam ipſe non eſt calor, ideóque ſecum manere nequit. Ergo hoc pendet ab aliqua non entitate, & ergo à communi nihilo; vnde res originem ducunt virtute primi entis. Hic autem argutias has perſequi non eſt locus, alibi diſcuſſas valde: Sed hoc modo inferre;

Ad 7. Ens nullum dare, quod non habet. Cauſa finalis & idealis non dant, ſed illa determinat, iſta regulat Agentem: formalis eſt datũ quid ab agente in materia ſic concinnata, & formata, vt reſpondeat ideæ. ergò non dat ſenſum: ſed eſt effectus non cauſa generationis. dicitur tamẽ cauſa geniti quatenus eſt determinatio materię in eſſe dato. item forma agens eſt à cauſa actiua ſui diffuſiua elementari: paſſiua verò eſt concinnatio materiæ & qualitatum actiuarũ ab Ideatore ſic cõcinnante per Fatum, Neceſſit. & Harm. & fit non facit. Senſus ergo non eſt à cauſa formali, niſi ſit à materiali & actiua elementationis, & à cauſa rationali, ſeu intelligentia. Quæ operatur agricolando & medicando: non autem per ſe mutando, aut quippiam ſui effluendo, vt calor actiuus. vide Defenſ. ſupra poſitam. & c. ſeq Solus ergo Deus poteſt dare quod non habet formaliter & materialiter; ſed eminenter. Omnis autem creatura eſt finitæ naturæ, nec poteſt facere quod non eſt. Et ideò nec cœlum, nec Angelus poteſt calefacere niſi ſit calidum, aut aliunde adducat calorem. Poteſt autem Deus, quoniam

eius

eius natura eſt omnis natura, ergo & caloris. Angelus autem eſt quædam natura & hæc, & non aliæ. ideò licet nobilior ſit quàm calor, non tamen calefaciet formaliter, aut virtualiter: virtus enim rei eſt eſſentia & in eſſentia rei: virtus ergo caloris eſt calor, & in calore, nec ſeparari poteſt.

CAPVT III.

Perperam à Lucretio ſenſum rebus auferri; peius à Galeno: & quid hac de re ſapientiores ſenſerint.

Contendit Lucretius Epicureus cum ſuo Democrito, ex rebus non ſentientibus ſenſum oriri. Nam ex non ridentibus (inquit) elementis, neque plangentibus naſcuntur homines ridentes, ac plangentes, & ex non figuratis, figurata: multáque adducit exempla conſimilia contra Anaxag.

Ego autem in eiſdem perſiſto reſponſionibus, videlicet riſum ac planctum præeſſe in Elementis, & figuras, ſed non eo modo, quo in homine. Riſus enim dilatatio eſt ſpirituum exultantium; dilatatio autem in rebus raris. Ignis nactus occaſionem ſe magis conſeruandi, dilatatur & lætatur modo ſuo, contrahitur autem & triſtatur ab inimico potentiori. Ploratus autem eſt ſpirituum in cellas collectio ex apprehenſo malo: qui proinde membranam premit cerebri, cogitque aquam inter illam ac caluariam in oculos efferri: ſicuti cum tellus vda premitur, humorémque emittit. Figuræ quoque termini ſunt quantitatis; Elementa autem terminata & quanta ſunt, at non eodem modo, vt pateat omnia reperiri in cauſis, ſed modo vario. Hic animaduertere licet quod Lucretius cum Epicuro & Democrito non modo ſenſus principiis negant, ſed omnia fieri ex concurſu atomorum, quos in ſolis luce contuemur, & iuxta configurationes varias in ſitu & ordine, quos ſortiuntur caſu, dum in vacuo agitantur & copulantur, varias oſtentare formas, apparentiáſque: Itaque huiuſmodi corpuſcula rerum ſemina, neque calida eſſe, neque frigida, neque alba, neque nigra, neque ſentientia: ſed eiuſmodi concurſu oriri calorem, hoc eſt, ex acutioribus, frigus ex obtuſioribus; ex rotundis animam, ex illis vero ac vacuo multo intercepto aërem; ex multa ipſarum condenſatione cum modico vacuo aquam: ex plurima vero terram. Hanc opinionem à nobis in Phyſ. & Metaph. reprobatam, hic non eſt examinandi locus. Hoc tantum aſſero, homines vigere ratione & conſilio; in arboribus quoque ſapientiæ vi folia, flores & ſpinas fieri, compertum

eſſe, & ſapientiæ actus in apibus, formicis, aliiſque brutis apparere. Ergo neceſſario reperiri Primam Sapientiam, quam iſta entia participarunt, vt & mundi & iſtorum fabrica docet: ſicut præeſt calor, vnde calida omnia participant. Caſum vero non poſſe, quamuis infinitis vicibus literas huius libri iaceres (vt in Lucretij exemplo perſiſtam) ita eas copulare, vt hunc lib. componant. Ars vero ſemel ipſum cõponit. Ita non eſſe tribuendam mundi fabricam ordinatiſſimam, niſi Arti primæ, quæ Deus eſt. Stultum eſt autem putare gladium & librum ab arte propter finem fieri; mundum vero & oculum, & cor, & plantam ſapientius conſtructas, à caſu. Vnde enim nos ſapientiam habemus? non à nihilo. Ergo præeſt vniuerſitati rerum. Inde aſſumo; calorem & frigus cum ſint actiuæ res, ex paſſiuis atomis abſque agente vi non naſci. Infinitóſque aculeos, ac ſpinas nihil calefacere vnquã; nec obtuſas farinas frigefacere. Nec tantam lucem ſubito volatilem corpuſcula eſſe poſſe, quibus peruium ſit cryſtallum bene craſſum, non autem gracilis charta. Item quomodo non deſtruitur ſol, ſi ſubſtantia corporis eius ita ſpargitur, & non eſt vis actiua ſui multiplicatiua, non imminuibilis, incorporea? Ac concedit Lucretius ſolem mane naſci, & caſu circumferri, & in occidente extingui: ac quotidie nouum ſolem generari ex atomis. At inquam, cur veſperi tota die imminutus, non minor adparet quam mane? Et vnde tanta temporum diſtinctio, & ordo annuus, & menſtruus, & diurnus, & repetitio eorũ mirifice ordinata? Experientia quoque nautarum circumdantium terræ orbem poſt nauigationem Columbi iam detegit hanc ſtultiſſimam impietatem. Dehinc incuſare licet Galenum, alióſque Peripateticos, qui concedentes qualitates actiuas Elementis contra Democritum, negant tamen ſenſum. Aiuntque eſſe temperamentum ipſarũ qualitatum. Profecto Temperamentum eſt quædam relatio rerum temperatarum, quæ eſſe non poteſt virtus vitalis ac ſenſitiua, niſi ſentiant res ipſæ in tali temperamento vnitæ: Et quamuis cytharæ fides materia aridæ temperatæ muſicam faciant: non tamen ipſa muſica res vna eſt, ſed variæ aëris percuſſiones, à variis actæ fidibus. Ac tamdiu exiſtit perſeueratque, quamdiu pulſantur ab habente artem, vel potentiam; ergo qualitates vnitæ nunquam ſentient, niſi virtus ſentiens inſit illis, quæ viuificet, moueatque: & quoniam à ſe moueri concedunt ipſas prædicti Philoſophi, à ſeipſis ſentire affirment etiã oportet. Non quidem cum Anax. aſſeram omnia in omnibus actu eſſe, licet cibus diſtribuatur in carnem, os, neruum, pilum, ſimilibus partiunculis ſimiles petentibus, quod indicare videtur idem in mundo fieri, quoniam ex quolibet per ſucceſſionem fit quodlibet; ſed affirmem, ita euenire ex varijs diſpoſitionibus eiuſdẽ materiæ: quibus alia pars apta ſit conuerti in carnem, alia in os, alia in aquam, alia in fumum. Hæ autem diſpoſitiones variatæ ſunt ſemper à mũdi exordio ob varias actio-

nes & vices virtutũ agentium. Vnde opinatur Anax. omnia in Chaos verſari, & ex homiomeria naſci, & in homiomeriam reuerti. Verus eſt ſermo eius in hoc quod cum res non fiant ex eo quod non eſt, fiant ex eo quod eſt: at nequaquam aſſerendum erat, eodem præeſſe modo quo fit omne, atque latere, & deinde patefieri. Sed enim fit ignis ex ligno, qui non eſt ignis, ſed aliud, magis autem ex ligno quam ex lapide, quoniam illud diſpoſitum eſt magis à calore. Diſponi enim eſt partem habere rei faciendæ; vt in Metaph. declaratum eſt. At confricatus lapis, ſicut & lignum emittit ignem, magis autem ſilex, quoniam plus ignis abſconditi habet: quod odor ſulfureus & cinis ſcintillarum oſtendit. Fallitur Ariſt. quod motus generet calorem: nam plures & ſtrenuiores plagæ minus ignis educunt ex aliis lapidibus ergo præeſt, & non fit à motu, ſed materia in qua ſopitus, adſtrictú ſq; eſt ignis, percuſſa relaxatur, calorq; vim ſe manifeſtandi & effundẽdi cum particulis accendibilibus nanciſcitur. Motum autem non poſſe generare calorem, ſed iuuare latentem, probatum eſt in Phyſ. & ſagittas & pilas ſclopetorũ à motu non accendi, ſed potius frigeſcere, ibidem oſtendimus. Nullum ergo ens dat, quod non habet: Et quidem creatio eſſet non generatio, ſi ex non ente ſui quid fieret, vt anima humana quamuis intra corpus & in materia. Formæ ergo actiuę ab actiuis ſunt cauſis ſeſe multiplicantibus, vt ars & natura docẽt. Quamuis S. Auguſt. aſſerat omnium rerũ ſemina occulta extare ab initio: Vnde videtur Anax. fauere: nihilominus de antiquiſſimis diſpoſitionibus interpretandus eſt. Stultitiam illorum qui ex non corpore faciunt corpus, alibi reprobauimus. Ergo ſenſitiuæ res continuo factæ, ſenſitiua elementa eſſe declarant, omniáq; ex eis producta. Quod & optimus Teleſius docet: & Thales Mileſius exemplo magnetis probauit, & Hippocr. in Periarchum calori ſenſum omnémq; cognitiuam largitur vim. Et S. Clemens Rom. introducit Simonem Petrum loquentem ad Simonem Magum, quod vbi eſt ordo, & ratio, ibi eſt ſenſus; & quia omnis planta, animal, lapis & alia, ordine ac ratione conſtituuntur, ſenſum habeant. Omnes item creaturæ creatorem laudant, eiq; obediunt, teſte Sap. & Eccl. Dauid autem omnes inuitat ad laudem eius & Daniel: quoniam ſenſu natutali illum agnoſcunt, cum intimus ſit ipſis: dũ eſſe gaudent, & non eſſe oderunt; & vita lætantur; lætitia autem eſt lætiſſimi Dei, teſtante Apoſtolo. Ex S. ſcripturæ, & S. Patrum dogmatis ſenſum ineſſe rebus cunctis, in Defenſ. huius libri, vide. At quo videamus, num res à cauſa externa ad proprias operationes impellantur, vt forte Anax. putat à mente, & Auicei à Colcodea, & Alex. ab intellectu agẽte: Oportet declarare quid ſenſus ſit, & quomodo omnis forma ſenſitiua ſit.

CAPVT IV.

Senſum eſſe perceptionem paſſionis cum diſcurſu rei exiſtentis actu; & non potentiæ puræ informationem; eiuſque differentiæ.

VIdetur ſenſus paſſio eſſe. Cum enim calorem aut frigus ſentio, calidus, frigidusve fio. Non autem ſentiuntur, niſi potentes ſint ad mouendũ, agendúmque. Febricitans quidem medici manus calorem non ſentit, vt ego, quoniã non patitur maior calor à minori: & qui æque calidum tangit, non ſentit calorem; ergo ſentimus, quando patimur: & punctionem dum pungimur, & dulcedinem, dum dulceſcimus, & odorem dum afficit nares; & colorem dum diſgregat aut congregat viſum: Senſus ergo paſſio, alteratióque eſt. Sed bifariam: Nam ſenſibile aut delectat, aut diſplicet, aut non ita validam infert paſſionem, quę dolorifica, aut voluptuoſa ſit, ſed conſuetam. Illæ nos delectant res, quæ Symmetriam noſtri ſenſus in talibus organis taliter concinnatam conſeruant. Idcirco blandus calor noſtro ſimilis delectat; diſplicent autem quæ deſtruũt, vt ferrum ignitum. Ita & omnia obiecta etiam ſenſuum interiorum, ſi vtilia ſunt conſeruationi, placent, ſi noxia diſplicent. Senſus ergo non eſt ſola paſſio perfectiua, vt Ariſtot. putat: ſed etiam corruptiua. Porro cum quid ſentimus, non totam illius vim & formam ſuſcipimus; patet cum lapidem videmus. Ipſe enim non poteſt ſe propria ſpoliare forma, nec qui ſpoliet, extat: ſed lux reſiliens eius tincta facie intrat in oculum, tangit ſpiritum, afficitque facie lapidis, qua & ipſa lux eſt affecta: Sicque ſpiritus ſentit non quidem lapidis informatus forma, nam lapis fieret. Senſus itaque non fit per informationem, ſicut Ariſtoteli videtur, ſed per immutationem. Per informationem enim fieret totalis deſtructio formæ præcedentis, & introductio alterius. Tunc ergo ignẽ & ſolem cognoſco, quando ab illis immutor, ſed non omnino: nam fierem ignis: ſed parum: & ex illa parua paucáque immutatione virtus ſentiens menſurat reliquum potentiæ ignis, & ex aliis experimentis in aliis rebus combuſtis validiſſima ſimul eſſe argumentatur. Senſus igitur non ſolum paſſio eſt, ſed ex illata paſſione inferentis obiecti perceptio notionalis: & fit ſimul cum diſcurſu tam celeri, quod nõ percipitur. Totum. n. ignẽ ex parte caloris, vel lucis percipere ſyllogiſmus eſt. Porro cũ videmus, quę alias vidimus, vel quid perſimile, ſubito idẽ patimur. Sicut cũ feſtũ celebrari intuemur, alterius feſti reminiſcimur,

& pariter lætamur; & nauem videntes nauſeæ, quã nauigando paſſi ſumus, & vomitus reminiſcimur, hoc eſt, reſentimus: itaque ſimiliter vomemus: Et concubitum beſtiarum inſpicientes, ſæpe concubitus cum muliere ſua quis reminiſcitur, & ſemen iaculatur ſponte. Senſus ergo eſt paſſio. Memoria vero eſt ſenſus anticipatus; reminiſcentia autem renouatus in ſimili. Diſcurſus vero eſt ſenſus ſimilis in ſimili, & ideo quot genera ſimilitudinum ſunt in mundo, aut eſſentiæ, aut qualitatis, aut quantitatis, aut actionis, aut paſſionis, aut operationis, aut loci, aut temporis, aut ſitus, aut cauſæ, aut figuræ, aut coloris: tot ſunt etiam diſcurſus & ſyllogiſmi: Omniaque animalia habentia ſpiritum liberum intra cellas proprias, habent & memoriam, & diſcurſum. Non autem plantæ, quia ligatum in anguſta craſſitie obtuſumque ſortitæ ſunt ſpiritum. Et quidem animam eſſe calidum ſpiritum corporeum, tenuem, mobilem, aptum pati, ac ſentire ſubito, ſicut aër, in 2. lib. declarabimus, & in defenſ. oſtenditur. Ergo non eſt pura potentia, vt materia, ſicut Ariſt. videtur, ſed res tenuis, patibiliſque ab omni re ſibi diſſimili, nõ autem à prorſus ſimili. Vnde ſpiritus ſpiritum, & aërem minus ſentit, non ergo eſt pura potentia omnia percipiens. At mens, quam Deus hominibus immittit, non modo hoc ſenſu, & memoria, & diſcurſu ſenſitiuo animali donata eſt, ſed diuiniori, altiorique, vt palam fiet. Igitur ſi ſenſus eſt paſſio, omniaque elementa, ac elementata patiuntur; omnia ergo ſentiunt. At ſæpe patitur homo, quæ non ſentit, vt dormiendo morſus pulicum; & in ira multæ paruæ latent paſſiones, & in prelio vulnera: Ergo ſenſus non paſſio ſola eſt ſed perceptio paſſionis, & iudicium de obiecto paſſionem inferente. Quæ ſi conſeruatiua eſt, iucundaque, amplectitur, cupiturque; ſi dolorifica, deſtructiuaque, reſpuitur, abiiciturque.

CAPVT V.

Ex actionibus, paſsionibuſque entium, omnia ſentire oſtenditur, ac ſine ſenſu mundum eſſe chaos: nec generationem nec corruptionem fieri.

ITA inimicus eſt calor frigori, quod alter alterum ad necem inſectatur: qui autem minus reſiſtere poteſt, fugit; qui autem ab inimico circumdatum ſe noſcit, concentratur, creſcit, vireſque adſumit, vt calor ſub terra in hyeme, & in nubibus incluſus: & frigus grandinum & ſub cane, manifeſtant; omnes illas edunt actiones quas animalia: Ignis quoque & tellus perpetuis odiis ſe mutuo interimunt. Ergo fateri neceſſe eſt, alterum alterum

noſſe eſſe ſibi contrarium, ac illius necem parare, vt ipſum ſeruetur: Vnde ſuboritur mutua ipſorum debilitatio & generatio miſtorum, & corruptio eorum, quæ tali in pugna tranſmutantur. Non eſſet ergo in mundo generatio & corruptio, niſi eſſet contrarietas, ſicut omnes Phyſiologi adfirmant. At ſi alterum contrarium non ſentiret alterum ſibi eſſe contrarium, contra ipſum non pugnaret. Sentiunt ergo ſingula. Præterea ignis aliquam terræ portionem ſuperans, attenuat & ſurſum ad ſuum conſimile cœlum igneum vadit: Telluris vero gleba in ſublimi poſita deorſum impetu fertur: & veluti feræ fugiunt contrarias, & ſimiles petunt, propriaſque caſas, & homines cum hominibus viuunt, lupi cum lupis, piſces cum piſcibus, idem experimur in corporibus magnis. Omnia ergo ſentiunt: alias mundus eſſet chaos. Ignis enim non ſurſum tenderet, nec aquæ in mare; nec lapides deorſum: ſed res omnis vbi primo reperiretur, permaneret, cum non ſentiret ſui deſtructionem inter contraria: nec ſui conſeruationem inter ſimilia. Ergo efficax argumentum ſenſus eorum dat mundi ordo, rerum productio, & controuerſia ac pugna ſimillima pugnæ animalium ſentientium. Omnino aſſerendum videtur, animalia à corporibus primis habere hanc ſentiēdi vim, atque ita operandi: Et ſtulte Auerr. vocitare elementa corpora imperfecta. Has vero miſturas ipſorum debilitatorum & ſemiconſumptorum, perfecta. Imperfecta enim ſunt cum vires languidas habeant, & non ſummas, quales inſunt elementis. Magis autem ſi miſta ſunt ex contrariis rebus, mutuoque ſe oppugnantibus, vt patet: vnde internam quoque infelicitatem ſuſtinent, quam Elementa ſuſtinent tantummodo externam.

Perfectio autē ſecundorū entium ſuper elemēta, non reperitur vlla elementaris, ſed à Ratione Mundum gubernante, quæ magis rerum naturam totam, quam partem curat, & non prout natura particularis cupit, res diſponit: ſed prout Ratio, & Finis. Caput enim grauius digito, poſitum eſt in altiori loco, quoniam ita fert Ratio gubernationis, non quia ſic vult grauitatis ratio. vide Met.

CAPVT VI.

Rerum operationes, in quibus ipſarum manifeſtatur ſenſus, non à Deo, nec ab Angelis, nec ab Anima mundi, nec ab intellectu agente, vt alij opinantur, ſed ab ipſis formis naturalibus at: non ſine Deo fieri.

AT plurimi Deo tribuunt huiuſmodi actus, qui intrinſece in rebus operatur, & Anax. videtur opinionis author; dum chaos à mente ſeparata diſtingui ſtatuit. Idcirco ab eadem forte diceret mente ignem ſurſum ferri, reſque alias deorſum: quoniam ipſa diſtinguit ordinatque: Itaque eadem mens prima, copulando, & ſeparando generationes & corruptiones operetur: quod Stoïcorum ſpiritui adſcribit Alex. Arabes Theologi, & Caluinus ex parte idem opinantur, dum aiunt; non lucere ſolem, ſed Deum in ſole: Nec loqui hominem, ſed Deum in homine: nec moueri ignem, ſed Deum in igne. Alij vero has operationes Angelis tribuunt, & Diuus Auguſtin. in lib. de cognit. veræ vitæ, videtur idem ſentire, dum procellas, ventoſque non à ſe, ſed ab Angelis, ac dæmonibus moueri docet: & in 3. de Trinit. Themiſtius cum Peripateticis quibuſdam ad intelligentiam non errantem confugiunt. Alex. & Auicen. ad intellectum & cholcodeam non longe ab Anax. At Galenus libr. de formatione fœtus, hanc mentem admiratur, eique animalium formationem committit, ſicuti Platonici Animæ mundi, & S. Baſilius & S. Auguſt. conſonant: multi etiam Theologi Primæ ſemper operanti Sapientiæ. Ego vero reſpondeo, prædictas opiniones omnes aut perperam declarari, aut errorem continere. Si enim omnia opera Dei perfecta ſunt (vt Moyſes & natura teſtantur) fateri oportet, eas rebus vires ab eo largitas eſſe, quæ ipſarum conſeruationi ſufficiant. Quoniam vero nulla facultas tam neceſſaria eſt in tanta rerum varietate, quam cognoſcendi ſimilia, quibus ſeruamur, & contraria, quibus deſtruimur: neceſſe eſt hanc ſentiendi vim innatam eſſe rebus cunctis. Experimur in nobis fugam mali, & ſequelam boni ab illorum perceptione, notitiaque ſuboriri. Non enim malum ignotum fugimus; nec rete non viſum animalia vitant; nec pecudes lupum, aut iaculum non perceptum: Ita & tellus & ignis niſi ſentirent, non fugerent, nec ſectarentur. Præterea omnibus ineſt rebus adpetitus, amor, odium, abo-

minatio; omnis autem amor oritur ex cognitione rei amatæ. Ergo amor naturalis à cognitione naturali. Ignoti nulla cupido, ait Poeta. Igitur cum concedant ignem adpetere ſurſum, concedant oportet illum noſſe, ibi eſſe ſuum conſeruatiuum; in terra vero deſtructiuum. Ergo eſt negare igni propriam naturam atque formam, cum aſſerunt Deum ire ſurſum cum igne & lucere in ſole; & quidem patentiſſimus error eſt, quoniam formæ naturales ſæpe errant, tribuere Deo ipſarum errores. Sequitur etiam non ſentire nec intelligere animam humanam, ſed Deum in illa; ipſumque adpetere & operari noſtras operationes & adpetitiones, tam malas quam bonas. Hoc autem tranſcendit Caluini impietatem, qui tantummodo aſſerit Deum impellere animam ad malum, non autem ſolum in ea agere malum: & hæc opinio ab Alcorano Mahometi orta eſt, à nobis autem in Metaph. reprobata. Patet quidem quoniam ſi ſimile per formam eſt ſimili ſimile: per formam quoque ſentiat ſuum ſimile, adpetatque. Quorum autem adpetere eſt, eſt & noſſe: neque enim alia res cognoſcit obiectum, alia vero appetit, ſed eadem. Profecto Anax. ſeparatæ menti tribuens opera Naturæ omnia, neceſſe habet, aut violenter ad ſuum quemque ordinem res trahere, & naturam tollere: aut affirmare, quod ipſæ ſponte imperium mentis ſequantur. Ergo ſenſum quo obediant, habent. Hoc enim obedire, eſt operari ſecundum naturam, quam Deus Enti ita operanti dedit: Aut fateri oportet, Deum fieri formam rerum cum ipſe formarum loco operetur. Hoc autem peruerſus eſt error, & Anax. pernouit: idcirco mentem ponit abſtractam. Deus quidem omnibus in rebus operatur, ſicut cauſa prima, dans eſſe & virtutem eſſendi; & operandi, & cooperandi actibus illarum, quatenus ad Entitatem vadunt, non quatenus ad non eſſe: quod rebus naturalibus eſt deficere, nobis vero peccare: ſicuti in Metaph. oſtendi, peccatum non habere cauſam efficientem, ſed deficientem: Attamen cum iſto verum eſt, formas ipſas operari & ignem calefacere & terram frigefacere, ac grauare, & mutuo ſe elementa oppugnare: & non Deum in igne oppugnare Deum in terra: Hæ aliæque alibi poſitæ rationes oſtendunt, res à ſe agere. Animam vero mundi, aut naturam communem rebus conſulere, diſcendo à Deo: ſed ad particulares actus particulares cauſas agentes requiri; vt calor vere calefaciat, & non Deus in illo, ſed cum illo. Ad quid enim calorem dedit igni Deus? fruſtrane? Si enim ipſe calefacit in igne, calor vanus eſt? & calefaciet etiam in terra & frigore, quoniam non minus hoc quam illa ſeruit Deo. Conſtruxit ſane Deus orbem, & creauit res, vireſque ſe conſeruandi, ac mutandi ſe mutuo per tempora dedit: illæ autem vires perſeuerant tanquam Natura, donec tota rerum machina ad ſuum magnum mutetur finem. Natura autem participatio eſt legis æternæ, ſicut lux in aula participatio eſt ſolaris lucis, teſte D. Auguſt.

guſt. eſtque ſimul poteſtas, & ſapientia & amor rebus inditus natura ipſa. Abſque enim potentia aut ſapientia aut amore, eſt, viuitque nihil, nihilque operatur. Quapropter adſcribere Angelis operationes rerum naturales errore non vacat. ideoque credo S. Auguſt. operationes tantum ſupernaturales & extraordinarias intelligere. Nam alibi Angelos non operari operationes naturarum, ſed mouere ad operas & ad formas, agricolarum & medicorum ritu, qui naturas applicant: naturæ. a. per ſe operantur. Palam enim ritu ordinario Mare à Sole & Luna intumeſcit, agitaturque, ventique mouentur, vt locum ſpatioſum ſuæ vitæ aptum nanciſcantur, quibus anguſtia mors eſt. Aquas non abſque ſenſu fieri libri ſequentes indicabunt. Animalia verò à natura formari neceſſe eſt, remque omnem à ſua forma actiua, iuxta præceptum Dei. Igitur dicere lapides deorſum ferri ab Angelo, & non à ſeipſis, ignemque fugere terram inimicam, quoniam ab Angelo trahitur ad fugam, fictitia aſſertio eſt, indignaque DEO, tanquam non largitus fuerit omnem neceſſarium vigorem actibus cunctis. Eſt quoque Angelos vilifacere, dum deputantur ad faciendos naturales actus omnium rerum viliſſimarum, quibus loco formæ deſeruiunt. Homines quoque abiicere, & animalia, quibus formæ viliores adeſſent, quam luto, & paleæ, quibus forma eſt Angelus. Item Angelus non eſt ſicut Deus rebus intrinſecus, qui abſque violentia omnem mouet naturam, cum ab eo, in eo, & per eum ſint; ſed extrinſecus eſt; ergo ſenſus omnis eſſet violentus. At ſi reſpondeas, ignem & tellurem obedire Angelis, opus eſt quoque aſſeras, quod eorum præceptum ſentiant, cum non trahant Angeli manibus, & inſtrumentis corporeis, nec res virtutem obedientialem habeant, niſi ad Deum. qui etiam ſolus miracula in eis facit, quoniam ſolus ipſas creauit: Si autem ſentiunt, ergo non indigent Angelis vt moueantur ad operationes naturales. At modo Angeli erunt cuſtodes ſingularum ſpecierum, & noſtrorum indiuiduorum, ſicut Diuus Hieronymus docet, ac ego expertus ſum, quod nunquam intellexeram. Concludamus ergo cuilibet ineſſe rei tantum ſenſum, quantus ſingularum conſeruationi eſt opus: Itaque aliis plus, aliis minus, niſi poſteriores opinantes nos ſuperent.

Capvt VII.

Inſtinctum eſſe impulſum ſentientis naturæ, & qui inſtinctu res agi ponunt, ſenſu ponant oportere.

DOctiores alij introſpicientes huius modi abſurditates dixerunt, ad ſuas operationes res naturales agi inſtinctu quodam ſecreto Dei, ſuis indito formis, & veluti nos calcaribus & freno agitamus quoſlibet equos: Homines vero præceptis, verbiſque: Ita Deum res omnes regere impulſibus naturalibus, inditiſque propenſionibus, homines vero libertate intellectui indita. D. Thom. dicunt ita ſentire. Et abſque ſenſu res ad ſuos conducunt fines. At hi in difficultates conſimiles offendunt. Omnis enim inſtinctus eſt inſtigantis ad finem cognoſcentiſque impulſus. Alius enim eſt ſupranaturalis, quo inſtigatur prædeſtinatus à Deo alius violentus, quo ſagitta à ſagittario. Alius regitiuus quo iudex à Rege: alius naturalis quo ſua ſponte res ferũtur, vt à principio intrinſeco. Inſtinctus enim naturalis eſt impulſus naturæ. At iuxta dogmata eorum natura nihil eſt, niſi forma, aut materia: & quia formis adſcribunt operationes declinando aliorum errorem, neceſſe habent adfirmare formas omnes ſentientes eſſe. Nam concedunt cum Ariſtot. naturalia omnia agere propter finem, & contra Empedoclem oſtendunt plantas fructus ferre, vt æternentur, ſpinas vt defendantur, folia vt tegantur, multaque docte affirmant hac in re: Ergo natura cognouit finem: non enim ageret propter illum, nec ad illum opera ſua dirigeret, niſi illum cognoſceret: Ergo inſtinctus eſt impulſus cognoſcentis naturæ; & cum opera Dei perfecta ſint omnia, omniſque natura, vt perfecte operetur, indigeat finis cognitione, omnem naturam ſentire affimandum eſt: ac ignem ſurſum tendere, à propria impulſum forma ſentiente; bonum ſuum eſſe in peripheria, malumque in imo. Itaque calor & frigus omniſque res ſenſu operabitur. Quia Ariſtot. ipſorum præceptor in 2. Phyſic. docet plantas, omneque Ens propter finem operari, nec indigere diſcurſu nouo ad eius notitiam; Sed veluti peritus Cytharædus abſque conſilio quandocunque opus eſt harmonia, ſcit ſtatim, nil cogitando, chordam pulſare, ita rem naturalem omnem proprios perite edere actus; quoniam vt & S. Thom. addit, natura eſt ars intrinſeca rebus, ars vero natura eſt extrinſeca; Et in libro de inſomn. dixit Ariſtotel. Deum non immittere ſomnia, ſed naturam, quoniam dæmonia eſt, hoc eſt, ſapiens, multa in ſomnis nos docere. Et in libro 3. de gen. Anim. 11. dat calori ſenſum, vt quodammodo omnia anima ſint plena. Quare obſtupeſco quomodo in libro de An. poſtmodum plantis negat ſenſum,

non modo elementis, vt magno contradicendi Pythagoræ pruritu geſtiens. Si vero præfatæ Auctores ſententiæ velint huiuſmodi inſtinctum à Deo oriri immediate, ac minime in forma naturali eſſe impreſſum, omnia argumenta noſtra & Diuus Thom. contra Arabes, & Anax. ſunt contra eos. ſi autem in forma impreſſum eſſe dicant, cum D. Thom. cum hæc impreſſio ſit facultas operandi innata & non violenta vel illata opus eſt adfirmare, ipſam eſſe ſenſum ac cognitionem. Sed reſpondent ſagittam à ſagittario directam ad ſcopum rei, nil ipſum intelligendo. Ego vero inquam eos, hoc exemplo valde decipi: poſitum eſt enim à D. Thoma aliquando, vt ſciamus res dirigi ab intelligentia non errante, non autem vt violenter moueantur: vnde corrigit hoc exemplum de ſagitta, Ver. q. 22. art. 1. docens conuenire violenter non naturaliter motis, veluti ex defenſ. patuit. Deus enim eſt intrinſecus rebus multo magis, quam propriæ ipſarum formæ (ait S. Auguſtinus) nec ducit ad finem niſi per ipſarummet naturas, imprimendo vim, intrinſecam naturalem non modo tendendi ad finem, ſed & ſciendi tendere in finem, ſicuti ars in Cytharædo eſt pulſandi, & in planta florendi, & fructificandi, vt ipſe Ariſtoteles monet, & D. Thomas: alioquin Deus æqualis eſſet nobis, qui non potentes dare virtutem ſagittæ, damus violentiam, quæ parum perſeuerat, ipſamque ſagittam deſtruit: vnde impedita non amplius ad ſcopum tendit: Natura vero ſemper contendit ad eundem finem, niſi penitus deſtruatur. At quoniam, teſte Salomone, ſapientia Dei attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, putandum eſt, omnes illi naturas obedire eundo ad ſuos fines, ea actas virtute, quam ad obediendum habent. Quapropter veluti abſurdum eſt aſſerere, quod ignis calor non calefaciat, nec terra proprio frigefaciat frigore, ſed alieno ignoto impulſu; ita abſurdum eſt adſerere, quod natura ſentiat finem, & operetur gratia illius abſque ſenſu, quem ipſa habet, aut quod non habeat; & vere ſenſus omnis eſt participatio primæ ſapientiæ, vt Salomon teſtatur; ac Diuus Thom. omnem formam participationem diuinam eſſe docet, & quoniam Deus potens eſt, & ſapiens, & amans optimus, ego oſtendi in Metaph. omnia Entia, Potentia, Sapientia & Amore conſtitui, & vnumquodque eſſe, quoniam poteſt eſſe, ſcit eſſe, & amat eſſe. Itaque præliatur contra non eſſe: & quando illi defecerit poſſe, aut ſcire, aut velle eſſe; perire, aut tranſmutari in Ens plus illarum habens. concedunt quidem hi Philoſophi omnibus ineſſe rebus potentiam appetitumque vitæ & eſſe, at negant aliqui ſenſum longe magis concedendum. Non enim poteſt eſſe id, quod ignorat res ſibi vtiles & noxias, nec quod ſibi vtile eſt amare poteſt, niſi ſciat illud vtile eſſe ſibi, nec odiſſe quod nocet, nec fugere, niſi ſe ab eo deſtrui ſentiat: quod cum omnes res faciant, non modo quando ſe deſtrui ſentiunt, ſed etiam

cum ad deſtructionem ſe diſponi præſentiſcunt, omnes ergo ſentiant. propterea D. Thom. ver. q. 22. ex Dionyſ. probat quod omnes res tendunt in finem, & delectantur in eo, non Metaphoricè (ait) ſed Phyſicè. ergo ſenſum delectationis habent verum: & iterum non mouentur grauia & leuia & aliæ res naturales, vt ſagitta impulſu alieno, ſed appetitu proprio, ergo & proprio ſenſu. Non enim alius cognoſcit & alius appetit idem: ſed qui appetit cognoſcit appetitam rem: alias eſſent ſicut ego & tu, quod eſt impoſſib. & quidem licet à Deo inſtigentur ad finem naturalia: ſtimulos tamen doloris & voluptatis quibus inſtigantur, ſentiunt, alioquin nunquam obedirent ſponte, ſed violentia, vt in defenſ. probatum eſt. Hic cogimur creatorem ſuſpicere, ac celebrare qui ſuam imaginem aut veſtigium cunctis impreſſit rebus, nec facultatem neceſſariam aut vtilem prætermiſit, quam non largiretur eis. Vnde clamat in Prophetis: Quid vltra debui facere & non feci? Seipſum laudat quidam (Sotus in pr. de Iuſtit. & Iur.) ex hac ſchola, quod ipſe hoc arcanum intellexerit, nullum ſcilicet animal à proprio fine aberrare, nullumque aliud Ens, niſi hominem; quoniam compoſitus eſt ex ſenſu & ratione ſecum mutuo pugnantibus, poſituſque eſt in ſua libertate. Cætera vero à Deo regi, ideoque non errare. Grandem profectò ſtultitiam: cum ſæpiſſime errare videantur, & quidem ipſe vidi aſinum, alium aſinum ſubagitantem contra naturam in aſino, & felem proprios comedere natos; & ceruum ſubagitare præpoſtera Venere aſellum. Omitto quod plantæ ſuis fruſtrantur floribus, alioſque actus mille contra naturam reperi in brutis; licet illis culpa nulla ſit, ſed pœna tantum ſemen perdendi: homini autem ad culpam imputatur grauem coram Deo, qui docuit illum ſuper iumenta terræ, vt ait Iob. Ergo non eſt aſſerendum beſtias diuino tantum inſtinctu duci, ſed proprio ſenſu. At eò peruenerunt præfati ſapientes, quod videntur tollere ſenſum non modo rebus cunctis, ſed & ipſis beſtiis. Quoniam timent, ne ſi concedant illis ſenſitiuum diſcurſum, mentem quoque arbitrio liberam tribuant, qualis eſt humana: Nec vident, quanta differentia eſt inter humanam mentem, & hunc ſenſum communem. De quibus in Metaph. & in ſequent. libr. Ariſt. quoque prudentiam dat habentibus memoriam, & D. Thom. participium Rationis: quam vocat æſtimatiuam. Hæc autem ineſt vt ex præteritis ſyllogizent futura. S. Iſiodorus has cunctas cognitiones largitur beſtiis, & diſcurſum, & voluntatem, nedum appetitum: nec tamen errat, quoniam animali modo & non humano intendit, & ſapientiam vnam eſſe diuinam: De qua omnia Entia participant, ideoque ſimiles habent actus: vnde S. Thom. ex Dionyſ. vim naturalem facit participio ſenſitiuam: vim ſenſitiuam participio rationalem: vim rationalem participio Angelicam ſeu intellectualem. Intellectualem participio diuinam: vt in Defenſ.

CAPVT VIII.

Quæcunque accidentia ab inſtinctu fiunt, effectus eſſe ſenſus partium, totiúſque mundi.

COnantur alij oſtendere inſtinctum extare in natura abſq;
ratione & ſenſu. Nam magnes trahit ſtupidum, inſenſa- 1
túmque ferrum, & ipſe ad polum mirabili inſtinctu perpe-
tuo dirigitur: Et muſtela inſtinctu impulſa nolens ori bu- 2
fonis illabitur, deuoratúrque; & taurus fugax, ſi ficulneam inuenerit,
ſub ea inſtinctu naturæ quieſcit, depoſita ira: Delphini amant pueros; 3
Animalia multa pluuias, ventóſque prædicunt, nec tamen ſunt pro- 4
phetæ. Et Gallus gallinaceus, paruum animal, Leonem ferociſsimum
terret, aliáque huiuſmodi addunt exempla. Quibus reſpondeo: Hæc 5
exempla declarare omnia ſenſum & conſenſum omnium naturarum,
ipſúmque inſtinctum eſſe ſentientis naturæ impulſum. Non quidem Ad
magnes polum prorſus reſpectat, ſed aliquibus à polo gradibus decli- 1
nat verſus inſulam quandam in Septentrione, ex magnetibus totam
conſtitutam. Idcirco talis eſt magnetis ſenſus, quod ſemper ſuam vo-
luitur ad vniuerſitatem, & veluti ignis in cœlum adſpirat, & lapis in
terram, & aquæ in Mare: Ita magnes eo ſpectat, vbi eſt ipſius portio
maxima vel vniuerſitas, & propter conſenſum, quem illa habet inſula
cum ſtellis polaribus, quibus ſubiacet ac fouetur, omnis magnes eas
ad ſtellas ſpectare videtur. Itaque ſi aliorſum magnetem vertas, ipſe
ex templò ſuam ad poſituram reuertitur: Sicuti homo decidens vultu
in terram, ſubito erigitur ad cœlum, iuxta ſui poſituram, & rami ar-
borum flexi ad proprium ſitum reuertuntur. Non noui, quoniam non
licet miſero nauigantes interrogare, num & ad polum ſpectet Antar-
cticum, ſed bene credo, vltra æquatorem adductum, ad alterum reſpi-
cere polum, ſub eoque alias magnetis fodinas eſſe. Quoniam conſimi-
les ſunt res fere omnes, oppoſitis ſub parallelis æquidiſtãtibus vtrin-
que ab æquatore. At in Auſtro ſol deſcendendo magis, & in Borea
aſcendendo, & immorando magis, multam adducit varietatem he-
miſphæriorum, quam & ſtellarum diuerſitas in multitudine & robo-
re auget. Naſcitur magnes intra marmor & ferrum, qui tamen viui-
dior eſt; idcirco ferrum non ad ferrum tendit, conſimilis perfectio-
nis, à quo plus virtutis & virium accipere nequit, ſed ad magnetem, tã-
quam ad ſimile perfectiúſque ſimul: Et ſicuti animal in altum attolli
nequit: at ſi cibus eſt ab alto pendens, colligit vires eleuatúrq; ita fer-

rum colligit vires & ſpiritu corpulentiam vincit vt ſuperpoſitum ad magnetem eleuetur; vbi patet ſenſus illius. Magnes, vt aiunt, allio illitus non trahit ferrum, quoniam ipſius odor ferro ſuauis, ab allij odore victus non poteſt ferro communicari. Sed hoc falſum eſſe experientia admonet. At ſi igni apponas magnetem, viridis flammula educitur, ipſéque amplius ferrum non trahit, quoniam ſpiritu viuido ab igne priuatus eſt. at ſi magnetis liquor eidem ſuper iniiciatur, regreditur intro, & deinde trahit magnes, quoniam craſſities humoris occludit poros, per quos tenuitas attractiua regreſſa eſt intro. Ego quoque experimento didici, magnetem manducare ac ferri limatura nutriri, tanquam ex ſuo ſimili minus perfecto, ita vt homo animalibus veſcitur. Porro ſi altera ex parte ferrum attrahit, ex altera expellit, vt aiunt: non tamen ſic eſt, ſed ferrum magnete perfricatum altera ex parte, illius partis ſymbolum imbibit, itaque delatum in alteram partem regreditur ad priorem, qua prius affectum erat, ſicut nos ad tactum partis, quo plus delectati, aut præuenti delectatione ſumus. Poteſt & polos habere & poſituram mundialem, quoniam à Deo, vt mirabiles diuitias ſuas declararet, ita factus eſt. Remoram aiunt tenere nauim, nec poteſt alia de cauſa fieri, quam ſtupore ſenſus toti communicato machinæ, aptæ ab illa, per omnes pati poros, afficique. Ita & torpedo piſcatoris manum ſtupefacit, graui vapore, manus ſpiritus per funem delato aggrauante. Sicut dicemus de animalibus tractantes.

Ad 2 Muſtela calida eſt, & viuax, & odor exhalans ex bufonis ore frigidiuſculus eſt, craſſiuſculúſque aptus nutriendo eius percalido ſpiritui, eidémque proportionatus: Itaque cernens bufonem timet à principio ei coniungi, & circumcurſitat timendo amando: Donec bufo prædæ cupidus os aperit, ipſáque ſinit ſe voluptate ſenſus vinci; non tamen certa mori: ſicuti nec papilio lucis amore. Ita crocodilus Ibici os aperit, quę cupida vermes deuorare gingiuis illius adhærentes, libenter accedit, beneficiumq; cõmune fit.

Ad 3 Acquieſcit ſub ficu thaurus, quoniam odor illius ita mulcet illum, ſicut nos roſarum; & veluti per aromatum apothecas tranſeuntes, ſiſtimus gradum ad odorem; ita bos ad ficulneam, qua & libentiſſime veſcitur.

Ad 5 Quid mirum ſi leo timet Gallum, cum nos timeamus aſpidem & araneam, beſtiolas nobis magnitudine & viribus longe inferiores? Spiritus multi craſſique leoni inſunt, à cibis crudis craſſiſque, & calore, quo abundat, multo; Gallo vero tenues acutiqne, itaq; ſpiritus huius tenues in aërem ſparſi, leonis penetrant ſpiritus, reddúntqe reuerentes. Idem inter duos homines euenit vt alter in alterius aſpectu concidat animo: Nam lumen ex alterius oculis reflexum affectúmque viuiditate viuacioris in oculos minus viuacis ingrediens lædit occulto modo, reuerentémque hunc reddit. & magis ad paſsionem diſpoſitis vt amantibus vel formidoloſis, id contingit magis, ſicut qui nauſeam eſt paſſus, conſpiciens mare vomit, ex anti-

cipato ſenſu. Vox etiam puſilli animalis terret, ſicut nos ſuberis ſtridor quando inciditur, quoniam acute aërem mouet, qui ſpiritum noſtrum penetrat, pungitque & ſecat, ſicuti punctus ipſe ſectúſque eſt. Et Coſta noſter à ſtridula canum & puerorum voce terreſit, magis autem ſuſpiriis. Quin & canem obſeruaui ad ſonitum campanæ ita affectum vlulare conſueuiſſe. Animalia patiuntur frigus ac calorem ab aëre, quoniam ventri dedita ſunt, & aliud non cogitant, ſicut homo; ideo ex aëris affectibus tempeſtatem præſentiunt, ſtudéntq; conſulere tunc ventri, & vociferantur, declarantque nobis, ſicuti nos expectantes bellum, aliudve noui. Aër enim per poros & reſpirationem communicat cum ſpiritu noſtro in capite, ipſúmque humectat, aut attenuat, aut calefacit, aut refrigerat, aut aggrauat. & qui attendunt, perſentiunt temporum ex aëre mutationem. Nam hernia aliove morbo affecti, bene auſtrum norunt, quo tumeſcunt; frigúſque quo plagæ veteres conſtupeſcunt. Ita luna tumefacit maria, variáſque mutationes, variatis ſplendoribus adducit, & res humidiores eiuſmodi affectū patiuntur magis quam ſicciores. Sol mutationes magnas, grandes, & conſuetas inducit, luna vero paruas eiuſmodi calore blando tumefaciens, & minus attenuans. Adde & ſiderum congreſſus, varietatis cauſas. Ex eiuſmodi ſympathia & antipathia in mundo ſenſum, conſenſúmque eſſe declaratur. Idcirco res marinæ terreſtribus ſunt ſimiles, ita vt piſcis Epiſcopus, & catena, & lorica, & verpa reperiatur. Hæ autem res perſimiles ſunt caloribus ab aſtris demiſſis, & hoc pacto res conformantibus, non ad quantum ipſæ habent, nam is ignis magnus eſt; ſed ad quod imminutum in terram perfertur; ſtellæ autem in Deo, omniáque Entia ideas habent.

Ad 4. iter.

Appendix.

Poſtquam librum hunc conſcripſeram annis multis, peruenit ad me per manus Tob. Ad. noſtræ Philoſophiæ Summiſtæ, libellus G. Gilberti de Magnetica Philoſophia. Vbi vir mirificus in experientia multiplici occupatus, contra priſcos de magnete ſcriptores optime diſputat; ſuas tamen theſes ad Copernici doctrinam aptat, à Timæo & Philolao noſtratibus manantem. Nolui opiniones meas mutare; neque textum reficere, ne alienos labores præripere tanquam meos videar. Gaudeo ſane quod & ipſe non ad quaſcúnque fictiones magnetis motum refert, ſed cauſas inueſtigat experiendo, & motum eius ad terram perpetuo obſeruat, & ex neceſſitate poſitionis naturalis fieri ſtatuit, quod & nos ſcripſeramus; Attamen ad polos cœli & ad magneticam Inſulam nos ſenſum magnetis referebamus, ipſe vero ad polos terræ: & perplacet experientia, quod magnes in medio terræ, vel mari vndique à terra diſtans recta ad polos reſpicit: vbi vero terræ

propinquat, vt in littore Braſilienſi & Ghineæ ad terram declinat, vt manifeſtum ſit eius ſympathiam cum tellure non cum cœlo celebrari: neque perpetuo aliquantis gradibus à polo recedere, vt alij teſtabantur. In pluribus autem mihi vir ſagax non ſatisfacit: Primo quia ſenſum & ſympathiam (quæ non ſenſus eſt, ſed affectio ex ſenſu prodiens: Omnis enim appetitus proles eſt ſenſus boni, vt odium ſenſus mali, hoc eſt, rei deſtruentis) quaſi ſpernit. Attamen cum Thalete animatum magnetem concedit, & plus extra ſuum corpus extendi, quam noſtram animam docet. Hoc autem falſum eſt. Quoniam ſphæra actiuitatis animæ noſtræ vſque ad cœlum, vbi ſidera perueſtigat, extenditur, & in terram vſquequo vox & impulſus humanus & viſio & auditio protenditur. Mirum, quomodo magnetis anima videtur Gilberto liberior quam humana: quæ etſi non trahit ferrum odore, trahit homines & ceruos ſono, & faſcino afficit à longe, & voce etiam Diabolos & Angelos ad ſe vocat; ad pauca reſpexit in hoc. Præterea cum duas terræ dat virtutes in alia corpora operatiuas, alteram Electricam, qua per vapores, quaſi manus, deorſum omnia corpora trahit ad ſe, ſicuti electrum paleas per vapores tenuiores aëre: alteram vero magneticam, quia ſicut magnes ferrum ad ſui poſitionem adaptat, ita tellus magnetem & ferrum: Non enim per vapores fit talis actio, ſed per figurationis conformationem. Videtur mihi vir doctus ex parte errare: primo quoniam Electrum per vapores non attrahit: Siquidem vapor egreſſus, ad corpus vnde emanat, non reuertitur, ſed ſtatim ſurſum attollitur vi caloris vti nos dicimus, vel à groſſioribus corporibus quibus cedit, extruſus, vt docent Epicurei, & cum eis Copernicæi. De quibus in Metaph. Niſi iſte homo putet lucem ab electro, vti à ſole effuſam, ad electrum trahere, vti radius ſolis ad ſolẽ. Sed hæc attractio in obſcuris ædibus non fieret, neque in nocte, vbi electrum lucernæ non exponitur; ſiquidem lux eius de ſe, niſi à ſole adiuta, non tantum poteſt. Præterea magnes ipſe trahit electrice etiã Gilberto ferrum interpoſita tabula etiam lapidea. Vapor autem ſic penetrare tantam craſſitiem & ſubito nequit. Quapropter alia cauſa electricæ attractionis inuenienda erat: & quam à Lucretio ex parte accepit, reiicienda. Tellus quoque non trahit ad ſe niſi ſimilia corpora. At videmus deorſum ad terram ex aëre ferri non modo terrena, ſed etiam carbones ignitos & vinum, & piper & omnia calidiſsima, quibus quãtulavis inſit craſsities, vt motus ipſe potius delapſus ſit, vti in 2. libr. dicemus, vel regreſſus ad naturam in vere terreis, non autem per vapores attractio. Quæ autem dicit de poſitura magnetica mirabilia ſunt: ſique experientia ipſum non fefellit; (Nam dicunt nautæ in tropicis lineis magnetem mutare vires & inclinationes) vtique fatendum eſt, ita magnetem ad terram conuerti, vti heliotropium ad ſolem, & lunaria ad lunam. De quibus in 3. lib. At non recte vir ſagax videtur mihi

tellurem

tellurem propterea magneticam facere, quia magnetem ſic ad ſui poſitionem inuitat; ſic enim oporteret ſolem & lunam herbaceas facere, quoniam herbas ad ſui motum conuertunt. Neque propterea quod non alia metalla & corpora tellus ad ſe inuitat, ſolummodo magnetica ſit tellus. Nam etiam Sol omnes producit herbas, non tamen ad ſe rapit; ſed quaſdam: nec propterea de natura illarum, quas rapit, ipſe erit, cum etiam aliæ calidiores ſint, ſoli ſimiliores; ſicuti neque lux de natura papilionis; ſed oportet aliquid eſſe in heliotropio, quo ad ſolem propendet & voluptatem in papilione à luce excitari, & in magnete à tellure. Præterea cum in noſtra Philoſophia ſtatuerimus terram eſſe natura frigidam, obſcuram & immobilem in ſua puritate; quæ autem partes eius in metalla & plantas & lapides, & in rubras & albas, aliiſque coloribus affectas terrellas conuerſæ ſunt, terram non eſſe vere, ſed Entia ſecunda: nequaquã affirmare poſſumus terram eſſe magneticam. Magnes enim ex fluoribus fit, à ſole ingenerato liquefacientéque, in terræ viſceribus factis, ſicuti & cætera metalla. Impoſsibile eſt autem effectum ſolis eſſe id, quod maxime terra eſt. Neque enim contrarium à contrario fit. Si autem terra ſit in centro calida, vt Pythagorici putant, & quaſi animal variis conſtans partibus, nec propterea magnetica erit. Non enim homo oſſeus eſt, quia os in compoſitione eius quoque reperitur. Præterea lapides, ex quibus montes maximi conſtituuntur, vt Alpes, Apennini, Taurus, Libanus, Caucaſus & alij totam terram cingentes & incruſtantes & vſque ad ima viſcera intrantes, longe plures & grandiores telluris portiones ſunt, quam magnes, vt potius lapidea, quam magnetica videri debeat, ſicuti homo potius carneus quam à renibus reneus dici debet. Motus ergo magnetis ad telluris poſitionem, qualis heliotropij & lupini ad ſolem exiſtimandus eſt, & ex ſympathia non ſolum ſimilitudinis naturæ: ſic enim à terra electrice traheretur; ſed poſitionis naturalis oriri apparet. Neque negandum eſt ad partes polares cœli polos terræ per poſitionis ſympathiam referri: quoniam talem ex origine poſituram accepit. Quod autem ex origine habemus, naturale eſt, vt in Epilogiſmo, & in Metaph. docuimus. Hoc autem pulchro experimento ipſe Gilbertus confirmat, dum ferreos clauos eam poſituram in aqua ſuper ſubere ſeruare docet, quam ſortiti ſunt in officina ferraria, dum à fabro ſic poſiti cuderentur. Mira res, veritatiſque plena; vnde mundi conſenſum in ſuis partibus intelligas. Quod etiã cadauer humanum probat, dum aquis natans perpetuo in cœlum faciem ſpectantem tenet, & à tali poſitione deturbatum, ad eandẽ mox redit, vt pluries expertus ſum, vt in 4. lib. dicemus, occulto regi ſenſu, quibus manifeſtus deeſſe videtur. Narrat etiam de ferro poſito in templo Mantuæ conuerſo poſt tempora in magnetem, & ſeruante poſituram quam diu tenuerat in templo, vt ſcias magnetem non eſſe

terram puram, vti neque ferrum, ſed à calore Ens conſtitutum; & poſitionis vim magnam. Neque Ptolemæum ſpernas, vbi Eclipſin in Orientali angulo ſuper iuuenes & res nouas; in medio cœli ſuper Reges & res validas, & altas & viriles: In Occidente ſuper ſenes & res vetuſtas, indicationem habere; quod ex ſymbolo poſitionis veritatem habet. Sic D. Thom. in opuſc. de Fato (ſi eius eſt) gemellos ex diuerſo ſitu cordis in ventre varias ſortiri conditiones Philoſophatur; & cœlum rebus naturalibus & artificiatis dare ordinem admonet. Ex his quacunque ratione fiant etiam Gilbertica, ſequitur, ſenſum cunctis ineſſe rebus: quod in noſtro præſenti opere ſolum contendimus. Quæ alij ſcriptores de magnete tradunt, negligenda ſunt, præter illud quod aiunt magnetem ſuis ſuſpenſum polis 24. horarum motum circularem edere. Quod Gilbertus ſagax explorator negat. At ſi fieret, non propterea tellus circulo feratur, cum magnes terreus non ſit: Sed de his in Metaphyſ.

Capvt IX.

Cuncta Entia abhorrere vacuum: ergo ſentire, mutuóque gaudere contactu, mundúmque animal eſſe.

NEmini non perſuaſum eſſe debet naturas omnes particulares ac communem, ſenſu donatas eſſe, ſi animaduertat ſingulas omnéſque ſimul ita vacuum inter ipſas exhorreſcere, quod & contra impetum naturalem partialem ad replendum accurrant, quo ipſarum communitas & reſp. integra ſeruetur: Quoniam in totalitate ipſarum ſeruantur, & gaudent mutuo contactu ex vita communi. Quapropter conſpicitur aër in profundum aperti maris & in terræ cauernas impetuoſe inſilire, & contra naturam deſcendere ad prohibendum inane, quaſi deponens odium particulare, quod erga aquam & terram habet, vt communi ſuccurrat vtilitati; aqua vero per canales ex quibus exuctus ſit aër ſuperne, ſurſum eleuari; ſæpeque ſuſtinere ſe in ſublimi, vt in clepſydra, vaſe multa inferne habente foramina, ſuperne vero modo vnum, quo obturato, ne aër ingrediatur, aqua per inferiora foramina nil deſcendit; innumerabiles ſunt de hac re experientiæ, ex quibus orta eſt ars de ſpiritalibus. Igitur adfirmare licet, mundum eſſe animal, totum ſentiens; omnéſque portiones eius communi gaudere vita. & ſicut in nobis brachium non vult ab humero diuidi, nec humerus à ſcapulis, nec caput à collo, nec crura à coxendicibus; ſed omnes inuicem ad ſe mu-

tuo colliguntur, diuiſionémque vitant; ita totum mundum horrere diuiſionem, quæ aduenit illi, cum inter corpora partialia inane intercidit, & quidem niſi timore aut dolore quopiam aër afficeretur, cum deficit ſibi alterius corporis contactus à vacuo, non tam celer ſuccurreret toti, aliorumque corporum expeteret contactum. Animal mundus videtur Euſebio, & Greg. Nyſſeno, & aliis patribus & Platonicis Philoſophis, ſed vniuerſale particularium domicilium, vt corpus noſtrum vermium & pediculorum. Non indiget pedibus quoniam ſuper alio nõ incedit, ſed in ſe rotatur, vt Echinus Marinus: Nec oculis & auribus, quoniam extra ſe non habet quæ videat, audiátque. Niſi ſint alia ſyſtemata extrinſecus. At intra ſe omniſcium ſuarum partium eſt. Memento etiam quod non omnia animalia habent organa omnia, nec eadem. Inſpice vſum, & erudieris ſupra vulgus.

CAPVT X.

Dari vacuum violenter, non naturaliter, & ſenſum rerum comprobari contra Ariſt. vtrinque.

OPinantur Peripatetici nec naturaliter nec violenter poſſe inane reperiri, quoniam adducta exempla docent, Entia omne malum ſuſtinere magis quam inane: Attamen nolunt ſenſum conſenſúmque rebus tribuere. Irridéntque Platonem alióſque mundum animal appellantes. Reddentes autem rationem, quare non datur inane, dicunt, quod ſi daretur, grauis abſurditas eueniret, videlicet quod fieret motus in inſtanti abſque tempore, quoniam ſimul lapis cadens de tecto in pauimentum domus reperiretur in ſuo fine. Id declarant, quoniam mobile tardius mouetur intra corpus craſſum, quam intra tenue: velocius enim fertur intra aquam, quam intra mel, & velocius intra aërem, quam intra aquam; ergo ſi vacuum eſſet, nullo reſiſtente corpore medio, ac largiente tempus motui, moueretur ſubito, quod eſt contra definitionẽ motus. Sed hæc ratio non eſt Philoſopho digna, cum quia non reſpondet ad odiũ vacui, & amorem pleni, quæ requirere ſenſum apparent; Tum quia ratio à quæſtione diſtat valde, veluti ſi quis interrogatus, quare manducat, reſponderet, quia niſi manducaret, perderentur dapes: tum quia fallaciſſima eſt, vt oſtendit Auenpaces & D. Thom. Non modo enim dat motui tempus reſiſtentia medij, ſed & finitudo mobilis, quod finiti cum ſit vigoris in tempore proprium edit actum. Similiter &

terminorum incompoſſibilitas: Non enim ſimul in tecto & pauimento diſtantibus, poteſt idem corpus reperiri: & adde naturam ſpatij, longi, lati, profundique, à cuius extremo ad extremum tranſeunti opus eſt per medium tranſire, & per medij medium, ergo non ſubito: ſed velocior eſſet motus. At quæ abſurditas eſt, ſi quis motus, non autem totius naturæ in inſtanti fiat? Ipſi hoc concedunt illuminationi, ſed de hoc in Metaph. Reliquum eſt ergo, vt ſenſus communis prohibeat vacuum. Quapropter poſſe violenter dari aſſero: Nam ex eadem Clepſydra mel cadit deorſum occluſo ſuperiori foramine, ex qua non cadit aqua, quoniam illud grauius eſt, nec poteſt à natura ſuſtineri, ad aliud malum minus vitandum; & in ſyringa obturato extremo foramine ſi ſtylum attraxeris non venit, ne intercipiatur inane: at vi attractus venit, & poſtea ſibi relictus, impetuoſe regreditur, ergo inane interfuit, quoniam ita regreditur: folles quoque vndique conſtipati obturatique pice, nequeunt eleuari, niſi magna vi. At relicti impetuoſe contrahuntur odio intercepti vacui. Cucurbitula quoque attrahit carnem, quia vacua eſt aëris, igniſque extinctus amiſſa raritate, ipſam replere nequit. Aliáque exempla docent res pati vacuum, ſicut ſciſſurę aëris à pilis Bombardorum & lapidum iactu, quos inſectatur ſe coniungendo, & ſubita lignorum ſciſſio: Quoniam veluti corpus noſtrum naturaliter diuiſionem abhorret, at violenter ipſam patitur; ita mundano accidit corpori.

CAPVT XI.

Omnem naturam ſentire, ſi vacuum prohibet contra Peripateticos.

ALij Peripatetici frigidam Ariſt. rationem cernentes, addunt non dari vacuum, quoniam à natura prohibetur: nec dicunt à qua natura: ſed quidam dicunt à natura vniuerſali. Sed hoc eſt petitio principij. Idem enim aut intendũt à Deo prohiberi aut ab Angelis, aut ab anima mundi. nos vero iam demonſtrauimus hoſce actus pendere à formis rerum particularibus, atq; ad naturales actus formas ſufficientes habere vires, Deumque in eis operari non abſq; ipſarum formis. Quapropter exiſtimandum eſt, omnem formam ſentire ſibi noxiam eſſe diuiſionem à toto ſuo, omneſque conatus adhibere, vt concorporetur. ſi autem natura particularis vacuum abominatur, quælibet natura ſenſum habeat oportet, quo patiendo inane ſentiat, cum tam celeres

ſunt ad ſuccurrendum. At magnus lapis non ſuccurrit vacuo, ob nimiam corpulentiam, ſuccurrunt autem parui. Quoniam clauis vacua exucto aëre, labro affigitur, trahit & pendet. Itaque res tenues, quæ plus moleſtiam ſentiunt, & celeriores ſunt, ſuccurrunt illi magis.

Caput XII.

Spatio ſenſum attractiuum ineſſe, ac potius à rebus amari quam odio haberi.

DIfficile quidem perceptu eſt, num ipſum naturale ſpatium horreſcat vacuum fieri, cum creatum ſit ad ſuſtinenda corpora; itaque quando inane eſt, illa attrahat ſibi: Nam & in materia ſenſum appetitumque reperiemus. Ego quidem ſentio ſpatium natum ad locandum, trahere ad ſe corpora, non quidem inſtrumentis, ſed appetitiuo ſenſu. Nam & illi ineſt potentia, ſenſus & amor, eſſendi tale, quale à Deo creatum eſt. Ex quo Arabes quidam putarunt ſpatium eſſe Deum ipſum, quia omnes ſuſtinet res, nullis contrariatur, omneſque recipit benigne, nec vnquam moriuntur illi, & per illud, ſed hoc corpus modo reſpectu illius corporis mortuum eſt. Maximum eſt non quantitate corpulenta ſed incorporea, & infinitum extra mundum omne exiſtimatur: Amans, beneficumque rerum omnium. Equidem ipſius admiror excellentiam, at Deum eſſe ipſum minime credo. Et in Metaph. hanc reprobaui opinionem. At agnoſco ipſum eſſe baſim omnis eſſe creati, corporei omniaq; præcedere ſaltē origine & natura. Nam ſi creatus eſt mundus, oportet (ait Auerr.) aſſerere, quod præfuerit inane, quoniam non intelligit Auerr. vbi Deus eſſe potuiſſet, nec ſpatium immateriale ab eo potuiſſe creari. Qui autem mundo creationem tribuunt, ſicut ego exiſtimo ac credo, paruipendunt iſtiuſmodi coniecturas. Deus enim infinitus eſt, & non dimenſionibus præditum incorporeis receptaculum paſſiuum appropriatum rebus materialibus ſicuti ſpatium: At longe præſtantiorem magnitudinem Deus habet, actiuiſſimam præcedentem has omnes. Ab eoque datum eſt vacuo ſpatio poſſe locare corpora & attrahere, & eſſe baſim vniuerſalis Entitatis. Deus non eſt in loco, ſed locus in ipſo, & non ſicut locatus in loco, ſed ſicut in ſuo principio largiente eſſe, & conſeruationem illius, omniumque Entium. Nec ſpatium, cum indigeat repletione, Deus exiſtimari poteſt, qui nullius indigens eſt:

nec repugnat ſpatium ſimul cum corporibus creatum eſſe: niſi apud eos qui de Deo humiliter ſentiunt, quoniam abiecti ſunt animo, paruique. Igitur ſi ſpatium tam diuina creatura eſt, coniicere licet, res cum voluptate ad ipſum trahi, vtque occupent ſpatium, quod baſis entitatis eſt, res accurrere ad implendum, quaſi acquirentes libenter nouum regnum exiſtentiamque: & non modo ſenſu mutui contactus vniri mundum, ſed & gaudio ex repletione vacui: nec res accurrere ad prohibendum vacuum, ſed ad dilatandum ſe in ampliori regno in ipſo, cum amorem ſeſe amplificandi & multiplicandi & plures viuendi vitas in ſpatioſa exiſtentia experimur cunctis ineſſe rebus: quæ ſeſe multiplicant, generant, effunduntque in locum inimici, omne aliud expellendo, ſeque ſolas eſſe appetendo, ob ſecuritatem ſe conſeruandi, æternandi, & Deificandi, ſi poſſent: Omnes enim imitantur Deum æternum, infinitumque, & illi tanquam cauſæ propriæ perſimiles fieri percupiſcunt. Itaque cum voluptate ſpatium res attrahere, poſſumus alta cogitatione ſentire, vt in Metaphyſ. probatum eſt. In prima huius libri compoſitione latina, quam Bononiæ ſubripuerunt, ac ſimul libros alios falſi fratres, eoſque reficere nunc cogor, quoniam recuperare vnquam nequiuimus, dubitaui, qua ratione res potius ad contrariarum rerum, à quibus deſtruuntur, contactum accurrunt, quam vacuum permittant, & tunc dixi magis contrariari inane corporibus quam contraria corpora. Ignis enim cum terra conuenit in eo quod vterque eſt corporeus, & formis donatus actiuis, vacuum autem neque corpus eſt neque forma. Quapropter intra ſe vacuum ſentientes dolent, quaſi timentes annihilari, quoniam vacuum quaſi nihilum eſt ad corpora: & hanc rationem aſſignaui, qua cœlum, licet extra ipſum foret ſpatium non expanditur in eo: Gaudet enim contactu mutuo partium propriarum, timetque nullitatem, ſi foras expandatur. Et Democritum irriſi, qui pelle ne euentet, cicumdat cœlum: nunc autem illam ſententiam poſſibilem eſſe arbitror: attamen perplacet magis aſſerere, quod mutui contactus delectatio inter corpora inſit, & cum ſpatio ſimul, nec non & timor amplioris exiſtentiæ. Ac video non corpora præbere mundo vnitatem, cum ipſe contrariis ſit compactus, ſed magis ſpatium ipſum, quod & inter corpora etiam ſeparata interponitur, & colligat mundum vnica coexiſtentia baſilari. At recta exiſtimatio fuit partes mundi contineri conſimilitudine, ſicut aquæ gutta ſuper herbam: cui Salomon comparat mundum coram Deo, eademque ratione collecta eſt ſtella omnis.

CAPVT XIII.

Mundum eſſe animal mortale, & quid extra ipſum eſſe queat.

VLt Ariſtoteles extra mundum non reperiri plenum locum nec vacuum; nec tempus, nec motum, ſed nihil: Imo Alexander pluresque illius aſſeclæ contendunt, non poſſe Deum extra mundum quippiam producere; primamque ſphæram non eſſe in loco, quoniam non habet quo ambiatur, at ſemper in ſe circumuolui, & communis videtur eſſe ſententia, mundum non moueri motu recto: Quamuis Democritus & Epic. infinitos mundos extra noſtrum ſyſtema extare doceant. Nos autem minime credimus Dei potentiam hoc in paruo globo exhauſtam eſſe, terminatamve, licet Copernico longe maioris quantitatis, quam cæteris appareat: Sed foris alia Entia poſſe exiſtere, Deumque poſſe infinitos, multiformeſque creare mundos. At num ſint, quis ſciat, niſi reuelet, Deus? Qui intus & foris eſſe creditur, non ſicut in loco ſed ſicut infinitum Ens, principiumque, cui omne innititur Ens. Corpus tamen IESV fatemur eſſe ſuper omnes cœlos, vbi Legiſlatores ponunt felicitatem, & Pythagoras Entia diuina. Argumentum Stoïcorum, quod ſi quis ab extrema ſphæra iacularetur lanceam foras, conuincit aliquid ibi eſſe & non nihil. Si enim abiret lancea, ſpatium ibi eſt: ſin minus, à renitente corpore impediatur, oportet. Nihilum autem non eſt ibi, vt aiunt. Tunc enim Sphæra nihili eſſet infinita, & nihilum erit circulare, ſicut Sphæra cui adiacet, Ergo ens eſt. Nec cogitatione aſſequi poſſumus eſſe nihil neque in mente, neque extra mentem, neque in Deo, neque extra Deum. Ens enim finitum eſſet, & Deus finitus, cui adeſt non ens. Profecto ſi ignis vſquequaque infinitus eſſet, non extaret Tellus eius contraria nec res alia ſibi diſſimilis: Ergo ſi Deus infinitum Ens eſt, non ens non eſt, neque fuit vnquam. Sed Deus ex nihilo dicitur feciſſe mundum, quoniam ex nulla materia præexiſtente, nullaque ex forma creauit eum, ſed ex ſui eſſe fœcunditate per ſimplicem emanationem ad hoc eſſe illum tulit. Qua de re ſatis, cum in Metaph. luculenter hanc doctrinam tractauimus. Dicam tamen impoſſibile ſcitu eſſe, num recto moueatur motu mundus. Nam qui intra nauem ſub tecto fertur, non percipit motum eius, & in IV. libris, quos de re Aſtronomica ſcripſi contra Ariſtot. & Teleſium & Ptolemæum & Copernicum, diligenter hoc Corteſio diſcipulo indicaui,

ſimulque oſtendi, nec poſſe ex viſu ſciri, num ſtellata ſphæra in gyrum feratur, an tellus: eadem enim apparentia fit moto viſu, ac viſibili; attamen ex qualitatibus motum cœlo affirmaui, negaui vero violentum motum & diuiſionem ſphærarum, oſtendendo vnam modo eſſe; ſtellaſque ſponte moueri ſua, ſicut piſces in mari. Abſtuli concentricos, excentricos & epicyclos. Phyſicas de Phænomenis reddidi cauſas; oſtendique perpetuo ſolem deſcendere deorſum magis, ad cremandam tellurem, ideoque non ſemper ab æquatore ad Tropicos excurrere, grad. 23. & m. 28. ſemperque obliquitatem defecturam, quoniam prope terram arcus eſt anguſtior, nec reuerſurum ſurſum aliquando, vt Copernicus ſentit: Nunquam enim obſeruatum eſt ipſum aſcendere, ſed deſcenſum modo tardare, & à Ptolemæo ad nos, deſcendiſſe 31. parte ac dimidia fere, quarum vna eſt pars terræ ſemidiameter; eaſdemque ob res anticipari ſolſtitia, & æquinoctia, quæ in antecedentia feruntur, ſed irregulariter in 6565. annis grad. 77. fere; omneſque in anteriora ferri ſtellas, alias velocius alias pigrius, qua de re videntur hæ relinqui, ac ab occaſu in ortum ferri, qui motus eſt ſubdeficientiæ non autem exiſtentiæ, & prædixi mundi mortem per ignem, ſicut Heraclitus ſenſit, & S. Petrus prophetauit. Ergo hoc animal magnum deficiet amiſſo altero contrariorum componentium vt in aliam præſtantiorem à Deo perducatur formam, teſte Dauid. Cæterum totius cœli mutatio & anomalia Ariſtoteli ignotæ, idcircoque ipſum æternantis, clare indicant mundi interitum. Quod autem Teleſius dixit maris ope colligatum permanere cœlum cum terra, quoniam inſtaurat telluri per vias ſpongioſas, quod à ſole aufertur, ac deinde mare idem recipit à pluuiis & fluuiis reſtitutum, pulchra eſt ſententia etiam D. Baſilij. Quod autem Teleſius addit, quod cœlum, non exiſtente hoc in medio cœli terræque corpore humido, recederet à terra, vacuumque inter eos remaneret, non mihi probatur. Contrarietas enim non diſſoluit mundum, imo ad vnionem incitat; & partes ad pugnandum alteram contra alteram, & ad ſuccurrendum inani, certando præ altera, alteram occupare illud, & ſe amplificare, generare, & effundere ab inimica timentem, ac ſpontanea ira congredi conſpiciuntur. Hoc ergo animal ita ſeipſum perimet ſicut febris, quæ feruor ſpirituum eſt armatorum ad bellum contra inimicum humorem, dum in perniciem inimici pugnat, totum diſſoluit compoſitum. Hoc arcanum de febre latet medicos, putantes rem eſſe pernicioſam, quam ego iudico vtilem: niſi enim accenderetur ſpiritus contra morbum, & motus pulſuſque non velociores ſolito, vehementiores, & crebriores ederet, & calorem non augeret contra inimicum humorem: remaneret ipſe victus, ſubitoque mortuus. Quod repentinis accidit in morbibus, quando non datur tempus ſpiritui armandi ſe, ac feruendi: itidem quando in ipſo feruore vincitur, nec fit diminutio

febris

febris ordinatæ. Indicium copiæ malignorum humorum vincentium extinguentiumque ſubito ſpiritum in anguſtis vaſibus, aut in congreſſu aperto copia prauorum humorum obnubilantium. At in mundo oppoſitum continget aliquo pacto. Nam cœli candidi formoſique feruor exſuperabit terram atram turpemque & præſens interibit conſtructio fabricæ, totumque erit cœleſte ac nouum, vt ſanum ſub alia ſpecie. Stultum eſt aſſerere mundum ſenſus expertem eſſe, quoniam caret oculis, auribus, pedibus & manibus. Hæc enim inſtrumenta conueniunt ſpiritui animali; materia craſſa, circumſepto; ideoque indigenti foraminibus, quæ ſenſoria ſunt ad ſentiendum exteriora: ac inſtrumentis ad motum & ſuſtentationem craſſæ molis quam vectat. At mundo ad motum ſufficit rotunda figura, manus eius radij ſunt & virtus diffuſiua, ad operandum ſe extendens, non quidem incluſa ponderoſis brachiis, impedientibus robur eius, oculi ſunt ſtellæ ac luminaria, quæ vident & videre etiam dant nobis, qui craſſa intercluſi mole per feneſtras ſenſoriorum aſpicimus ægre, tunicis carceris noſtri impedientibus ea, quæ in toto aëre ac cœlo patent, abſque feneſtris & ſpecillis videre: ſiquidem & viſus tactus eſt, perceptioque, vt in ſeq. patebit libro. Tam ſtultum eſt ſenſum rebus negare propterea quod carent oculis, auribus, & ore, quam ſtultum eſt negare motum vento, propterea quod caret cruribus, pedibuſque, & igni manducationem, propterea quod caret dentibus, & viſum manenti in platea, propterea quod feneſtris caret, per quas proſpiciat, & aquilæ, eo quod ſpecillis caret. Idem furor alios impulit ad credendum, Deum habere corpus, oculos, manus, &c. Deum obſecro viuum, verumque, vt declaret qualiter non modo rebus omnibus largitus eſt potentiam & amorem eſſendi, quales ab eo factæ ſunt, ſed & ſenſum bene eſſendi, vt ſeruentur in gloriam ipſius. Hoc autem nunc examinandum eſt in cunctis denique rebus.

Q

Finis Libri primi.

DE SENSV RERVM, LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Quæ & quomodo dicenda remanent.

CVM declaratum ſit generatim rebus ineſſe ſenſum, nunc dicendum videtur ſpeciatim de cuiuſcunque rei ſenſu, & quid & quomodo ſentiat; quidditates rerum & operationes & actiones ſilebo, niſi quatenus ſenſum declarant. Nam in Phyſicis & Metaph. hæc omnia docuimus; quæ in hoc libro præſuppoſita eſſe volumus.

CAPVT II.

De Senſu materiei.

MAteriam vniuerſalem, locum omnium formarum, ſicuti ſpatium eſt locus omnium materiarum, molem eſſe corpoream intelligimus. Eam enim Peripateticam materiam quæ non eſt quid, nec quanta, nec qualis, in mente tantum reperiri, primus dicit Auerr. & alij. Si autem in mente eſt, ſubiici rebus extra mentem genitis nullo poteſt modo. Procul dubio

corpus ſubſtantiale nunc calefit, nunc frigeſcit, nunc aqua fit, nunc tellus, nunc ignis, & planta, & animal, &c. aptum eſt ergo in omnem mutari formam, nihil ipſius pereunte. Ergo huius creatum finis gratia, non patitur vim in formarum ſuſceptione, ſed gaudet. Ens enim omne libẽter operatur, afficiturque, ad id quod ſibi naturale eſt. Hinc orta eſt ſententia Platonis & Ariſtot. materiam appetere formas ſicut fœmina maſculum: quoniam illius eſt perfectio his ornari: quæ participationes ſunt diuinæ pulchritudinis. Ergo ipſa ſentit, cum appetat. Omnis enim appetitus à cognitione ſuboritur. Irridet hanc opinionem Auicenna dicens, ipſam carere appetitu, quoniam caret ſenſu, nec appetere formam quam habet: Iam enim poſſidet: nec quam non habet, quoniam ipſam non ſentit. Quin Teleſius recte docet, quod ſi calor bene poſſidet aliquam materiam, fit vnum cum illa: totamque vſquequaque penetrat, extinguitque appetitum frigoris; & hæc ſententia vera eſt. Probauimus & in Phy. quod omnis corporea moles quatenus corpus eſt tendit ad ſui ſyſtematis medium, quoniam ad ſui conſeruationem: ergo ad vnionem: ergo ad concentrationem: ſed quatenus formatum eſt, tendit ad ſitum ſuæ formæ conuenientem. propterea materia .i. corporea moles noſtri ſyſtematis cum non eſt bene deuicta ac poſſeſſa ab vlla formarum, appetere inuenitur quod ſibi conuenit, ac ſentire. Res deorſum cadentes id declarant, quæ ſæpe calidæ ſunt, vt carbo accenſus, & vinum ac ſimilia: quia quo magis terræ propinquant, eo magis concitant motum: Hoc à ſimilitudine formali, quam cum terra habent, euenire non poteſt: cum tellus ſit frigida, ſiccaque; res vero cadentes interdum calidæ humidęque: Nec à calore, qui potius ſurſum ire cupit; ergo materiæ tribuendum eſt: Quę, quando non eſt deuicta à calore, quantus poſſit ipſam ſuſtinere in ſublimi, aut mouere; nec à frigore à quo poſſit immobilitari; ipſa ſibi relicta non poteſt ſe penſilem ſuſtinere, quoniam hoc eſſet agere: ipſa autem ad patiendum non ad agendum nata eſt, & illo, non hoc gaudet: ergo cadat in terram commune fulcimentum neceſſe habet. Et quo propinquat eidem, eo concitat motum quem odit; inſtar animalis finem fugę concitantis, vel quia propinquioris concentrationis gaudio roboratur; Ergo falſa eſt Peripateticorum opinio quorundam, res graues motum accelerare, cum à vicina terra conſimili confortentur; ita enim glebis concitatio, partibuſque modo terreſtrib. conueniret; at in omni cernitur corpulentia, etiam inimica terræ & aquæ, licet ad extinctionem properet ſui; Ergo materiæ eſt à ſenſu. Tribuere enim id copię aëris ſemper magis accumulatę ſuper cadente re vt aiunt, negat ratio oppoſita: nam è contra plus aëris addenſatur ſub re cadente, aptiuſque tardare impetum. Profecto hic appetitus, vt Auicennæ reſpondeamus, naſcitur à ſenſu non animali ſed naturali. At cum omnes ſenſationes à prima ſapien-

tia emanent, ſimiles ſunt ad inuicem, ita & appetitiones. Et materiam dicimus non appetere formam quam habet: ſed frui illa, & ex eis fieri compoſitum & conſenſum, quo idem ſapiunt, idemque volunt; appetere vero alias formas, quando diſpoſita eſt ad illas, non autem penitus informata: vt tepefacta plus caloris appetit, quoniam & ipſa epiditas augeri cupit. Item exiſtimandum eſt, eius appetitum ſenſumque conformari ad ſenſum omnis formæ, ac ipſam non pati dolorem nec voluptatem per ſe dum transformatur, ſed ex accidenti, vt experimur in carne noſtra inciſa aut contuſa, non modo temperiem informantem dolere, ſed & calorem, & corpoream molem ex quibus ipſa conſtat temperies. Communi ratione idem ſuadetur, nam cum habeat ipſa potentiam & appetitum Eſſendi, ad finem, cuius gratia creata eſt à Deo; ſenſum quoque habeat eſſendi materiam, & non niſi materiam eſſe cupiat, ſicut & omnia entia ſentiunt Eſſe, amantque eſſe, & abominantur non eſſe. Præterea quoniam iners eſt, informiſque apta ad omne artificium formamque recipiendum; eſt ergo inuiſibilis, quoniam in viſum non poteſt agere paſſiua res, ergo nigra, tenebricoſaque: Tenebræ enim ita apertis, ſicut clauſis ſpectantur oculis: nec tenebra eſt actiua qualitas, ſed paſſiua, materiæ conueniens. & calore lucido priuatus carbo oſtentat materialem nigredinem quæ luci miſta rubeſcebat. Ergò putandum eſt ipſam appetere colorem, variiſque ornari formis. Item cum paſſio ſit ſenſus, ipſaque ad patiendum aptiſſima ſit, ad ſentiendum quoque idonea eſt, immò & ad intelligendum (ait Dauid de Dinando) vnde putauit Materiam eſſe Deum: licet ruditer: intelligere enim in nobis eſt actus non paſſio licet ſuccedat paſſioni, in Deo autem eſt actus ſine vlla paſſione. Dicunt alij natam eſſe materiam ad recipiendas formas: ideoque appetere non appetitu, ſed inſtinctu, ſicuti ſagitta à ſagittario impulſa. Hoc reprobatur eiſdem rationibus, quibus in præcedenti lib. oſtenſum eſt, inſtinctum eſſe ſentientis naturæ impulſum. Atque ſi hoc illi naturale eſt, neceſſario ſentire. Opinionem Lucretij, quod omnia corpora deorſum appetant ſed tenuiora à grauioribus ſurſum extrudi, alibi reprobauimus, ipſeque reprobat ignis, nullis machinis compreſſionibuſque deorſum premi patiens, volenſque, ſed ciuitates & montes eleuans, vt ſurſum petat, dum non extruditur ſed intruditur à grauioribus. Reprobauimus etiam quod aſſerunt, omnia materialia corrumpi, quoniam materia aliam appetit formam: Sed diximus illas modo corrumpi res; quæ contrarium habent præpotentius. Ideoque viſcera terræ non corrumpi, quòd à contrario diſtent valde: Solemque perpetuo viuere, quoniam tellus eius inimica eas non habet vires ſummas, quibus ipſum transmutare interimereque poſſit. Formas non educi de ſinu materiæ, ſed ab agentibus ingeri cauſis, alibi ſcripſi, & ſequens docebit ſermo.

CAPVT III.

Neque animam, neque ſenſum, neque formam vllam de materiæ ſinu educi, ſed ab agentibus effundi cauſis.

TVrpiter ſibi contradicentes qui materiam prope nihil ponunt, nec quid, nec quale, nec quantum, omnique priuant ſenſu, dicunt è contra, formas eſſentiales accidentaléſque de materiæ gremio educi, animámque ſenſúmque ex ea oriri, & non à cauſis agentibus. Nam dum elementa priuant ſenſu, ac ſimul ex eis animalia ſentientia conſtitui cernunt, coguntur ex materiæ ſinu virtute agentis animam producere. Hanc opinionem alibi à nobis reprobatam, vt totum declaremus ſenſum, hic examinare oportet. Palam eſt quidem materiam conuerti in formam non poſſe, naturam paſſiuam in actiuam: nec formam perpetuo in materia manere, nam perpetuo informata eſſet, & non pura potentia, vt volunt: & cum à frigore informatur, impoſſibile eſt intus continere caloris formam. Nam regnans in ipſa contrarium omnes illius penetrat latebras, ſuoque conformat eſſe: Ergo nullatenus ſucceſſura forma in materia præeſt; ſed è contra videmus, omne ſimile ſuum producere ſimile, & cum ignis generat ignem, non educere de ligno ignem, ſed ipſummet præbere ligno ignem, ſeipſum multiplicando & effundendo. Nec quidem ex tenebricoſa mole lux educi queat ita; nec frigus nō educere de noſtra manu frigus, ſed ſeipſum ingerere, & effundere in manum experimur. Nam & quomodo ex re calida educat frigus & non potius det? Ergo ſenſus & anima non latet in materiæ ſinu, ſed producitur à generante cauſa ſui ipſius diffuſiua; Alioquin eſſet creatio ex nihilo, aut manifeſtatio formarum infinitarum, & ſimilium & contrariarum ſimul abditarum in quauis materiæ parte. nec infinitis formari poteſt, vt aiunt. Dicunt materiam eſſe in potentia ad formas non autem actu. At (inquam) hæc ipſius potentia paſſiua eſt, & receptiua formarum, ſi quis det, non autem actiua & formalis & datiua. Igitur dicere quod ipſa eſt in potentia formæ omnes, eſt dicere, quod ipſa poteſt recipere formas omnes, non autem dare; & hoc affirmo. Niſi repleamus materiam ſeminariis virtutibus, quæ in Deo ſunt ideales, in elementis cauſales, vt putat Aug. & Alb. At ſeminaria virtus eſt ſenſus naturalis, vt in Deffenſ. probatum eſt. nunc autem loquor cum Peripat. qui eas negant. Propterea alij ineptè adducunt ſeminum exem-

plum, vt frumenti, in cuius grano eſt frumenti forma quam edit actu cum terræ ſeminatur. Stulta fallacia: Semina enim non ſunt pura materia, ſed deciſio omnium cauſarum: ergo habent ideam generantis ac virtutem actu licet ligatam in materiæ denſitate: Quæ excita à terræ calore & mollificata eius denſitate, ipſa virtus vigorem ſumit operandi, & quod in generante faciebat, faciendi, ideóque molem ad ſui principij ſimilitudinem effingendi. At in oſſe, in lapide, in pluma non fit forma frumenti, quoniam non habent intus virtutem frumentariam. Et quidem ex quolibet quodlibet oriretur, ſi à materiæ potentia & non agentis emitteretur forma. Et fabuloſa eſt ſtultitia, quod de materia incorporea, vt ipſi dicunt, educatur magna mundi corporeitas, de inſenſata ſenſus, & anima, & de non calida calor, non autem de calido agente; & quoniam agens tunc perfecte producit, cum bene materiam diſpoſuerit, affirmandum eſt, ab eo formam introduci, propriam effundente ſimilitudinem. At quoniam corporeitas materialitas eſt, vt in Metaph. probauimus, eamque vident triangulum fieri, & quadratam & circularem, cogitant formas quoque actiuas eſſe materiæ filias. Nec intelligunt materiam eſſe corpus ſubſtantiale per Eſſentiam, aptum ad recipiendos innumeros terminos quantitatiuos figuráſque. Item nec intelligunt, quod ponentes ipſi formam æque ac materiam principium rerum, dum de materiæ ſinu ipſam educunt, non principium ponunt, ſed finem & effectum, & non cauſam primam. De quibus affirmant quod ex alterutris non fiant. Quapropter antequam vlterius progrediar, de anima & animatis dicere neceſſarium arbitror.

CAPVT IV.

Ex fabrica & origine animalis, animam eſſe ſpiritum tenuem, calidum, mobilem, aptum pati, propteréaque ſentire.

LIquidò conſtat lucem calorémque ſolis non in aëre gigni, nec in terra educi de materiali gremio, ſed ab ipſo effundi ſole. Præſertim intra frigidam glaciem ex cuius latebris oriri, niſi ſtupidiſſima affirmaret beſtia. Hic calor ſub terram penetrat, & abſcedente ſole remanet, diſponitque ipſam in varias formas, vbi liquidam reddit, producit aquas, oleum, gummi: vbi indurat, lapides, metalla, &c. vbi attenuat, fumum, vaporémque & ventum quorſumlibet mobilem: vbi autem

ingenerat ſpiritum intra lentam, viſcoſam & fluidam molem, qui exhalare nequeat, vel diſrumpit, vel intus remanet: Ergo quando producit animalia, ſpiritum intra corpulentiam generat: animal enim mouetur ſicut ſpiritus, & quieſcit ſicut corpulentia; Continétque intra ſe liquores, ſicut aquam & oleum. Componitur ergo ex vaſis ſolidis continentibus, & ex contentis liquoribus, & ex ſpiritibus impetum facientibus, vt bene loquitur Hippocrates. Et hunc ſpiritum vitæ, & mirabilem à Moſe dictum, Auguſt. Alber. G. Nyſſ. Athan. Amb. Lactan Chryſoſt. & alij in Defenſ. citati, dixerunt eſſe Animas brutorũ. Anima ergo eſt ipſe ſpiritus tenuis & calidus ingeneratus in humore intra craſſam molem, vnde egredi prohibitus ipſam effingit, formatque ad vſus permanentiæ vitæque communis: & quoniam ipſe ſuo calore attenuans exhalat & humores conſumit, & corpus exſiccat, efformauit vaſa, quibus poſſit alias res ſibi conſimiles conuertere in ſubſtantiam corporis, & humoris & ſui: Ergo ædificauit os, quo deglutiret, dentes vt conterat, reddatque aptas tranſire eas in partes, in quibus fit imminutio; ventrem vt coquat, venas vt transferant, iecur vt abſoluat, perficiat, diſtribuátque: arterias vt viuificent, cor vt in ſpiritum attenuet, pulmonem, vt ventilet, purget, retineátque; caput, in quo habitet ipſe princeps, oſſa ad ſuſtinendam machinam; ſuturas ad flectendum & rigendum, neruos, in quos excurrat, trahátque, quo opus eſt quaſi funibus: pedes quibus ſe ad cibum & ad amica Entia conferat; & ab inimicis fugiat: carnes ad cuſtodiendam machinã, ne lædatur ab æſtu & gelu, & obuiantium contuſionibus; vngues pro armis: pilos pro leui tegmine, vel plumas ex excrementis, vel ſquammas facit; aliáque organa ad alios vſus expellendi excrementa, & admittendi res vtiles; ſenſoria autem quibus agnoſcat, quæ proſint quæque obſint. Itaque non eſt putandum ſenſum eſſe, habere oculos, aures, naſum, linguam, cum & in mortuo animali, neque oculus videat, neque auris audiat, nec naſus olfaciat: Sed ſenſum eſſe perceptionem paſſionis, in ipſo tamen ſpiritu viuidiorem. Qui aures efformauit, & in eis tympanum, in quo motus ſentiat, & per motus mobilia abſque læſione; & ſpeculum oculorum ad excipiendum lucem affectam illuminatis rebus, quas ita ſimul videat non læſus: Naſum vero qui admittat vaporem exhalantem omnibus ex rebus, vnde ipſe iudicet, num poſſint ſuæ inſtaurationi vtiles eſſe, aut noxiæ; dum ab eis aut viuificatur, aut infeſtatur: ſic & linguam ſpongioſam ad imbibendum contritum cibum, ipſéque ex ſapore (qui calor eſcæ natiuus eſt incorporatus) pernoſcat, vtiliſne ſit cum ſua ſubſtantia nutriendo ipſi ſuæque domui viuæ, quæ corpus generatim appellatur, nec ne. Quos ergo vulgus appellat ſenſus, ſunt partes corporis graciliores, ac perforatæ per quas ingredi queant res ſenſibiles, cum parua læſione ad ſentientem iudicantémque animam: Non autem ſenſus: Verum

omnem ſenſum paſſionem eſſe & fieri tangendo tot modis, quot tangi poteſt ſpiritus, alibi demonſtrauimus, nec non & hic demonſtrabimus, &c.

CAPVT V.

Spontaneas generationes, earúmque euentus idem oſtendere.

NAtiuitas, mors, paſſiones, operationéſque animalis omnes declarant, animam eſſe calidum, tenuem ſpiritum, aptum quauis paſſione affici, & ſentire, & corporis molẽ vectare: Proptereáque dicitur anima, quod animet agitétque impetu, quorſum accurrit collectus. Ideóque alia Entia licet ſentiant, animalia non vocantur. Semen hominis aliorúmque animalium frigefactum, non eſt prolificum; nec calefactum nimis: quoniam aut extinguitur, aut exhalat ſpiritus innatus: ſed blando fotum calore formatur in animal; idcirco in vtero, in ſeminibus, & ouis humi calefactis fit generatio. Oua namque gallinarum ſub calido fimo, aut ſub calido ſabulo, ſicut in Ægypto conſueuit, non ſecus viuificantur, quã ab incubante gallina. Oua ſericorum in calabria prope ignem excitantur ad formationem. Ipſa ergo anima calidus ſpiritus videri debet. Caro putreſcens, in loco præſertim calido, vermes producit, & vrinæ calor in puluere pulices, & vnctuoſus ſudor humanus pediculos. Quos ego vnus non produco, ac mihi appoſiti aut fugiunt, aut cito pereunt: meus enim calor illis non conuenit; cum ſim ego corpore abſolutus exſiccatúſque; & ſpiritibus abundans viuidis, excrementáque tenuia reſoluta, non apta ad producendam corticem conſtipandámque vlla vnctuoſitate includendo ſpiritui. Ariſt. autem (de gen. anim.) id confitetur, *In putrefactis* (inquiẽs) *facillime ingenerantur animalia, quia eſt in terra humor, in humore ſpiritus, in ſpiritu calor, vt quodãmodo omnia animæ ſint plena*, &c. Videmus ſane intra caſeum & ligna, & carnes putreſcentes, calorem agitari (Nam cum ſit natura actiuus, agit ſemper nunquam ſuæ natiuæ actiuitatis oblitus) itaque tenuem producere ſpiritum: qui exhalare non valens, dum molem ſuam agitat, ſequeſtrat tantum à communi reliquo corpore: ac proinde organa format, quibus in ea viuere poſſit. Hoc autem facit calor à ſeipſo tanquam princeps cauſa, non ab alia Phyſica principaliori impulſus, modificatúſque: At veluti in nubibus & in fœno compreſſo ignem generat, nulla ipſum regente aut moderante ignis forma: Ita in putrefactionibus

ctonibus animalia generat, non ab alia inſtructus anima. Ergo non eſt organum, vt alij putant, niſi ſolius Dei, ſicut & omnes formæ. Item in 4. Meteor. ait, *excreta caliditas in putrefactione componit & architectatur corpora animata.* Componere autem corpus, liquido conſtat eſſe animæ opus inhabitaturæ, & alibi (de partib. animal. ait:) *In omnium ſemine eſſe calorem fœcundum, proportione reſpondentem elemento ſtellarum.* Idem dixit Alb. calor non eſt anima, ſed aliquid animæ, & ideo animat. Patet ergo calorem producere animalia, & non ex materiæ gremio, ſed ex materia attenuata & calore conſtitui animam. Cernimus quoque ranas ex aqua craſſa, viſcoſa in calidum puluerem æſtate cadente, facta cortice ac ſpiritali tenuitate intra ipſum produci. Sæpe quoque vidi crines equinos in aqua pluuiali tepida animari fierique anguiculos. Nam dum mollificantur ab humore & calore imbibito, cum ſint perforati, humor intus attenuatur ſpiritusque fit. Quin & fila & funiculos lineos intra tepentes aquas in inſecta animalia tranſire vidimus non ſemel. Vere ergo omnia animæ ſunt plena; quoniam omnibus ineſt calor. Quod autem mirabilius eſt, non modo ex blando calore, ſed etiam à robuſtiſſimo viuificari pyrauſtas in fornacibus cypriis Plinius obſeruauit; qui quidem ſolido cortice gracilique ambiuntur fuſo ex liquore induratóque extracti. Vbi etiam patet eundem calorem ſolis & ignis: vt alibi oſtendimus omnem ignem à ſole deriuari, contra Peripateticos. Vitam eſſe natiui caloris (ergo animæ) permanentiam, dixit Ariſtotel. Et à calore de mortua animalia reuiuiſcere palam eſt. Igitur quoniam ex nihilo non fit anima, nec ex anima mundi, aut ex Colcodea, vt in Metaphyſ. docuimus; ſemper autem à calore generari videtur, vt Auguſt. Ambr. & alij conteſtantur: In glacie enim & niue animalia non oriuntur, neceſſario affirmandum videtur, calorem eius cauſam agentem eſſe, ipſamque flatum.

R

Capvt VI.

Stulte Ariſtotelem generantis motioni, animæ productionem & corporis fabricam committere.

ARiſtoteles autem hanc ab eo aſſertam doctrinam oblitus, dum de animalium, deque hominis generatione loquitur, negat in ſemine eſſe animam, quæ ipſum in tam pulchram efformat ſtatuam: ſed neque in primo, neque in ſecundo actu animatum eſſe vult, hoc eſt neque vitam, neque vitales operationes habere, ſicuti qui nec artem cytharizandi habet, nec cytharizat. Coactus autem declarare quomodo ſemen inanime animam deinde producat, ac admirabile corporis opificium formet, Reſpondet hoc ſemen facere poſſe in virtute generantis, qui emittit ſemen; Et quærenti, quomodo generans abſens aut mortuus poſt coitum, poteſt ſemini dare virtutem animandi & architectandi, dum animam cum ſemine non iaculatur; reſpondet, ſufficere motum, quem impreſſit in coitu; qui remanet in ſemine, ſicuti in virga mota agitatáque, quæ aliquantum poſtea, nullo tangente, mouetur. O ſtultitiam incredibilem! Quo pacto enim motus, qui quaſi nihil eſt, poteſt animam, nobiliſſimum Ens, producere & corpus fabrefacere, diſtinguendo, copulando, & affabre elaborando tot oſſa, neruos, venas, arterias, viſcera, tam mirifica, induſtria & poteſtate tanta, quod Philoſophi meliores Deo potius committendum eſſe putant tantum opus, quam calori aut animæ? Eoque minus Ariſtoteli id aſſerendum erat, quo in putridis generationibus ſpiritum agnoſcit. Hic autem docet ex menſtruo ſanguine, quem anima mulieris emittit tanquam vitioſum, nec ab animæ viribus conuertibile in nutrimentum eius, poſſe motionem, quæ nihil eſt, opificium tam mirificum efformare. Præterea vt ab eius exemplo non recedamus, motio virgæ abſente motore continuo paulatimque decreſcit deficitque & perit. Sed in vtero, cui nullam vim actiuam ipſe tribuit, & in ouis ſemper huiuſmodi motus perſeuerat, creſcit & perficit, abſoluitque opificium. Non ergo motio eſt, ſed res bene potens, benéque ſapiens. At timet Ariſtot. ne eadem res ſit agens patiénſque; idcirco ſemen non eſſe materiam fœtus, nec animatum putat. Verumtamen in plantarum ſeminibus videmus germina oriri, ſpiritu eius ex-

citata, ad formandam ex ipſo plantam, & agit calor, materiáque patitur. Nec dedecet naturalem motum ab interna fieri forma, cùm natura intrinſecum ſit illi principium motus: male arguit ergo ex eo, quod ædificator eſt aliud ab ædificio & Doctor à diſcipulo, non poſſe internum calorem fabrefacere corpus. Exempla eius ſunt ab arte petita & à violentia, cauſis actiuis extrinſecis, non autem à natura arte intrinſeca: Sed alibi hanc opinionem reprobauimus. Hic autem concludere liceat, animam ex infecto menſtruo qui abortus & ſterilitatem fœminis affert, & canibus rabiem, & germinibus tabem, non poſſe oriri, nec corpus formari, præſertim ope motionis, quæ actus eſt languidus deficiénſque, Nihilo proximus; calorem vero cauſam eſſe principem, non organum, qui ſemen conuertit in partes corporis animatas exanguéſque; ac deinde ſanguinem purum non menſtruũ, in rubras ſanguineáſque, vt in Phyſico epilogiſmo declarauimus, & in diſputationibus.

CAPVT VII.

Mortem, aliáſque paßiones animalis idem declarare.

ITa frigus cauſam eſſe mortis animalis compertum eſt, vt vitæ calor. Omnes enim morientes frigeſcunt abſcedente anima. Non tamen propterea frigus carere ſenſu, ſed animam calore conſtitui, admonemur; & Ariſt. in libr. de Iuuentut. vitam eſſe natiui caloris permanentiam, mortem vero deficientiam, ſcripſit. Et quoniam à frigore animal infeſtatur, ſenſum amittit, obſtupeſcitque, & ſæpe calefactum reuiuiſcit, hoc experimur in apibus muſciſque aqua necatis, quæ ad ſolem poſitæ, aut in tepente cinere attenuato ſpiritu, qui aqueus factus erat, & mouentur & volitant. Quod grandioribus non accidit, eo quod plura magnáque habeant organa, quæ ab aqua replentur, & deprauantur: Non ita illorũ anguſta organa, quæ parum aquæ admittunt.

Præterea in Iſlandia, aliiſque Angliæ Inſulis multa animalia hyeme gelantur, demortuáque videntur, nil mouentur, nec manducant: Vere autem reuiuiſcunt ad functiones conſuetas. Frigus enim non deprauat organa, nec frangit, ſed gelat humores, ſpiritus vero non reſoluit, ſicut ignis, ſed inter humores cohibet. Ita vinum gelatum iis in regionibus dum frangitur, reperitur in centro ſuo liquidam ſui tenuiorem portionem calidioremque habere; quam aquam vitæ ap-

pellant, & apud eos ita fit, ſicut à nobis in deſtillatoriis. Nihilominus & calor multus occidit animal, foras educendo ſpiritus & vaſa frangendo diſſoluendóque, per accidens perimendo, non per ſe. Nam eductus ſpiritus in aërem, vitam viuit aëream, obliuiſcitúrque hanc, quam incluſus vixit. Galenus quoque declarat eſſe calorem natiuum: nam frigidam deuorans cicutam, moritur homo. Ego autem nil credo cicutæ frigus occidere; cum niuis frigus copioſius, robuſtiúſque non occidat, ſi deglutiatur. At omnia venena necant, aut quia corrodunt viſcera, & ſpiritum robore vincunt, inficiuntque; ſicut calx, mercurius, &c. aut quia copiam viſcoſorum vaporum in cerebrum mittunt, aliáque in vaſa, in quibus habitat ſpiritus, intercluduntque obſtruuntque ita, vt ſpiritus intermanere aut perambulare nequeat: ſed ab ipſis ſuffocatur priuſquam eos poſſit diſſoluere, vincere & in ſpiritum conuertere. Hinc patet contra Ariſtotelem animam ſenſitiuam non eſſe incorpoream, impaſſibilémque, ſed tenuiſſimum, volatile corpus. Non enim res corporea incorporeæ obſtruat viam, aut mortem afferat.

Cum homo laborauerit, langueſcit, quoniam paucos habet ſpiritus, eo quod à labore attenuati exhalarint multi in aërem: Ideóque manducando aut odorando quippiam ſtatim viuificatur. Ergo anima ſpiritus eſt; quæ vapore nutritur, reficitúrque & augetur. Bibens homo generoſum vinum, inebriatur & dormit, vinum autem hoc vi frigoris non facit, cum calidius hoc magis efficiat, ſed quia copiam vaporum in cerebrum emittit, ad quos attenuandos, vincendóſque ſpiritus accurrit: itaque remanent membra abſque ſenſu & motu, quos à ſpiritu habebant, & hoc eſt ſomnus. Ergo anima res mobilis eſt, quæ neruos intercurrit, & ſenſum motúmque ſtatuæ communicat: In neceſſitate autem retrahitur ad refectionem: Proptereáque vapores ſomnum afferunt, quod ipſe ad illos vincendos colligitur; Labor vero quoniam ipſum imminuit, reſoluitque; ipſe vero deponit onus corporis, & ingreditur reficiendi ſe gratia ex ſanguine, quem attenuat. Idcirco debilis eſt pulſus in principio ſomni, paruus in medio, quoniam in penetralibus totus ferè operatur, magnus in fine, quoniam foras iam egreditur refectus auctúſque ex vaporibus.

Porro ſicuti vini vapores pauci vtiléſque inebriant, impediuntque conſuetos motus; ita vapores ex fungis infectis & napello conſimilibúſque ſuccis prauis, prorſus ſpiritum exuperant, extinguuntque. In Epilepſia & Apoplexia id patet, vbi humores multi replent cerebrum, ſpinámque & neruos, auferúntque motum & ſenſum. Ad Agnanæ lacum eſt antrum vbi ingreſſum animal quaſi moritur: ad aquam vero delatum reuiuiſcit; Locum ipſe conſideraui, & vidi terram nigram in eo, veteri igne combuſtam: nunc

autem madeſit ſugendo lacum propinquum. Quapropter exhalat inde vapor craſſus, ater, fœtidus, qui ſubit per narices in cor & in cerebri cellas, ſpirituſque totus contra ipſum colligitur, corpuſque motu ſenſuque, deſtituit: Sique pluſculum immoretur, penitus moritur ſuffocatus copia infeſti ſuccedentiſque vaporis. At parum immoratus, non penitus moritur, ſed ſenſum motumque amittit; ſicut & qui venæ ſectione deliquium patitur, vbi ſpiritus timens ad interiora fugit, exterioraque hominis pauidi demortua remanent: at ab aqua viuificantur, quoniam ſpiritus inimicum frigus ſentiens, ſubito regreditur foras, ad auxilium membris ferendum in terrore inſueto, reuiuificatque: Pari modo fœmina vteri ſtrangulationem patiens, vaporibus noxiis ſuſcitatur à torpore; quia ſpiritus qui ad vteri ſubſidium confluxerat, reuertitur ad ſubſidium capitis, ſedis principalioris. Carbones quoque occluſo cubiculo vapores emittunt fæculentos, qui ſua craſſitie aggrauant ſpiritus tenuitatem, caliditatę vero vincunt vires ſpiritus, & nigredine fœdant lucem ſpiritus; ideoque occidunt. Eademque ratione peſtis ab infecto hauritur aëre. Vnde palam fit corporeum eſſe ſpiritum, tenuem, lucidum, calidumque, cuiuſmodi nos docuimus. Eundemque oſtendit animam eſſe, mors ex ingenti repentina lætitia contingens. Nam dum totus confluit in oculos & ad exteriora, vt fruatur bona vel re, vel nuncio inſperatis, quibus quaſi beati ſe putat, ſuffocatur ſeipſo in anguſtia vaſorum, & ſtringitur in liquorem, aut collecto ardore ſoluitur in tenuitatem, aut à concitatis ſimul humoribus compreſſus, mortem patitur. Non ſic facile interficit mœror; ipſe enim ſpiritus ad interiora paſſim colligitur miſerum ſe arbitrans ac propriam abdens miſeriam, vel fugiens. Ideoque oculi exigui vmbroſique apparent, ipſo priuati lucido, amploque: At in riſu & lætitia lucidi, grandes, pleni ſpiritu, qui ad fruitionem rei lętæ effunditur, vtque oſtentet ſe beatum, amplificetque: vt vel hinc pateat corporeum, tenuem, lucidumque eſſe ſpiritum. Quod & ira oſtendit, quæ eſt accenſio ſpirituum ad vindictam: Ideoque vultus rubeſcit, turbaturque accurſu eius; nerui ac muſculi tenduntur & non dilatantur, vt in riſu. In timore autem molleſcunt, deciduntque, quoniam fugiente ſpiritu ſemiuacui relinquuntur. Somnum non eſſe cordis ſtuporem frigefacti à vaporibus de cerebro gelatis cadentibus, vt Ariſt. opinatur, in Phyſic. declaraui, & ieiunio affecti homines, qui abſque vaporibus dormiunt, idem demonſtrant, & cor in ſomno ſemper commotum non ſecus ac in vigilia, & magis. Nec eſſe cerebri refrigerationem vt Galeno placet; ibidem diximus. Nam & vinum calidum potentia & actu, & Auſtri ſomnum afferunt: Boreas vero frigidus vigiliam & afflicti calore dormiunt: & muſica nil refrigerando affert ſomnum. Ergo eſt ſomnus vt diximus, collectio ſpirituum ad interiora, quieſcendi gratia à labore, aut fruendi ſono vel refectione; aut ſuc-

currendi cerebro occupato vaporibus, eoſque vincendi, aut expellendi, aut veſcendi: ſæpe & morbo alicubi ſuccurrendo fit paſſio perſimilis ſomno. Sed de his alibi. Omnis ergo paſſio, animam ſpiritum eſſe corporeum declarat.

Capvt VIII.

Entia omnia ab igne motum habere, animamque motiuam eſſe ſpiritum calidum.

Entibus cunctis ignem dare, vt moueantur, compertum habemus. Res enim craſſæ frigidæque, vt lapides, conglatiatæ aquæ & plantæ, & tellus motu carent: At ab igne in fumum vaporeſque tenues reſoluuntur, motumque aſſumunt, & motum communicant rebus, quibus intercluduntur, aut impediuntur. Sic ventus impellit ad motum naues, & ignis pilas bombardarum, quin montes & ædificia proſternit: vapor incluſus tremefacit agitatque terram. Igitur & animalis motus à ſpiritu calido tenuique qualis ventus, edi neceſſe eſt. Nam & bene frigefactum nil moueri poteſt, & abſcedente toto vel parte ſpiritus, ex toto etiam vel parte amittit motum. Videmus etiam pulſus ac thoracem moueri ſemper; reliquum vero corporis tunc modo, cum animali placet. Oportet ergo aſſerere ipſum compoſitum eſſe ex re, quæ ſemper mouetur, & ex re immobili: quæ tamen mouetur à re mobili, cum illi placet. Illa ergo vult, ergo illa ſentit, ergo illa eſt anima; ergo anima eſt ſpiritus mobilis, tenuis, calidus. Item enim cœlum ſemper mouetur & ignis, qui etiam motu priuatus extinguitur; tellus autem ſemper quieſcit. Ergo ex cœleſti portione tenui, calida mobilique, & ex terreſtri corpulenta torpidaque conſtat animal. Sanguis autem eſt in eo, ſicut mare in mundo, animali magno, vt copulet vtratque vtrumque nutriendo ſpiritum ſua exhalatione, & corpus ſua craſſitie. Præterea patet quando neruus repletur fluore, ita vt nequeat per illum ſpiritus interlabi, membrum illud amittere motum affici que paralyſi, aut ſpaſmo; ex virtute autem immobili prodire motum impoſſibile eſt. Ariſtot. tamen omnem animam incorpoream faciens, coactus eſt dicere ipſam immobilem: Volenſque docere, quo pacto animali præbeat motum ipſa immota, reſpondet ipſam imaginatione producere calorem & frigus: quorum altero dilatat, altero vero contrahit partes animalis: Omnis autem motus ad conſtrictionem & di-

latationem reducitur. At nunquã docere potuit, nec poteſt doceri aut credi, qua ratione incorporea anima, nullis dotata qualitatibus, poſſit ſola cogitatione calorem frigusque producere: ſolus Deus id mentali nutu facere poteſt: & quia dum quis cogitat, incaleſcit, & dum timet frigeſcit, opinandum erat corporeum eſſe calidumque ſpiritum, qui motu cogitationis incaleſcat, & fuga abſentiaque eius corpus frigeſcat, vt declarauimus. Nec poteſt anima, quando quis in chorea ſaltitat, tot ſimul caliditates & frigiditates producere, quot ſunt flexiones, dilatationes & conuolutiones in chorea, & ſimul: cum præſertim nec cogitando peritus ſaltandi hos edat motus. Hoc quoque nobis notum fieret. At bene cernimus, neruos muſculoſque intendi, tumeſcere & detumeſcere, nunc ſpiritu impellente introrſum, nunc extrorſum, nunc torquendo neruoſos funes, producendoque motus. Nunquam Ariſtot. in natura oſtendet hos actus ab imaginatione fieri. Ego nunc moueo calamum cogitando doctrinam, quam doceo, & non motus varios, quos ſcribendo promo. Sed Ariſt. illi inhærens ſtultitiæ, quod nequeat eadem res eſſe mouens motaque, aufert animæ motum: qui & vento & aëri conuenire viſitur. Ipſe tamen vult ventum ab aëre moueri, tantumque impetum quo proſternuntur quercus, & turres, ab inſenſibili languidoque aëris motu deriuat. Aërem vero moueri ab igne, ignem à cœlo rapi ad motum; cœlum ab Angelis immobilibus; omnem ergo motum violentum ponit. Motum vero ignis ſurſum à generante igne, & non à proprio calore effici; illum vero ab alio generante; ſic & grauia omnia & leuia, donec eo deuenit, vt ſpoliet res cunctas proprietatibus ſuis, donetque violentia.

Quibus de rebus in Phyſicis luculenter diſputauimus, oſtendimuſque, operationes, quas immanentes actiones vocant, non requirere agens & patiens diſiuncta, quoniam paſſiones ſaltem in voce ſunt, & non violentæ, & ab arte. Ideoque eadem definitione cum vectura & ædificatione non contineri. Sed neque calor, quamuis ab imaginatione productus, moueat corpus, niſi quia mobilis ipſe eſt. A re vero immota motum non fieri, alibi oſtendimus Nec in animali hoc inquirendum, quod ex immota & mobili re compoſitum, indiget externo immoto fulcimento, vt & nauta ad ſuſtinendum pondus, ſed in ventis & igne id conſiderandum erat ex toto mobilibus. Nec montibus inhærere ventos, vt poſſint moueri, ſtolide cogitaſſet, ſi rei mobilis immotæque naturas inquiſiuiſſet in illis. Nec quia à ſe mouetur, à ſe diſcedat anima, vt cum eo 1. de An. Aphrod. putat. Non enim à ſe tanquam à loci termino mouetur; ſed tanquam ab agente actui ſemper præſente. De his alibi.

CAPVT IX.

Eundem ſpiritum eſſe animam cognoſcentem iraſcibilem, & concupiſcibilem, & motricem, contra Galenum.

GAleno (De placit. Hippocr. & Plat.) quoſuis ſpiritus mobiles aſſerenti, non videntur nerui ab illis intercurrentibus moueri, ſed ab incorporea facultate, è cerebri temperie manante; & pulſus à facultate emiſſa à cordis temperie; ergo & motiones nutritionis & veneneris, facultati temperamenti iecoris tribuendi videri debent. Ipſe enim has tres temperies, tres eſſe animas, hoc eſt, rationalem, iraſcibilem, & concupiſcibilem: & rationali duntaxat tribuit ſenſum, diſcurſum, memoriam & imaginationem; cæteras vero etiam ſenſu priuat. Nihilominus vult has obedire & repugnare rationali, prout libet: Cuius tamen præcepta nec ſentiunt Galeno. At Plato huius ſententiæ poſt Pythagoram & Hippocr. Author, ſenſum tribuit iraſcibili, & concupiſcibili vt ita agant. Veruntamen difficile eſt ab ipſo ſumere, corporeæ ne ſint an incorporeæ: tametſi omnem animam, per ſe mobilem eſſe ponat. In Apologia contra medicum Veronenſem pro Teleſio has examinaui opiniones: Hic id modo referam, quod confert ad probandum ſenſum omnis animæ, ac motum in calore conſiſtere.

Quando iraſcibilis vult parare vindictam, aut concupiſcibilis bibere aquam noxiam febricitanti; aut prohibitam adire venerem, controuerſiam in nobis & pugnam ſentimus à rationali docente has res noxias fugiendas eſſe: ac ſæpe iuxta eius conſilium fieri, vel contra ſuperatam cedere iræ aut cupidini: In omnibus hiſce actibus neceſſe eſt tribuere ſenſum iraſcibili & concupiſcibili. Non enim rationalis frenarentur argumentis, niſi illa perciperent, auſcultarentque: Stupido enim lapidique quid perſuadeas? nec ratio illis cederet, niſi doceretur aliquid boni eſſe in re vindicabili aut fruibili. Si ergo iraſcibilis & concupiſcibilis id perſuadent rationali: Ergo & ipſæ ſentiunt cognoſcuntque valde, cum & rationalem conuincere queant. Si autem ratio ipſa ſibi perſuadeat ſequendum eſſe obiectum iræ & cupiditatis, ergo vnica eſt, ſolaque eademque anima, quæ argumentatur ad vtrãque partem; & dicit bona eſt venus, ſed cum voluptate ſua ſecum

affert

affert deinde damnum; itaque perpendit examinatque damnum & vtile,& mox ſectatur id,in quo plus boni inuenit, in illo tunc. Nam futurum malum tanquam ſemicertum negligit ſæpe. Hoc autem patet in diſputationibus Phyloſophicis,vbi vna Rationalis libiando argumenta contraria,nunc huic,nunc illi ſententiæ adhæret, dum veritas dubia eſt.Poſtremo tamen veriorem ſectatur: vel quam vtilitas aut voluptas veriorem facit videri. Ergo vnica eſt anima; vnus ſcilicet ſpiritus in toto corpore,in variis vaſibus,habitans & operans. Sed diuerſitas & incertitudo obiectorum,miſtorum ex bono & malo, variæque actiones efficiunt videri animas multas, eſſentialiterque diuerſas eſſe in brutis. Nam canis vellet prenſare carnem,& timet heri baculum ſimul,videturque diſputare quid magis agendum. At in homine reperiri rationem, ſed altioris ordinis repugnantem rationi & prudentiæ ſenſus carnalis,vt Apoſtolus docet, poſterius demonſtrabimus. Porro temperiem cerebri,non eſſe animam ſed formam ſtraminis & cubiculi animæ,alibi oſtenſum eſt. Nam & animal nil cerebri temperie mutata ſubitaneam oppetit mortem in magna lætitia. Item à vapore fœtido ſi ſpiritus afficitur ſubito, vacillat & intermoritur: & ſpiritibus in patiente vtero occupatis, ſenſus in capite non eſt, vbi ſenſitiuam & rationalem Gal.temperiem locat: Sed vel fœtoribus vel odoribus ipſe Gal. in caput reuocat ſpiritum & ſenſum & motum. Neque enim à fœtore temperies ſenſum recuperat. Quin & ipſe cum Ariſtot. cerebrum nil ſentire alias fatetur. Iuuenis Smyrnenſis, cui apertum fuiſſe cerebrum,refert Galen.& mortuum non fuiſſe, oſtendit cerebri temperiem non eſſe animam,ſed ipſum ſpiritum,qui ſe abdiderat in cerebello,& ſpina. Non autem exhalauerat (vt Galen. putat)poſteaque reuerſus eſt in domum à medico reconcinnatam. Quod non perpendit Galen. ideoque dixit ſpiritum non eſſe animam, ſed temperiem fractam & reconſolidatam. Præterea timor conſiſtens in apprehenſione mali,à ſola rationali tam cito apprehenſi ceſſare ſimul facit iram, & animoſitatem & concupiſcentiam veneream repente. Stupida autem iraſcibilis & concupiſcibilis non apprehendentes, nil ita conciderent,ſaltem ſubito.Omnes ergo ſpiritus iidem vna ſentiẽtes.Præterea nec iraſcitur ad vindictam homo verberatus à patre,aut à præceptore,nec contra alios vlciſcitur caſu lædentes aut inſania, ſed cum modo per contemptum tangitur,aut conſpuitur,aut maledicitur. Cognoſcere autem præſertim ſubito contemptum, qui quaſi nihil eſt,& parum mouet ſenſum,ſed diſcurſu noſcitur,non eſt actus inſenſatæ temperiei; ſed bene cognoſcentis virtutis.Præterea committere Imperia,dominatus & arma inſenſatæ iraſcibili, vt Galenus facit, inſenſati Philoſophi eſt: Summa enim arte & ratione illa tractantur. Imperare enim homo cupit,& vincere,vt contra hoſtes præualeat, ab

illis ſe tueatur, vtque æternetur & Deificetur. Res ſummæ ſapientiæ tribuenda. Pari modo appetitoria cibi copiam multo coquit calore, paucos vero pauco, quaſi peritus coquus præparat, diſtribuit corpori, ſingulis partibus congruentem adducendo, & deperditum inſtaurando. Quod quidem abſque ſenſu ac ratione non fit. Appetit coitum vt æternetur, & formoſiores amat, vbi ſemen melius viuificatur & producit: & iuuenculas, non anus, in quibus tabeſcit & extinguitur. Hic autem ſummæ rationis actus ſunt. Et licet non fiant conſilio nouo, indicant perfectam ſcientiam agentis. Non enim peritus Cythariſta conſulet, quam pulſet chordam, ſed tyro. Quoniam vero nocent, ſi actus præter tempus & locum & tem, dubitat ſecum interdum ſpiritus, diſputatque, vnde de vno fit quaſi, videturque, duo.

Præterea liquet ſpiritu tumeſcere pudenda, & muſculos & neruos, quos ab incorporea facultate tumeſcere nullo pacto aſſerendum videtur. Ergo falſo illi adſcribuntur huiuſmodi actus. & quidem Gal. fatetur, neruos opticos & ſpinalem medullam perforatos eſſe, vt intercurrens diſtribuatur ſpiritus: Poſtea tamen comminiſcitur facultatem. Veſalius autem illo deterior, quoniam poros non videt, negat. Profecto ex multis conſtare filis neruos palam eſt, quos ſi elixaueris, comperies in filis foraminum ſigna: ſed ita exiguorum, quod ſufficiunt congruuntque tenuiſſimo ſpiritui: & quamuis laterent viſum oportet tamen illa fateri. At Gal. ait, quod veluti lux incorporea à ſole defluens, ſi quid opponas, non penetrat: ita facultas incorporea per neruos humore plenos non penetrat in ſpaſmo. Aſt hoc ipſi affirmare non licet, ponenti, calorem quoque natiuum corporeum eſſe imo compoſitum ex quatuor qualitatibus, omniaque ex quatuor contemperatis elementis componenti. Quapropter hanc incorpoream facultatem ex corporea cerebri temperie deriuare non poteſt. Nobis autem congruenter patet, temperies cerebri & cordis, & iecoris eſſe materiales & corpulentas, nec virtutem habere diffuſiuam, ſicut ſol, vt poſſit incorpoream virtutem tam procul mittere ad exteriora & ſubito, atque reuocare, vt contingit in motionibus animalis. & quidem opaciores & denſiores ſunt nerui quam humor, ergo hic, qui peruius eſt magis, non impedit facultatem. Et quid dicet in ſpaſmo ſicco? Nititur nihilominus oſtendere Galen. virtutem pulſatricem & appetitoriam carere ſenſu: Eo quod nos cupientes ipſas ab operibus ſuis reuocare, nequimus. Nemo enim imperare poteſt pulſui & cordi ne ſic moueantur, aut à motu vt ceſſent: Nec iecori, ne coquat, nec tranſmittat ſanguinem; aut ne cibos noxios retineant viſcera. Poteſt autem ſponte crura & manus mouere & ſiſtere vt lubet. Ergo aliæ (inquit) ſunt actiones voluntariæ, ſenſu & ratione factæ; aliæ naturales ac vitales abſque ſenſu. Patet etiam affecto corde pulſum demitti, & animoſitatem concidere: & male affecto iecore

non nutritur animal,& appetitum amittit: affecto autem capite deprauatur memoria, diſcurſus & ſenſus. & ex corde naſcuntur arteriæ, vbi etiam ſunt latiores, & corpulentiores, habentque ſtipitem, cui aliæ ſunt quaſi rami: Ex iecore venæ, vbi etiam latiores ſunt: ex cerebro autem nerui, inſtrumenta motuum arbitrariorum. Aſt hoc neque ab ipſo Galeno affirmari poteſt; quippe qui in libro de ſemine demonſtrat contra Ariſtotelem, ex rubro ſanguineoque menſtruo non poſſe formari oſſa, neruos, venas arteriaſque & cartilagines, albas, exangueſque, ſed ex ſemine illis perſimili: Sic inquam ego, non poſſe deriuari ex corde & iecore ſanguineis rubriſque venas & arterias, ſed omnes oriri ex cerebro albo, exanguique quales ſunt ipſæ. Hippocrates quidem (in lib. de fœtu) demonſtrauit primo hæc vaſa & canales ex ſemine fieri, ac deinde ſugere ſanguinem, ex quo primo formatur iecur & mox caro, eo reſudante. Quod luculenter in Apolog. & diſputationibus ipſe oſtendi: Stipiteſque arteriarum venarumque dilatari in prædictis viſceribus, non quia ab eis manant, ſed quia ab eis bibunt ſanguinem largiter, quem in cerebrum deferant, originem ipſarum, & per corpus vniuerſum: ita riuuli in fonte parui ſunt, & procedentes dilatantur, & ingurgitantur. At vocalis arteria latior eſt in cerebro, & inde deorſum labens ramificatur in pulmone, & minoratur, quoniam ab ore flatum haurit, deorſumque infundit. Omnes quoque membranæ ac nerui ex cerebro per anatomiam comperimus, oſſaque ab caluaria. Propterea autem (vt reſpondeamus Gale.) intercepta filo arteria non pulſat cerebrum verſus, vti cor verſus: quoniam ſanguis ex corde in ipſam influens aggrauat ſpiritum: qui vt amoliatur onus, dilatat ſtringitque arteriam, ipſumque ita attenuat in ſpiritum: expellitque per fibras ad nutrimentum carnis: ex cerebro autem non influit ſanguis quoniam in ipſo eſt regia aula, & non culina. Perditur appetitus non modo affecto iecore, ſed etiam pulmone & ventriculo: Nec tamen propterea ventriculus quartam habet animam: Ita etiam perditur animoſitas quocunque ab vlcere & dolore cuiuſque partis; nec tamen ſunt partes partibus animæ. At quidem appetitus omnis, & ira & amor & ſagacitas & vis ſubito perditur, vbi animales ſpiritus praue afficiuntur: veluti cum nuncium peſſimum affertur, aut vapor quiſpiam infectus ſubit caput, ſicut ad antrum Agnanæ euenire diximus; vt pateat ipſum vnum eſſe totam animam. Nec quidem repentina corrueret morte nil læſis viſceribus & corpore animal vllum, ſi ipſorum anima eſſet immortalis incorporeaque. At quoniam ſpiritus eſt lucidus, mobiliſque, poteſt ſubito opprimi humoribus, vaporibuſve infeſtis eius vaſa occupantibus; vel ipſo ſe effundente, plus quam propriæ conuenit Symmetriæ. Iubere non poteſt

animal arterię & cordi ne agitentur, nec aliis viſceribus, vt functiones intermittant, non quia in eis ſpiritus alterius ſubſtantiæ inſint, ſed quia tenuiſſimus ſpiritus tam mobilis, motu priuatus extinguitur. Idcirco non poteſt ſibimet mortem imperare: bene autem poteſt vaſa diſrumpere & abire. Nec ſibi poteſt anima rationalis iubere ne velit, neve intelligat; non tamen ob id duplex eſt, aliave à ſeipſa.

Præterea pulſus inſtaurat ſpiritus continuo exhalantes, idcirco nunquam ceſſat, niſi in apoplexia, quando ſpiritus ſuppetias it cerebro, arteriæque remanent exiguo cum ſpiritu craſſoque, non adhuc bene perfecto; Ex quo patet pulſum ex capite oriri quandoquidem in hac & in cæteris ipſius paſſionibus perditur, aut imminuitur, & ſolo mœrore aut lætitia aut cogitatione intenta variatur. Nec quidem ita eueniret ex conſenſu cordis, vt dicunt medici, niſi & cor ipſum ſentiret cum eis: Hoc enim eſt conſentire. Nec aſſignari poſſet, quid faciat animal eſſe vnum, niſi vnitas ineſſet ſpiritus. Hæc enim viſcera ſeparata eſſent veluti ciuitates tres (ne diſcedamus ab exemplis ipſorum) quarum, ſi mutuo ſe non ſentiunt, non eſt mutuum auxilium. At quidem patet in attente Philoſophantibus ægre cibum concoqui, & ægre arterias pulſare; iidem ergo ſpiritus ſpeculationi operam dant; proptereaque hos actus deſerunt, aut pauci remanent ad hos vſus, non adhuc abſoluti, ſicut ſenes conſilio interſunt, iuuenes ludo natiuo.

Igitur ſi tam neceſſarius eſt pulſus, ad reficiendum ſpiritum continuo exhalantem, vt flamma candelæ, intermitti non poteſt, ſed nec nutritio omnino: Reſpiratio vero aliquantulum. Ipſa enim infundit ventum cordi, ſicut folles, ad excitandum viuificandumque natiuum calorem & conuertendum ſanguinem in ſpiritum inter arterias, ipſo ſimul vento in ſpiritum tranſeunte. Hic autem ergo ſi ceſſet natiuus calor, ſpirituſque foras egrederetur, dum à vento non retruditur intro, ſicut à follibus intruditur lignis calor, qui accendat magis, ſeque augeat, viuificetque de ſubſtantia ligni: Hac ratione moritur quis non reſpirans, qua ignis non inſufflatus. Hic caue Ariſtot. errorem & ex parte Galen. qui reſpirationem fieri putant refrigerandi gratia æſtuoſi cordis. Neque enim in frigidis morbis & temporibus fieret, vel minus fieret: cum tamen in hyeme ſit maior. Item intra ſtufas vbi calidus eſt aër, nulla fieret reſpiratio, ne calori calorem addat. Ergo alium fit ob vſum. Neque præterea Deus tantum ignis cordi dediſſet, qui continuo frigore indigeat ab aëre: Et Ariſtotel. plus errat, qui & cerebrum frigidum, vt cor refrigeret factum eſſe ſtulte aſſerit, duaſque illi infrigidationes neceſſarias ponit. Sed quidem patet tale artificium vt ſubminiſtret vitam & ſpiritum viuo igni molendinoque animato datum eſſe.

Quapropter liquet motus neceſſarios magis, intermitti poſſe

minus: indicium quod calor omnia operetur, qui ſibi ne queat imperare contrà ſe, quodque princeps ſit, & non organum. At quidem bene intermittere, & retinere motum brachiorum & pedum poſſe quando libet: propterea quod huiuſmodi motus non fit ad ipſius inſtaurationem immediate, ſed ſectandi gratia commoda, fugiendique incommoda, & quod ſtatuam animatam quieſcere oporteat, ne diſſoluatur. Itaque prouidit ſpiritus ſibi; vt ſemper moueatur, & corpori ne moueatur, niſi quatenus ſibi opus eſt; non magis. Hinc incuſandus videtur Gal. valde, quod cerebro per ſe immobili tribuat vim motricem, non autem mobiliſſimo ſpiritui. At dicat quæſo Gal. cur natura cerebrum finxit molle, duaſque in occipite ex illo aulas ædificauit ſpatioſas, vnam vero in poſteriori ſyncipite; & vnam in medio paulo inferiorem, vbi tot complexæ arteriæ formant quaſi rete; quod agitatum emittit ſpiritus multos reficientes vniuerſitatem: eſtque ſicut menſa capitis, in cænaculo inferiori, veluti anteriores ſunt aulæ regiæ, in quibus ſpatiatur: Poſterior vero eſt ſacellum & ſtudiolum, vbi conſilio & contemplationi ſe abdit; & ne ſit ab oſſe illi moleſtia, parietes, ſic molles fabricauit? Aliud reſpondere non poteſt, niſi quod nos, & fateri, cerebrum eſſe domicilium animæ, & non animam animatorum.

CAPVT X.

Ex concoctione, nutritione, augmento & decremento, ſpiritum eſſe animam: operarique vt principale agens, nec poſſe ab anima regi, niſi ipſe ſentiat præceptum.

NVlli dubium concoctionem in ventriculo fieri, deinde in iecore perfici; & per venas diſtribui, & in particulis ad quas fertur abſolui & coaleſcere: ſucciq; partem in corde flatu ſpiritari: & delatum arteriis corpus viuificare, & in crebro vniuerſitatem reficere. Cum autem hos omnes actus operetur calor; quis neget illum animam eſſe? Imo Deus confirmat (Geneſ. 9. c.) dicens ad Noe, ne veſcatur ſanguine animalium, *Quoniam ſanguis* (inquit) *illorum pro anima eſt*; quaſi aperte dicens, ſpiritus vitæ ſeu motabilis, vt alibi dicit, qui in ſanguine & de ſanguine fiunt, eſſe brutorum animam. Et inter Entia cuncta comperimus ignem fere vnum deuorare, nutriri, & augeri. Concoctrix ergo

vis ac nutrix ab eo eſt. At Ariſtot. (2. de anima. & 1.) è contra ait ignē deuorare abſque modo; & quot appoſueris ligna comburere in infinitum, animal vero cum modo certo coquere & ad certam determinatámque quantitatem creſcere. Ergo calor eſt animæ inſtrumentum, ait, ab ipſa modificatum. Cui reſpondeo non poſſe docere, quomodo inſenſatus calor ab anima regitur. Item ignem robuſtum robuſte deuorare, ignem vero animalis imminutum blandúmque eſſe, & calefacere quidem ſemper & coquere ſicut ignis, ſed iuxta proportionem. Nec poſſe ampliùs augeri animal, quoniam auctus calor eius partes plures tandem exhalare facit de ſubſtantia corporis, quam in ipſam de cibo conuertit, & tunc fieri decrementum, ſicuti in pueritia ſit augmentum, quoniam tunc blandus eſt calor, & æque fundit ac belle cibum inſuetum, & non adeo calefacit corpus, quod multum exhalet, ſed plus illi aggenerat quam tollit.

Poſtmodum in iuuentute creſcente calore, corpus aliquanto magis caleſcit & exſiccatur, & color non eſt vt prius, albus, nec caro tam mollis; abſcedente tenuitate, quæ ſui miſtione mollitiem & candorem faciebat. Veruntamen creſcit ſemper, dum calor plus addere poteſt, quam reſoluere, & in roboris perueniens ſtatum, qui homini eſſe ſolet in 25. anno fere, tantum educit, quantum inducit ſubſtantiæ; ideóque machina ceſſat creſcere. Sed cum maxime auctus fuerit deinde calor, plus exhalare de corpore facit, quam eidem ingeri. Itemque corpus induratur magis, nec proinde tranſitum ſuccis nutrientibus dat, & calor auctus reſoluit ſpiritus plures; remanentes verò nequeunt bene fundere, diſtribuere, & nutrire. Itaque curuatur corpus, criſpatúrque deficiente ſucco, & calor propria actione imminutus remanet in excrementis, & ſuo albore albefacit pilos, qui prius à multo calore adurebantur & nigreſcebant, ipſo cum alba tenuitate exhalante, & faciem materiæ atram manifeſtante: Tandem paulatim nutritio perditur, & ſpiritus exhalat deficitque, ſicut lucernæ flamma deficiente oleo, quo nutriebatur; & tandem totus, qui remanet ſpiritus exilis exiguúſque exhalat, & ſecum mens à DEO nobis indita, & remanet corpus carbo extinctus aut lychnus concrematus. Hæc autem mors animalis abſque dolore fit, cui ſimilis eſt per Phtyſin; cæteræ vero cum dolore. Nam aut inflammatio deſtruit organa, aut cruditas implet vaſa, aut diſtillatio ſuffocat; ſpiritúſque qui in qualibet fibra carnis, & ſanguinis & neruoſitatis viuit, violenter eradicatur de ſuo habitaculo, quia multus eſt, multóque humore irretitus, paſtúſque. Quare videat Ariſtotel. quod ſicut incendium ligni & lucernæ deficit ſeipſo, ita animalis vita: Et ſicut ille vrit calor, ita & iſte pro rata; & ſicut ille vento vel humore nimio perimitur, aut fracto vaſe, ita & iſte.

Quod autem dicunt quidam Medici, quod calor natiuus non vrit

ſubiectum deficiente alimento, repugnat experimento inceſſabili: & vt in Metap. probauimus, licet illato appetitu conſeruet animatam ſtatuam: tamen innato ſemper ad cognata cæleſtia corpora exhalat.

CAPVT XI.

Diuerſos modos ſentiendi ſignificandique, oſtendere vnicum ſenſum in omni re.

RES, quæ non tangit nec mouet nos, nil ſentitur. Quæ procul ſunt à nobis valde, nec vnquam appropinquarunt; & quæ corporeo tactu communi nobiſcum carent, dicuntur ignotæ prorſus. At ſi quo pacto ſimiles ſunt rebus, quæ nos tetigerunt, per ſimilitudinem à nobis agnoſcuntur. Hoc nos vocamus ſentire in ſimili: alij autem vocant diſcurſum; quoniam à ſimili ad ſimile aliud ſpiritus mouetur cognoſcendo: Quando vero notæ fuerunt atque perdita notitia inſtauratur videndo quid ſimile excitans notitiam ſopitam, hoc vocamus reſentire; alij reminiſcentiam. At cum rem nunquam in rerum natura viſam ſentimus veluti montem aureum, aut centimanum aut Acephalum: Hic nobis vocatur ſenſus complicatus aut diſiunctus. Aliis vero imaginatio. Poteſt quidem ſic ſentire ſpiritus, quia natura paſſibilis eſt mobiliſque ſicut aër, ita quod remanet in ea affectus mouentium obiectorum, Sicuti in aëre & in aqua cernimus. Ipſéque poſtea copulans diuerſorum obiectorũ motiones diuerſas, diuerſa componit ſenſibilia ſimul; aut diuidendo eundem motum, facit imaginem truncam & compoſitam vt libet, & diuerſis ex cauſis: in ſomno fiunt magis præter voluntatem, aliunde excitatis motibus ſopitis diuerſorum. Hic deceptio fit: ſi enim credit ſpiritus has imagines veras eſſe, vt in ſomno, falſus eſt; aut ſi verum repræſentare putat, vt in vigilia, mendax eſt. Veritas enim eſt ipſa rei Entitas. At tunc cognitor verus eſt, cum eas cognoſcit, ſicut ſunt, falſus autem quando ſicuti non ſunt. Sed in mundo non eſt falſitas & mendacium, quoniam res eſt omnis, ſicut eſt ſibi, non autem nobis. Quando multa ſimilia ſentit ſpiritus, quoniam ab illis conſimili immutatur modo, vnóque: apprehendit ea multa quaſi vnum, ac nomen vnum imponit commune illis omnibus. Dum enim vult aliis rem ſignificare quam ſentit, coactus eſt fingere in aëre reſpirato ſimilitudinem illius rei motibus in aëre ſonantibus, quas reflectit in varias figuras, prout vario modo afficitur à rebus, quas ſentit, itaq; primi locutores ex accepta paſſione formarunt nomina: & Græcus dixit

τύπτω, à ligni percuſſione: & Romanus verbero, à loro vibrato, & nos Batto & Botta, ab ictu boante; At quoniam variæ Nationes vario afficiuntur modo, & varium modum exprimendi aëris habent; Nam Germani impetu quodam, frigore retrudente ſpiritum, eloquuntur; idcirco multas conſonantes pronuntiant literas; Veneti liquidas vocaléſque multas, quia ſolum liquidum incolunt: Hiſpani prolixas voces vocalibus & ſibilantibus ſpiritibus ex calore & acumine regionis: Itali in medio climate mediocres ſunt inter vtraſque: At antequam Sol ita telluri propinquus fieret, multis conſonantibus latine enunciabant.

Quapropter (vt dicebam) ſimilia multa vno exprimit nomine, vt Petrum & Paulum, ſingulóſque cæteros, dicit hominem: Omnia corpora dura frangibilia, lapidem; flexibilia metallum. Itaque nomina inuenit omnibus communiſſima, ac minus communia multis; & particularia ſingulis: quoniam enim res ſunt omnes, dixit, Ens; itidem quoniam eædem res, quæ ſimili modo ipſum mouent, etiam diſſimili ſimul mouent: notauit quoque diſſimilitudinem illam nominibus diſſimilibus & differentialibus, & dixit Ens corporeum & incorporeum, & viuentia & non viuentia; ſenſitiuũ & vegetans, rationale, irrationale; Indiuiduis vero vltimas differentias appoſuit, Petrum & Paulum, &c. Porro huiuſmodi cogitationes omnes, in rerũ naturis eſſe oportet. Calor enim non hoc vnum modo frigus cognoſcit, ſed ex hoc vno omnia alia frigora ſimilia: Hoc autem eſt diſcurſus. Equus quoque non hoc vnum hordeum nouit, aut vnum modo equum: ſed omnes ſimiles notis viſiſque, equos eſſe dicit: ſed etiam inter Entia ſimilitudines norunt & differentias; illáque Entia ſapientiora ſunt, quæ melius diſtinguere ac componere norunt abſque errore: Hoc eſt non copulando res diuiſas; ſicut qui diceret, aſinus eſt homo, aut mõs eſt aureus: nec diuidendo vnitas, vt dicens, lux non eſt candida, ſol non eſt calidus; ignis non ſentit. Inter res, communis mutuáque ſignificatio reperitur, quæ tactu fit: Sic tangens aër alium aërem, illius affectum ſentit, quoniam mouetur ab illo moto, aut frigeſcit ab illo frigefacto, aut caleſcit: Et ſtellæ, altera alteri radios mittens, communicant cognitiones.

Nos autem craſſa mole & carcere clauſo corporis, neceſſe habemus aërem verberare, qui animales conceptioness deferat, & conuentionem habere cum aliis, qui nos audiunt, quod quando verbero aërem taliter, rem talem dicere volo, quando aliter, aliam. Idcirco qui regionis linguam ignorat, quæ etiam continuo variatur variatione Solis, deſcendentis continuo, & nationum commiſtione, ſicut veſtitus variatur, & ritus, nequit intelligere, niſi voces omnibus naturales, hoc eſt riſum, planctum, dolorem conſimiliter, & manifeſtationem demum rei communis cunctis; quas ob res

debilis

debilis eſt animi & parum ſyllogizantis, putare res ſeſe mutuo non ſentire, propterea quod non loquuntur: cum loquela ſit ſignificationis modus impeditus, tardúſque longe magis, quam ſignificatio rerum expeditarum à craſſitie corpulenta. Sicuti Angeli & Dæmones, qui ſubito mutuos percipiunt conceptus, & dum nos voce figuramus vnum, ipſi ſignant mille, & quo velocior eſt ſcriptura, quam ſculptura; & verbum quam ſcriptura, & cognitio quam verbum; eo velocior & longe magis eſt ipſorum ſignificatio; Igitur quoniam Entia omnia & mutuo tanguntur, & non tactæ res ſimiles ſunt tactis, omnes ſentiuntur mutuo vel præſentia vel ſimilitudine: & perſimile ſentire diſcurſus eſt; ſenſus anticipatus eſt memoria. reſentire vero reminiſcentia; ſentire ſimilia multa, vt vnum, intelligentia. Sed hoc nomen appropriatum deinde fuit humanæ menti, ſicut & diſcurſus, qui & ratio; & nomen ſpiritus, qui ventorum eſt, Deo, Angeliſque tributum eſt, quoniam ab his ſimilibus ſaltem in eo, quod non viſuntur, illos intelligimus quoquo modo: Verum abſtinendum eſt à dicendo, quod res diſcurſu & intellectu polleant, vt homo, cui propriè inſunt vel appropriatè. Rebus cæteris vmbratiliter & paſſibiliter pro modulo ſuo. At venti nomen ſpiritus adhuc non amiſerunt: licet animabus appropriatum. Suo ergo modulo dicemus res ſentire, reſentire, exiſtimare, & tranſcurrere & perſpicere & ſapere analogicè. Imaginatio enim eſt copulatio vel diſiunctio motuum omnibus conueniens; aut diſcurſus in rem incorpoream per ſimulachrum corporeum, quod eſt ſentire in ſimili: Hinc eluceſcit genera eſſe communitates aliarum communitatum; ſpecies verò, communitates indiuiduorum, indiuidua verò, quæ diuidi nequeunt neque multiplicari in plura, ſed mouent modo vno proprio ſolóque, quoniam & diuiſa ſunt ab aliis.

Capvt XII.

Omnes ſenſus eſſe tactus: at ſenſoria & ſentiendi modos differre.

ANimalis machina vniuerſa ſenſu tactus donata eſt; Res enim omnes in mundo tangendo ſentiunt. Fit enim per actionem obiecti ſenſibilis in virtutem ſenſitiuam. Actio autem & paſſio non fit, niſi tangendo. vt etiam Ariſt. & philoſophi omnes fatentur. At aliis in partibus alios ſentiendi modos obtinet; qui tamen omnes tactiones ſunt; quotque modis à rebus tangi moueríque poteſt, tot ſentiendi organa inſunt: Quoniam non omnium rerum præſertim languidarum tangentium carnem & corium, vires intrinſecas percipit animal: nec prodeſt illi omnes tangere penitus: multæ enim pungunt, frangúntque machinam, vt ſpinæ & lapides, aut diſſoluunt, deſtruúntque, vt ignis: Idcirco inſtrumenta data ſunt illi, & ſentiendi res languidas, quæ communi tactu non percipiuntur, ſed interius admiſſæ ſentiri poſſunt; & inſtrumenta quoque ſentiendi procul res, nocere potentes, ſi cominus moueant. Priorum gratia ſunt nares & lingua. Poſteriorum oculi & aures. totque organa ſunt, quot res modique communicandæ. Nam aut à rebus in animal motus manat, quo afficiunt aërem, & huius percipiendi gratia ſunt aures; aut lux qua illuſtratæ ſunt, & quam afficiunt, & huius gratia ſunt oculi; Cæteræ res vſui applicandæ, ignotum eſt, num proficiant animali eas tangenti: Nam piper tactu eſt frigidum, & lilium oculo ſuaue ac nobile: ſed naſus & lingua piperis calorem perſentiunt: at quia decipitur ſpiritus in naſo, lilium vtile putando ex odore: lingua mox per ſaporem examinando inuenit eſſe noxium. Interdum linguæ non diſplicent carnes prauæ, quas naſus reſpuit, putentes comperiens. Itaque talia ſenſoria non ſunt, niſi Veneris & famis: Sed iudicium in his modo videtur reſidere, quoniam à rebus aliud non manat, niſi lux motus, vapor, ſubſtantia, & actio, ex quibus iudicamus.

Procul dubio guſtus, tactus eſt intrinſecus ſagaciorque, nam & tangendo fit. In lingua apparent pori multi admittentes ad ſentientem ſpiritum cibi ſubſtantiam: quæ ſi bene afficit, proficua toti corpori æſtimatur: non enim tenuiorem portionem, quæ ſæpiſſime vtilis iucundáque eſt, ſicuti naſus, ſpiritus linguæ ſentit, ſed etiam craſſiorem tenuiori mixtam, eiuſque natiuum calorem, vnde ſcit aptane ſit,

non ſolum nutiendo ſpiritui, vt tenuis, ſed etiam ſanguini & carni & vaſibus; ſentit etiam lingua naturam rei extrinſecam; Nam & calorem ferculi extrinſecum ſentit, nedum intrinſecum, qui eſt ſapor, & vini frigus extraneum, & natiuum calorem. At cum extraneum frigus calorve robuſtus eſt, ſicut in glaciato vino, & feruenti ferculo, non poteſt ſaporem obtectum ſentire ſpritus præuentus robore frigoris vinum extrinſecus occupantis: ſicut nec viſus ſtellas, præoccupatus à ſolis luce robuſtiori. Ex quo patet etiam per immutationem fieri ſenſum, & non per informationem, cum nulla forma ſit ſapor, niſi calor in mole communicatus. Etiam tangendo odoratus ſentit. Ipſe enim odor tenuis ſubſtantia eſt omnibus exhalans ex rebus; quoniam omnes calidæ ſunt, poriſque ſparſæ à calore actis in cœlum exhalante: idcirco naſus deorſum ſpectat, & intra ipſum ſpongia extat oſſea, quo ſpiritus ex cerebro per neruiculos duos deſcendit vaporémque tangit; Sique ab hoc ſentit ſe grauari & robore vinci, iudicat fœtidum, inimicúmque: ſi vero roborari augerique, quoniam tenuis eſt blandúſque, aptus verti in ipſum, iudicat odorem eſſe bonum, eóque reficitur. atqui odore nutriri ſpiritus, notum eſt. Nam laſſus à labore & ieiunio homo, odore ſubito reſipiſcit, viuificatúrque, & quaſi inſtauratur. Et Democritus tres ex odore panis calidi ſuper vixit dies. Odor vini & carnis aſſatæ, famelicum recreat: & Hippocr. ijs vtitur in ſyncope affectis. Coqui autem & Aromatarij, odore rerum quas tractant quaſi ſemper ſaturi, eas in cibum minus cupiunt. Non tamen inquam odore nutriri carnem & ſanguinem, ſed ſpiritus tantum, liquores autem & ſoliditates illis conuenire. Vapores autem aquæ & rerum languidarum, quia prope nihil afficiunt ſpiritum in obtuſo naſo, non videntur eſſe odores, vt ſunt canibus acutis, ſicut nec motus aëris videtur eſſe motus, quoniam nobis non ſentitur obtuſioribus aut calidioribus & mobilioribus: Similiter & auditus tactus eſt, in centro autem auris tympanũ aëre plenum terminat neruum; cui de foris malleolus ſuperaſtat, extrorſum vero porrigitur membrana & cartilago caua, colligens motiones aëris, qui percutit malleum, & per ipſum tympanum, & per hoc ſpiritum intercluſum, ea ratione ne exhalet, nec facile afficiatur ab intrantibus rebus: ipſeque ſpiritus commotus cognoſcit ex vſu corpus mobile, quo ipſe mouetur & vocatur & mulcetur & exaſperatur.

Tactus ergo eſt auditus, & non per ſimulachrum informans, ſed afficiente & mouente obiecto: idcirco motus graues corpulentarum rerum, aërem multum mouentium & aurem quaſi late, diſplicent, quoniam ipſum concutiunt ad capitis concauum. At acuti gracilium rerum ſtridentium, verberantium aërem quaſi punctim, modica materia inflexa, reflexáque pungunt ſpiritum, diuidunt, lacerántque, ideóque diſplicent: ſoni autem compoſiti grauibus acu-

tiſque veluti ex fidibus craſſis, ſubtilibúſque in cythara, mouent alij multum, alij parum aëris, & temperantur & Muſicam efficiunt ſpiritui amicam. Ipſe enim natura mobilis gaudet inuitari ad motum, propriam operationem, qua ventilatur, purgatur, augetúrque, & dilatatur in ſua ſymmetria. Vbi autem ſoni ſunt acuti alij, alij vero graues, ad eius conditionem temperantur, ideóque menſura humanæ muſicæ ex Pulſus humani menſura adſumpta eſt: At exiſtimandum omnes voces mundanas ſimul melodiam eſſe mundo toti; itaque maxime motus cœli: cum omnis ſonus ſit motus vt perceptus: ſed aliis generibus rerum alia harmonia congruit.

Sicut & in genere hominum craſſiores ſp[illegible] appetunt carnes pingues, linguam craſſam ipſorum dilatantes ad metrum ipſorum: Acutiores macram; mediocres ex his compoſitam. Sic acetum cum oleo harmoniam affert guſtui, ſicut graues acutique ſoni auditui: quoniam vero eadem res aliis animalibus dulcis eſt, aliis amara; nam & in genere hominum pueri dulciora cupiunt, blando ſpiritu præditi: Senes ſubamareſcentia, quoniam temperies & calor ſimilis ineſt illis. Capris geniſta dulcis eſt, nobis amara: idem de vocibus exiſtimandum eſt. Aſinus enim aſini voce iucundatur, homo hominis, &c. Fœtet nobis ſtercus noſtrum, quia à ſpiritu noſtro reijcitur, & tamen olet canibus & porcis, ſicut nobis excrementa quarundam feruſcularum ſunt muſcus & Zebettum. At in mundo non eſt odor, neque fœtor, nec dulcedo, nec amaritudo, nec ſymphonia, nec cacophonia, niſi particularium reſpectu rerum, quæ aliis ſeruantur, aliis deſtruuntur, toti autem mundo cui res omnes ſunt partes, omnes ſunt harmonia, odor, dulcedo. Vtque melius intelligas ſpiritum mobilem contactum audire, nec rem incorpoream, vt Ariſt. opinatur, Pythagoras Muſica furioſos ſanauit, Damon ebrios, Timotheus, quemcunque voluiſſet affectũm, inducebat, Orpheus contemplationem, Terpander ſurdis reparauit auditum, Muſica lydia effœminabat homines; Lacedemonica maſculeſcebat; alij caſtitatem conciliabant. Hæc autem propterea fiunt, quod ſpiritus ita operatur, ſicut mouetur ficitúrq. Nõ enim ſaltitamus in chorea gagliardã, alio ſonãte ſpagnolettam: ſicut enim ſpiritus mouetur ita mouet corpus, vt calefacta calefaciũt, & frigida frigefaciunt. Ergo furioſum, cui motiones ſunt perturbatæ ingeneratis fuliginibus, aut nimio æſtu, aut imaginatiua feruente aliunde, prudens artifex ſono mulcet ſpoliátque aliis furentibus motibus, quæ cogitatus ſunt, cogitque frui muſico ſono. Ideóque ſæpe melodia ſomnum inducit, quoniam totus ſpiritus in caput colligitur, ad fruendum blando ſono, cæterúmque corpus motu ſenſuque ita vacuatur. ſic etiam ſpiritus vapore vini oppreſſi ventilantur & alleuiantur. Et ſoni aſperi mouent ad iram idcirco in bello

eis vtimur; ſuaues verò mulcent ad contemplationem, ideo in templo habent vſum: titillantes autem ad luxuriam & mollitiem; quibus vtuntur amantes. Idcirco Reſpub. omnis cantus curam habet. Cantu honoratur Deus eleuando ſpiritum, animamque illi inditam, ad contemplandum. Et mutato cantu mores & reſp. mutatur; Vnde Legiſlatores & quicunque ſectas introducunt etiam falſas, cantum mutant, vt mores ſuis aſſuefaciant. præceptis, & ab antiquis abſtrahant. Sed & diuinus Dauid Saulem cantando placabat & ſono. Et Eliſæus prophetare dum minus poteſt, cytharam ſibi pulſari fecit, qua attenuauit ſpiritus, & à turbationibus præſentibus alienauit, coegitque miniſtrare menti in ipſis reſidenti, vt ad contemplationem eleuetur, recipiatque notiones à prima ſapientia Dei, à qua omnis ſapientia deriuatur; ſicut lux à ſole.

Tandem & viſionem eſſe tactum inde patet, quod eas modo res illuſtratas videmus, quæ recta ad nos lucem reflectunt. At ſi ipſæ manent in tenebris, nos vero in luce, nil videmus: quoniam ab ipſis in oculum noſtrum non reſilit lux: Ergo lux à rebus tincta venit, & tranſit per corneam tranſpicuam, & per aqueum humorem & tangit ſpiritum lucidum qui eſt in criſtallino, itaque ipſe tinctus ea diſcernit viſibile obiectũ quo ea tingebatur. Lucem ſimpliciſſimã omnibus affici reb. & colorari & reflecti & multiplicari, notũ eſt cunctis. Viſio ergo tact⁹ eſt lucis tinctæ à rebus illuſtratis. Hinc exiſtimare licet, lucẽ, quæ viuus apparenſque eſt calor, omnia probe ſentire, quoniam omnibus afficitur: itaque alios afficit & ſentire proinde facit. Sol quoque & ſtellæ ſenſitiuiſſimæ iudicari debent. Cum ergo viſum ſit, ſenſationem omnem contactu fieri; diuerſitatem autem tangendi ſuboriri ex craſſitie & gracilitate organorum ob id formatorum, de Senſu Rerum omnium iudicare conſequenter poſſumus: Reſque duriſſimas ſicut lapides modicum ſentire, quoniam pati modice ſunt aptæ; habereque ſenſum ſimilem oſſibus animalium. Plantas vero præſtantiori vigere ſenſu ſimili ſenſui carnis; Liquores autem adhuc maiori, ſimilique ſanguineo. Ventum autem & aërem facilime ſentire, ſicuti ſpiritus animalis. Nec modo tangendo cominus grandi percuſſione, ſed eminus & leui ſentire ob paſſibilitatem, quæ ipſis motis communicatur, & ob lucis affectiones, in eis inſperſæ ac tinctæ figuris coloribuſque cunctis; Lucem vero caloremque maxime ſenſitiua entium omnium, quæ in mundo ſunt, præ omnibus exiſtimare conuenit. Mundum quoque ſentire totum, alibi magis, alibi minus, ſicuti animal in variis partibus vario ſentire modo declaratum eſt. Quoniam enim tactus non ſentit natiuum piperis calorem, vt naſus; nec naſus amaram lilij ſubſtantiam vt lingua; nec lingua ſonum aëris vt auris; nec auris lucem vt oculus, quoniam ſpiritus ſub corticibus tranſpicuis officitur magis, quam ſub opacis, & ſub gracilibus magis, quam

ſub obtuſis, magiſque in magis perforatis, quam in occluſis; illæ enim admittunt magis res ſenſibiles quam iſtæ: ſequitur idem eſſe de mundi partibus ferendum iudicium, proportionaliter.

Capvt XIII.

Oſſa, pilos, neruos, ſanguinem & ſpiritum, omnes ſentire contra Ariſtotelem.

SEd quæcunque præcedentibus duobus capitulis declarauimus, nunc cum ſchola Peripatetica, quæ hodierno tempore regnat, diſputanda ſunt: incipiamque ab vltimis.

Oſſa ſenſus expertia prorſus eſſe contendunt omnes: Nam quando perforatur caluaria à medico, quid morbi intra curaturo, non dolet æger: nec in cæterorum oſſium fracturis, niſi ob carnem adnatam, quę dolet. Pari modo dum vngues & capillos reſecamus, nil dolemus: Et ſi quis tangat ſanguinem exſilientem de vena, quin & ſpiritum, non videtur ſentire. Nec cerebrum ferro tactum ſentit. Ergo falſum eſt omnes partes animalis ſentire; ita etiam partes mundi. Item ſi aër & ignis ſentirent eſſent animalia: quod nemo ſanus audet dicere. Item quæ non habent organa ſenſoria nequaquam ſentire dici poſſunt, nec animalia eſſe.

Reſpondeo obiter nunc quod inferius examinandum erit, has omnes res ſentire. Ad animam autem (qui eſt ſpiritus liber habitans in craſſa mole diſcurrens intro foraſque ad communis vitæ vſum organizata) non omnes paſſiones omnium partium peruenire, vel non ita valenter: niſi eas quæ per medium communicatiuum attingunt. Hoc autem non comperiri in partibus nimis liquidis nimiſque tenuibus; nec in duris nimis, ſed in mollibus palam fieri: Nam cum tangitur caro, plena calore ac ſpiritu irretito, patitur, & per corium & neruos & fibras communicatur ſenſus vſque ad vniuerſitatem ſpirituum liberorum in capite habitantem: Atque ita ſpiritus iudicat declinandum aut ſectandum, quod tangit.

Propterea que quando quis dormit, aut attente quid contemplatur, non modo non ſentit in capillis, & veſtibus cæſis, ſed nec in carne punctus ſaltem leuiter: non quia caro non ſentit, cum & præfati Philoſophi non negent, ſed bene quidem ſentit; ſed quia ſua paſſio, tunc

non communicatur ſpiritui principali in penetralibus collecto ad cōtemplandum, aut pugnandum contra vapores cibi aut contra morbum, aut ad nutritionis opera. Imò etiam in certamine vulnerati non ſentiunt vulnera; imò nec pugionem relictum in vulnere animaduertunt, niſi poſt pugnam, cum ſpiritus iratus in hoſtem, ad ſui curam reuertitur. Hinc eluceſcit ſpiritum animalem intermanere in corpore, ſicut nauta in naui, aut Dominus in ſuo palatio, & populus in ciuitate; non autem ſicut forma informans æqualiter totum compoſitum vt placet Ariſtot. Si enim ita eſſet æque ſentiret in omni parte nec ſeiungi poſſet à partibus exterioribus, & interiora ingredi, & non ſentire in ſingulis particulis à ſe informatis. Sicut calor ignis forma, non poteſt ab igne diſcedere, nec ab aliqua eius parte, quin totus, vel illa pars extincta mortuaque remaneat. Sed de hoc inferius.

Ita igitur quando ſpiritus exhalat, aut ſanguis effluit, ſi tangantur, non communicant illam tactionem ſpiritui & ſanguini intus remanentibus: motus enim deficit priuſquam ad illos regrediatur, ob diſgregabilitatem & diſiunctionem, quam facile patiuntur liquor & ſpiritus: Sicut dum tangitur aqua, per canalem de fonte effluens, non reuertitur eiuſmodi motio impreſſa intra fontem. At bene quando aqua intra concham continetur ſi tangas portionem vnam, omnes coagitantur manifeſtis circulationibus. Itaque quando inter venas malignus humor oritur, ſanguis & ſpiritus accenduntur, ad eius expulſionem; & adeo agitantur, quod ille humor vel vapor caleſcit, attenuatur, & extra venas propellitur, per rimulas interfibrales. Et hæc pugna eſt febris; quæ tantopere prodeſt, victorioſis remanentibus ſanguine & ſpiritu: nocet autem ſi vincantur: non quia ipſa accenſio nocet, quæ febris appellatur, ſed quia ſuperare morbum non potuit. Fieri etiam poteſt, quod in magno vulnere attactus ſanguis ſentiat parum, quoniam ſpiritus iam ad interiora fugit: Et hunc exiguum ſenſum ſanguinis dolor plagæ ſuperet, tegatque; ſicut calor ferculi ſaporem occultat. Patet tamen in membrorum paſſionibus ſubito ſanguinem & ſpiritum accurrere in auxilium: & in timoribus interiora petere in ſalutem. Et humores inuicem pugnare notum eſt Medicis. Idem dicimus de ſputo, aliiſque humoribus, quorum paſſio ad principem non pertingit ſpiritum. Sed conſpiciuntur in terram iacti aſſumere figuram ſphæricam, qua ſeſe tuentur ab aëre, aliiſque ab aduerſis Entibus, & extendi vt coniungantur, & ſimul ſeruentur, vt mox docebimus. Ratione oppoſita os non videtur ſentire; nam cum durum ſit, tenuitatis ſpiritalis expers, ſenſum exiguum habet: & cum frangitur motus & paſſio non perambulat, nec communicatur per duritiem vſque ad principem ſpiritum. Ita quando lignum ingens ſecatur durumque, qui eius extremam partem manu tangit, non ſentit

eiuſmodi motum. At tangendo flexibilem virgam, ſtatim motus eius ad extremitatem fertur. Quapropter patitur os fractum afflictionem, magis autem caro cui plus ſpiritus & tenuitatis ineſt. Senſus autem in paſſibilitate conſiſtit, quæ eſt ſocia tenuitatis. Itaque illa parua oſſis afflictio, in ſuo principio eſt & non excurrit. Quod autem ſentiat os, patet ex nutritione & augmento illius. Non enim nutritur quippiam, niſi ad ſe ſimile nutrimentum trahendo: Sentit ergo ſimile; quoniam ipſum noſcit & trahit. Dentes autem manifeſtè ſentiunt & trahunt calorem & frigus & ſaporem, nil gingiuas tangendo, ſed ſolum extremitatem dentis, ne dicas carnis adnatæ eſſe ſenſum. Item rebus acidis obſtupeſcunt dentes & non gingiuæ, & manifeſto ſenſu tunc patiuntur. Et Galenus ſenſum dentium fatetur, ac cæterorum oſſium tantillum. Quibus Hippocrates inimicum eſſe frigus dixit, ſicut & neruis & medullæ: nulla autem inimicitia ſine ſenſu læſionis fit. Falſum eſt quoque cerebrum expers eſſe ſenſus; Nam Galenus illud rationale, nedum ſenſitiuum facit: ſed eius mollities paſſioni cedit, ideoque videtur minus ſentire, & cum ſit anaclinterium ſpiritus, conueniebat ei huiuſmodi ſenſus obtuſus, ne perpetuo ipſum affligeret. Neruos ſentire nemo negat pręter Ariſtotel. eo quod terreſtres valde ſint; Ergo ex hoc concedit ſenſum rebus aëreis, igneiſque velit, nolit. Ac quidem ſolidi valde facti ſunt nerui vt tenuiſſimum ſpiritum, ne exhalet, retineant, paruoque ſenſu in ſubſtantia pollent, ſed omnis ſenſus grandis ipſorum eſt ab inhabitante ſpiritu: quod & Medici fatentur omnes.

Tandem ſentire pilos, nemo dubitet, cum nutriantur, & creſcant attrahendo ſimile; ſimiliter & vngues; ſed ipſorum paſſio non percurrit vſque ad ſpiritum. In loco enim vbi ſecantur duri ſunt, ſenſumque obtuſum habent, qui proximis ipſorummet portionibus nec diffunditur, quamuis in loco inciſionis exiguum quendam doloris ſenſum habeant: qui nobis communicatur non vt dolor, ſed ſicut ſenſatio ordinaria præter dolorem. Voluptas enim & dolor ſenſationes ſunt pluſquam ordinariæ. At igni appoſiti pili & vngues diffugiunt, conuoluuntur & curuantur & reſiliunt, patiendo valde. Et ex capillis vermes fieri vidimus, vt paulo ante narrauimus. Opificis ſummi hic prouidentiam collaudare conuenit, qui portionibus, vbi viuidus ſenſus nocebat, parum largitus eſt: Sicuti oſſibus, quæ totam machinam ſuſtinent; & pilis, vnguibus, & carnibus, quæ ipſam defendunt, & cuticulæ extremæ. Totum autem corium & neruos ſenſu miro donauit, celerique, ob neceſſitatem ſentiendi bona & mala; & exquiſitiſſimum ſenſum tandem redegit quaſdam in partes organicas, vbi modo opus erat. Aërem & ventum paſſibiles ſentienteſque valde fugacitate & mobilitate donauit, vt offenſiones vitarent; lapides vero duritie, & plantas cortice, prout vſui proprio cuiuſque ad mundum congruum

erat.

erat. Cætera inſpicite & admiramini ô mortales! Ad vltimum iam reſponſum erat hic, & in defens. quod non omne ſentiens debet dici Animal, niſi organis animaſticis ſit decoratum, & ſpiritu regente inhabitetur. Nec ſenſum eſſe organorum, cum hæc ſint viæ obiectorum ad ſentientem animam: ſed perceptionem ſenſibilis ex illata paſſione. quam omne patiens percipit vt quod iuuat, & quod nocet ſentiendo, conſeruari queat.

CAPVT XIV.

Poſitio Ariſtotelicorum de ſenſu, ſenſoriis & ſenſatione.

NOlunt Peripatetici omnem ſenſum eſſe tactum, ſed guſtum duntaxat confitentur: ponuntque ſenſus exteriores quinque, & animali tantum conuenire; Oſtenduntque ex obiectis diuerſis. Nam oculus colores tantum percipit; Auris ſonos: naſus odores: guſtus ſapores; Tactus qualitates tangibiles: Nec poteſt alterius alter ſentire obiectum: Sunt ergo diuerſæ res. Quod etiam inde patet, quoniam diuerſis ſunt affixi partibus organicis. Et quilibet ſenſus proprium informat ſenſorium, ſicut anima corpus totum; itaque plures formas partiales ponunt. Præterea ait Ariſtoteles, quod cum oculus omnes ſit percepturus colores, oportet illum nullis eſſe coloratum, alioquin eos percipere non poſſet; intus enim exiſtens prohibet extraneum. Sunt ergo ſicut cera omnino informis, vt poſſit formas recipere. Hinc adfirmat ſenſum nullum Ens actu eſſe, ſed puram potentiam paſſiuam, nullo modo actum. Ergo vt materia, quæ ideo eſt informis, vt omnes recipiat formas, eſtque pura potentia apta informari ſubſtantia, qualitate, quantitate, quia ipſa non eſt quid, nec quale, nec quantum. Ex quo poſtea deducit omnem vim ſenſitiuam eſſe incorpoream, quoniam corpora ſentit: Eſtque forma corporis, non corpus, alias eſſet informatum. Item fieri vult ſenſum per informationem, ita quod ſpecies formæque obiectorum deferuntur ad ipſas ſubſtantias ſenſitiuas, eaſque informant: & ſic ſentiri. Nulla enim res ſentiri poteſt, niſi illi fiat ſimilis ſentiens vis: non poteſt autem fieri ſimilis, niſi illius informetur forma: tactus enim vt calorem ſentiat, calefit, caloriſque ſuſcipit formam: Oculus vero formam viſibilis. Et quoniam hoc impoſſibile videtur, addit, formas eſſe incorporeas, & immaterialiter recipi in potentia ſentiente, ideoque ſenſum fieri cum voluptate, quoniam potentia recipit actum ſui perfectiuum, itaque perficitur. Ex quo ſentire paſſionem eſſe perfectiuam do-

cet, non autem corruptiuam. Sicut generatio & alteratio aliarum rerum. Ex hoc ſequitur, aut res nullas ſentire, quoniam ſunt res actu, & non potentia, vt ſentiens vis; & patiuntur corruptiua paſſione ſuæ formæ: Aut aliquem modum tactus rebus ineſſe, quoniam non ſunt puræ potentiæ, nec organa habent eiuſmodi potentiis informata.

CAPVT XV.

Non fieri ſenſationem informatione, nec perfectiua tantum paſſione, nec extare ſenſum agentem, nec ſenſum eſſe puram potentiam incorpoream. ſed Ens paßibile eorum quæ non eſt, & ſentiri mutatione modica & argumento.

TOT aſſertionum vna modò vera eſt: Non fieri ſenſationem niſi ſentiens vis ſimilitudine ſenſibilis afficiatur. Hanc autem actionem obiecti eſſe liquet: quandoquidem actio eſt propriæ ſimilitudinis effuſio ab agente in patiens. At illius informari forma, vt ſentire queat, ſtultum eſt dictu. Oporteret enim obiecti formam ſeparari ab eo, & ferri ad potentiam ſentientem; eique imprimi: Ex quo ſequitur, quod obiectum remaneret abſque propria forma; ſicut materia nuda: aut corrumperetur penitus. Et quod potentia ſentiens, cum primo informatur aliqua ſpecie, non poſſet aliud quippiam ſentire; vel ſi reciperet aliam formam ſenſibilem, corrumperetur ſentiens vis, quoniam eius forma, qua cum ſit vnum magis, quam ex materia & forma, Peripateticorum omnium teſtimonio, corrumpitur accedente noua forma. Omne autem Ens formam perdens, perditur. At reſpondent Peripatetici quidam venire ab obiecto ſimilitudinem formæ, non ipſam formam. Verum Ariſtoteles palam docet ita, dum per informationem facit ſenſationem, ſicuti fit compoſitum ex materia & forma, ſecundum quam poſtea agit; Et ſicut lignum informatur forma ignis, & poſtea ignit: ita potentia forma obiecti, vt poſtea per illam ſentiat obiectum. Item declarandum eſt illis, quis producit ſimilitudines has? quomodo lapis ſuam ſimilitudinem exuit, & tamen remanet lapis? Et quis eam de lapide extrahit? & quis defert ad ſentientem potentiam? & quis copulat? & vna ſuſcepta ſimilitudine quomodo poteſt aliorum ſenſibilium ſuſcipere? Præterea infinitæ virtutis eſſet lapis, qui inceſſanter infinita ſui ſimulacra ad infinitos oculos inceſſanter producit? Et ſi eſt informatio ſimilitudinum, quomodo ſimul pluribus formis albi & nigri oculus vel

potentia oculi indiuiſibilis informatur? Experientia quoque illis repugnat. Vt enim ignem ſentiamus non oportet totam formam ignis ſuſcipere: ſed ſufficit parum calefieri. Senſus ergo non fit informatione, ſed immutatione. Item cum pura paſſiuaque potentia ſit; non aget: quomodo ergo ſpoliat obiectum ſua forma aut ſimilitudine, ſeque veſtit illa? Hinc altercantur Peripatetici dicentes alij, ſenſum agentem reperiri (neſciunt autem intuſ-ne vel extra) qui formas è ſubiectis extrahit, & immateriales facit, & potentiæ copulat. Alij vero dicunt obiecti actum ſufficere ad mouendam potentiam. Illi quidem aperte mentiuntur. Nam in tactu palam ipſummet obiectum ſeipſum tactui imprimit, ſicut hæc penna ſcribit, & ſpina pungit, & calor calefacit, in tactum ſe intrudendo. Guſtabile quoque ipſum penetrat linguam: nec eſt qui illud ſua forma ſpoliet, ſed ipſummet cum tota ſua mole ingeritur linguæ & ſentitur. In odoratu quoque vapor ipſe penetrat, & per ſe exhalat ab obiecto calor cum tenui fumoſitate, mouetur que vſque ad narices, nullo agente ſenſu: niſi quis dicat ignem agentis ſenſus opera fumum facere. Ficta ergo res eſt ſenſus agens, & viſui tantum, audituique poſſet, cum mille tamen abſurditatibus, coaptari ea tantum ratione, quod procul ſentiri colores & ſoni videntur, & non cominus, quod ſuaſit Ariſtoteli ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non ſentiri: ſed ad ſenſationem requiri obiectum, potentiam, & debitam diſtantiam. Sed hoc mendacium eſt in omni ſenſu, quamuis in his duobus quid apparentiæ parum peritis habeat. Attamen ſonus ſuper au e ſentitur, & magis intus, vt pulex ibi agitatus. Digitus autem oculo ſuperpoſitus non videtur, quoniam non eſt obiectum, ſed lux tincta ipſo; quæ à digito opaco ſic appoſito tunc nulla reſilire poteſt. Sed ſi digitus lux eſſet, & oculos non deſtruens, ſuperpoſita bene videretur: vt cryſtallus & aqua natantium oculis videntur, quoniam lux in eis recipitur.

Quare tantum abeſt, vt ſenſibile non ſentiatur poſitum ſupra ſenſum, quòd totum oppoſitum eſt modo perpetuo verum. Cæterum ne horum ſenſuum obiecta læderent, quando præpotentia ſunt; & vt à longe percipiantur, vt mala bonaque præcaueantur & præcaptentur, conſultum eſt, vt à longe ſpiritus in his ſenſoriis præſentiret; ſed non abſque tactu reali: quem in auribus confitetur Ariſtoteles, reali ſono percuſſis: ſed negat in viſu. Sed illuminatus (inquit) aër actuatur, vt poſſit ſuſcipere ſpeciem viſibilem, quæ fertur ad oculum potentiæque viſiuæ copulatur, vt eius forma: vbi nullo pacto ſenſum agentem ponit; ſed opinioni ſecundæ fauet. At ita iners eſt ipſe & ſequaces, vt nunquam inuenire potuerint, quę ſit cauſa deferens ſpeciem viſibilem. Non enim illis lux eſt; cui nimirum hoc munus tantum mandant videlicet actuandi diaphanum aërem: Nec aër illis defert, cum non ſit actiuus expoliationis obiecti & veſtitionis potentiæ. Atqui ſi aër ad

oculum vſque deferat ſimulacrum,cum viſio fiat illis intromittendo, non dicunt,nec dicere valent,quæ ſit cauſa introducens illud intra tot oculi tunicas & humores;nec in quo humore viſiua potentia inſit,docent. Nec forma viſibilis actu id poſſit,vt Aphrod.putat. Quomodo enim lapidis forma ſtupida paſſiuaque potius quam actiua ſeipſam aut ſuum ſimulacrum emittat vſque ad oculum, introducatque: vbi ſane alteratio multiplex & lapidis & aëris & oculi, multa ab actiuitate requiritur. Minus inepte Plato & Galenus & Democritus: primus lucem,ſecundus ſpiritum,ex oculo emittunt,ad perſpiciendum viſibile obiectum. Tertius vero ſimulacra & ſpolia ex atomis componit,egredientia ex lapide & omni ex re vſque ad oculos penetrantia. Sed iſte confutatur,quoniam res dum videtur, ſpolia corporea emittens minueretur;item non recta modo ſed obliqua & quacunque fieret viſio via: Item ventis inflantibus aſportari ſimulacra corporea oporteret & nil videremus. Plato vero licet minus ignoranter loquatur,tamen non declarabit vnquam,quo pacto parua lux ſpiritus oculum habitantis, vſque ad ſidera,dum ea cernimus,porrigi queat: cum multæ luces ingentes à longe nimis venientes inſenſibiles fiant imminutione. Sed ipſe ſymbolum noſtræ lucis cum externa conflat,vt fiat viſio, nec tam procul feratur. Et ſic Ariſtotelis ratio contra eum inanis eſt,multoque minus alia,quod in oculo non ſit lux, quia cum aqua non eſt ignis. Spiritus enim lucidus eſt,& lux in aqua augetur,vt patet. Sed ſpecilla confutant Platonem. Nam appoſita oculis indicant lucem exteriorem intromitti,& in ſpecillis,aut augeri,aut oculo proportionari. Præterea neque recta tantum luce fieret viſio,ſed vndique: cum ſymbolum fiat in medio diſtantiæ. Galen. vero reprobatur eo,quod ſpiritus egreſſus ex oculo,non reuertitur,cum volatilis ſurſum ſemper ſit, ſicut omnis tenuitas. Præterea à ventis aliorſum pelleretur, vt non videat,nec regrediatur nuncius rei viſæ. Remanet ergo noſtra duntaxat ſententia; lucem obiectis tinctam ab eis reſilire, rectaque in oculos intrare, per tranſparentes membranas,& humores: Et ſpiritum lucidum mouere afficereque: Qui ſic ſentiens,ſibi tamen videtur foris rem videre,quoniam non niſi recta videri poteſt res,ex qua lux reflectitur, & per diſtantiam in aëre aut aqua intermedia multiplicatur: itaque menſuratur diſtantia ex conſuetudine lucibus in aëris atomis multiplicatis in pyramides multas: Et rem vbi eſt,foris intueri ſe putat,quoniam & lux videt,& communicant affectum ipſa & ſpiritus: ſicut aër ſonum ſentit & ſpiritui communicat illum & diſtantiam;vt alibi dicebamus. Velociſſime circumuoluitur oculi globus ita, vt nobis videamur videre montem magnum totum ſimul: qui tamen non videtur niſi oculum ad omnes eius partes velociter voluendo. Eadem velocitas in viſibili accenſo ſtylo facit apparere ignis circulum perfectum ſimul, cum tamen ignis non niſi in vno ipſius circuli puncto ſit ſemper. Ea-

dem apparentia fit moto viſu ac viſibili. Sententia igitur noſtra ſatisfacit omnibus argumentis, vt in Philoſophia probatum eſt. Ariſtotelica autem omnium eſt inſipientiſſima, neſciens, quod obiectis ſpolia extrahat innumerabilia & inceſſanter: & potentiam veſtiat, & quomodo potentiam inertem informet, aut quid ipſam extra organum educat, ad ſuſcipiendum obiectum ſimulachrum; aut quo introducatur. Non minus falſo opinatur ſenſum eſſe formam organi, quem tamen facit puram potentiam paſſiuam. Si autem per ſe eſt forma, ſed ſenſibilium gratia potentia; Ergo nil repugnat eſſe ipſum ens actu & actum: nec ipſum actum eſſe paſſiuum aliorum actuum. Sic & nos dicimus, omnem vim ſentientem, ſentire in quantum patitur: in quantum vero patitur non eſſe rem illam, quam patitur ſentitque, ſed aliam; quam aliam, hoc eſt ſeipſam ipſa non ſentit deforis ita per accidens, ſed per eſſentiam. Omnis enim res cognoſcit ſeipſam eſſe, & pugnat contra non eſſe, & amat ſe eſſe. Ergo ſeipſam per ſeipſam cognoſcit, abdita notitia, vt in 2. par. Metaph. lib. 1. oſtendi. Et D. Aug. & Henr. conteſtantur. Alias vero res non per ſe ipſas, ſed quatenus ipſa res ſentiens fit ſimilis illis rebus ſenſibilibus. Ergo ſentit illas, quatenus ſentit ſeipſam immutatam factámque illis ſimilem rebus, quæ non eſt. Hinc elucet arcanum ignotum Philoſophis, maxime vero Ariſtoteli. Quod Deus cum omnia ſit per eſſentiam eminenter, non recipit ſcientiam rerum à rebus, ſed per ſuam eſſentiam illas ſcit: propterea que non vileſcit res mortales ſciendo, intelligendóque, vt ipſe putat, non enim illas intuetur, niſi intuendo ſe cauſam, in qua relucent illæ & inde pendent: quoniam inuentor non diſcit à re inuenta: Sed imitatores diſcunt ex ea. Seipſum nouit ſpiritus abſque paſſione naturaliter: ipſe enim à ſe pati non poteſt, cum ſibi ſimillimus ſit, idemque: ſed illatæ paſſiones continuæ in cauſa ſunt, vt ipſe à ſe alienetur, vt proinde ſe ignorare videatur: Sed ex propriis operationibus & aliorum ſpirituum ſe recognoſcat, reflectendo in ſeipſum cognitionem paſſiuam extrinſecam quodam argumento. Ad rem redeuntes dicimus Ariſtoteli inſpiciendam fuiſſe lucem, quæ res actu exiſtens eſt, nec tamen non tingitur coloribus figuriſque rerum: Et aër, qui ens eſt tenue calidúmque & mobile; At omnem motionem recipit, vt calorem & frigus. Non ergo repugnat ſentienti virtuti eſſe rem actu; Et eas res recipere, quæ non exiſtit: minime autem ſimiles. Neque enim aërem ſpiritus ſibi ſimilem ſentit, abſque argumento dum mouetur æqualiter ac ipſe: nec videt, dum non craſſior ſit ipſo. Sed decipitur Ariſtoteles propterea quod putauit ſenſationem informatione fieri: quapropter ſi formam haberet res ſentiens non poſſet aliam formam abſque deſtructione recipere: Sicut terra non recipit formam ignis, niſi deſtruatur eſſe terræ. Hoc quidem verum eſt, quando fieret per informationem totalem

ipſa ſenſatio: ſed fit per immutationem modicam, quæ non remouet vim ſentientem ab eius forma prorſus, quia non totaliter immutat, ſed reconcinnat illi formam ſicut blandus calor motúſque ſpirituum perficiunt ſimilitudine: aut deturbat aliquantulum, ſicut febris, punctio, & frigus mediocre in ipſum agendo; Ex quo diſcit talia vitare obiecta. At quando penitus immutatur, primam amittit formam & illam obliuiſcitur & dediſcit, quoniam ab altera penitus eſt poſſeſſus. Ita lignum ſentit exiguum ignem, & robuſtum, ſed hunc doloroſa potius ſenſatione: tandem mutatatur in ipſum, nec amplius dolet, nec meminit ſe fuiſſe lignum. Sufficit ergo modica immutatio ad ſenſationem faciendam: ex illa enim tota virtus reliqua obiecti illius conſimilitudine cognoſcitur, non autem penitus; quoniam eſſet fieri illud. Quapropter videtur ſolus color ſuperficialis, & per illum corpus integrum diſcurſu noſcimus. Et ſolus ſonus percutientis, & ignis calor ſolus, & omnis rei quidem extrinſecum ſentimus, & intrinſeca argumentamur præterquam in guſtu: Omnis autem ſcientia conſiſtit in diſcurſu ad reliquum obiecti, ſenſui abſconditum. At angelo penetranti non celatur. Nam internum & externum rei patet illi. Decipitur etiam Ariſtoteles putans ſenſum paſſionem ſolummodo perfectiuam eſſe: Nam voluptuoſa & dolorifica fit, prout obiecta conſeruant deſtruúntque. Nec per accidens dolor fit, quatenus organum à vehementi ſenſibili deſtruitur. Nam & id dici poſſet de voluptate, quod ſcilicet fiat, quia perficitur organum: Sed quidem videtur doloris capax anima ſentiens, tunc etiam quando obiectum non mouet organum, ſed cogitando duntaxat, aut reminiſcendo animal iraſcitur, dolet & lætatur. Et in nobis hoc patet & in iumento, cum amiſerit pullum. Præterea fiunt contraria circa idem ſubiectum. Ergo dolor in ſentiente virtute ſicut voluptas fit. Nec docere nos potuit, cur iucundum ſit ſenſiſſe res: Sed tantum dicit, quoniam actuatur potentia. Et hoc falſum eſt: quoniam actuari dolorifica ſpecie non eſt iucundum. Item tranſactis doloribus gaudet quoque ſpiritus. Ergo iucunditas eo fit, quod ſcientia conſeruatrix eſt rerum omnium. Spiritus autem expertus bona ac mala, diſcit quid ſectandum, quidque declinandum eſt illi. Quapropter & odioſarum rerum ſcientia bona eſt: Noſſe febres, venena, bellum, ſuaue eſt animo, quoniam ita peritus fit. Quamuis ſimul renuat, cupiátque eas ſentire interdum. Ex quo Galenus putat eſſe duas animas. Sed ita non eſt; ſed in obiectis ſalus & damnum miſtim reperiuntur. Et illius copulam cupit, iſtius recuſat ſimul, vt dictum eſt.

CAPVT XVI.

Si ſenſus eſſet potentia paßiua incorporea indiuiſibilis, non poſſet niſi ſemel ſentire, nec multa, nec contraria ſimul, nec ſimulachra eorum, ſed corpori tenui mobilique hæc omnia conuenire.

NOn modo Ariſtoteles rationẽ ſuæ poſitionis reddere nequit, quo ſcilicet pacto potentia, vbi informata eſt aliqua forma ſenſibili, poſſit aliam recipere; cum quæ intus eſt prohibeat; vel vbi reponat, quam habebat, dum nouam accipit: Et quo pacto, cum ſit paſſiua, poſſit proprium deponere actum, ac ſpoliari ſuo perfectiuo, quo cum eſt magis vnum, quam compoſitum ex materia & forma: Cum materia nulla poſſit propriam formam depellere, niſi ab externa agente cauſa ſibi auferatur: Nec enim ignis calorem, nec frigus terra deponunt, niſi à contrario priuentur: nec quomodo illam obliuioni dat & poſtea meminit.

Sed & hoc deterius declarat, quomodo poſſit eodem tempore contraria ſentire, calorem & frigus, albedinem & nigredinem, contrariiſque informari; cum ſit incorporea, indiuiſibiliſque potentia: ſpecies autem multæ diuiſibiléſque. Aiunt, non eſſe contraria hæc in cognoſcente virtute, ſed in rebus ad inuicem. Potentia autem contraria ipſa iudicat, non fit. Sed hoc abſurdum eſt. Sic enim neque potentia ipſa contraria eſſe iudicaret; ipſa enim res iudicat, prout afficitur, ab eis. Si à contrariis contrario modo afficitur, contraria iudicat: ſi ſimili, ſimilia.

Quapropter nunquam iudicabit contraria, à quibus non patitur contraria. Pati autem eſt informari apud Ariſtotetem. Ergo ſimul duobus contrariis informetur, eſt opus. Patet quidem in tactu aliter nos affici à frigore & aliter à calore; ideóque dicimus illud frigus, hũc calorem. Si autem ita non pateretur, ſed ſicut qui ſpecillis vtitur rubris, omnia rubra videt, & non ſuis colorata coloribus differentibus, ita potentia niſi contrario modo afficiatur, eadem reputabit eſſe contraria.

Præterea quomodo poteſt res multas ſimul ſentire, nil dicunt, hac ratione. Alij dicunt eſſe in ſenſu contraria, ſicut dulcedo & albedo in pomo eodem ſubiecto res diuerſæ: Sed ſi ita eſt, Ergo potentia

non iudicabit contraria eſſe contraria, ſed diuerſa: prout enim in ea recipiuntur, ita iudicantur. Alexand. vero hæc diſquirens tandem ait, potentiam eſſe incorpoream, ſed tamen formam organi corporei, in cuius partibus diuerſis contraria recipiuntur, & à potentia ſimul iudicantur. Sed nil ſoluit; Eodem enim tempore eadem indiuiſibilis potentia ſentit plura & contraria: ſentire autem non poteſt niſi informetur illis. Ita enim fit ſentire Ariſtoteli. Ergo non ſufficit organum informari, alioquin nunquam ſentirentur.

Ipſa autem indiuiſa eſt, & non ſicut corpus partitur, quod in variis partibus, variis tangitur rebus. Quapropter Aphrod. ſentientem animam facit tandem corpoream, licet non dicat eſſe ſpiritum, ſed vel formam ſpiritus vel corporis, hoc eſt temperiem vel ex temperie reſultantem ſpiritum. Sed hanc ſpeciem vocat indiuiſibilem per ſe, ſicut calor & albedo: diuiſibilem vero per ſubiectum cui inhæret: Sicut albedo partitur ad partitionem albi. Hoc autem & nos aſſerimus: ſed temperiem & ſpiritum ſentire dicimus, quatenus res temperatæ ſentiunt: non enim dant quod non habent. Vnde Aphrodiſienſis niſi atrox poſitionis defenſor ſit, cogitur elementis ſenſum dare, alioquin miſto illam non darent, cum & ſenſus paſſibilitas ſit illis conueniens, & non relatio miſturæ, vt in alio libro ſcripſi. Nec iudicium paſſionis aliunde veniet miſto, niſi ex miſcibilibus, vel ex nihilo, vel à Deo, vel ab anima mundi, quæ non placent illi. At quidem nobis facile eſt, his reſpondere difficultatibus: Nam cum corporeus ſit ſpiritus mutabiliſque in diuerſis ſui partibus, poteſt ſimul mutari diuerſis obiectis, omnéſque ſimul ſentire. Si autem informaretur, vnica tantum informaretur forma, nec niſi vnum ſentiret. Eoſdem porro motus in eo ſopitos, aliis aduenientibus poſſe remanere, facile in aqua & in aëre patet: Poſteáque à conſimilibus excitari & fieri reminiſcentiam, memoriam, & diſcurſus: qui enim paſſus eſt, aptior eſt pati: Profecto omnem ſenſationem immutationem eſſe, tactus docet, qui calefit, frigeſcit, pungitur, lenitur, aggrauatur, patiendo non formam, ſed mutationem. Guſtus quoque & olfactus nullas formas, ſimulachráque admittunt, ſed ſapores & odores, qui ſunt actiones caloris in craſsitie vel in tenuitate ingeſti. Sonum autem eſſe aëris motum, & non ſpeciem nec formam, Ariſtoteles fatetur, & realiter recipi. Vbi licet valde incuſare aſſeclas ponentes ſimulachra intentionalia, immaterialiter & intentionaliter recipi in potentia immateriali: Cum hæc intentio non ſit, quia nos ita intelligimus, ſed quia eſt in natura. In natura autem reales ſunt res, quæ mouent realiter ſenſum; quem alteratione fieri teſtatur Ariſtoteles, & ſenſatio omnis tactus, auditus, olfactus, & guſtus. Sed viſio decepit eos, quoniam in pupilla viſibilis obiecti imaginem conſpicimus, quod viſionem intromittendo fieri contra Platonem eos docuit, & per informationem intentionalem. Sed Plato per

motum

motum & alterationem ſenſit docte. At nihil inde concludunt. Nam ſunt in oculo tunicæ tranſparentes, & aqueus & cryſtallinus humor ad excipendam lucem, ſpecie tinctam. Sed hæc ſpecies non informat ſentientem ſpiritum prorſus, ſed mouet modò ad iudicandum eius obiectum, vnde reflectitur. Nec remanent imagines in ſpiritu, licet ipſe, quia ſubtilis eſt, lucidúſque, poſſit eas recipere, ſed motus tantum; qui, quoniam cum imaginibus ſubierunt, efficiunt imaginari, ac ſomniare. Sed ex calore, & frigore, ex ſono, & ſaporibus, & odoribus, nulla profecto imago in ſenſu recipitur. Imago autem in viſu per accidens ſentitur, lux vero per ſe, quæ mouet vt eſt affecta. Nec incorporea ſit potentia, vt corpora recipiat, cum aër & ſpeculum corpora ſint, eaque recipiant palam. Quomodo autem incoporeum recipiat corpus inexcogitabile eſt: nec quia recipit immaterialiter corpora, ſit immaterialis: nam & ſpeculum & aër immaterialiter recipiunt imagines materialium. Tandem patet error offerentium ſimulachra ſenſui, nil docentium quis ea producit, quomodo veniant & quis inſerat potentiæ: neque enim lapis mittens ſe ſua forma ſpoliat aut imagine, nec ſuperficiali ſimulachro, vt ſtulte Lucretius opinatur. Nec multiplicatiua vis in lapide eſt, vt in igne. Oportet igitur ad lucem tinctam recurrere coloribus: Et per coloratam lucem noſſe quantitatem ſubiectam colori, & figuram & motum quanti, dum in aliis ſemper ſitibus vario modo ipſam repræſentat: quietam vero, vbi ſimiliter. Sed de his alibi.

CAPVT XVII.

In diuerſis ſenſoriis, non potentias diuerſas informatrices, ſed vnum eundem ſpiritum corporeum ſentire & conferre obiecta, quia idem obambulat omnia organa: & non dari ſenſum communem, vt Ariſtoteles ſcribit.

REdeuntes autem ad Ariſtotelem, dicimus, diuerſitatem obiectorum non comprobare diuerſos ſenſus & ſentientes formas: Namque album nigrúmque opponuntur magis, quam dulce & album: Hæc enim ſimul manere poſſunt, non autem illa: Nihilominus ſunt obiectum eiuſdem viſus. Indicant quidem varias ſentiendi vias modóſque: Quod enim per craſſam cor-

poris partem non admittitur ad ſentientem animam, admittitur per graciliorem; & per tranſpicuam, quod non per opacam: idemque pomum in obtuſo tactu frigiditatem imprimit quam extraneam habet, in lingua dulcedinem, innatum communicando calorem; in naſo odorem, educendo tenuitatem ſuam calidiuſculam: In oculo albedinem, quæ eius eſt apparentia caloris. Quapropter idem calor, in tactu vocatur calor, in guſtu ſapor, in olfactu odor, in oculo candor & lux. Ipſa enim lux eſt viuus candor, & calor apparens, hoc eſt, viſus, hoc eſt, attactus à longe per tranſparentiam. Atque eundem ſpiritum hæc obiecta omnia ſentire, ſed diuerſis organis, ſicut idem homo ſcribit penna, ſecat gladio, & fodit ligone, palam eſt. Quando enim attente quippiam audit homo, non videt prætereuntes coram eo, & cum attentius inſpicit, non audit vocantem. Et per Aſtrolabium inſpiciens alterum claudit oculum, vt totus ſpiritus collectus in altero melius inſpectet. Idem ergo ſpiritus audit, videt, guſtat, quandoquidem ex organis in organa ita accurrit. Ergo non eſt forma organo affixa: tunc enim ab eo diſcedere non poſſet. Et quando homo dormit oculis apertis, videret, audiret, tangeret, cum omnes formæ ſentientes ſuis in organis remaneant: ſed in omnibus paſſionibus lætitiæ, iræ, riſus, plãctus, ſpei, mœſtitiæ, conſpicitur ſpiritus, nunc confluens in oculos eoſque lucidos reddens, nunc in ore dilatari; nunc redire intus & minui, & turbari extrema, & frigeſcere. Corporeum ergo eſt, mobile, & paſſibile, principium ſentiens. Eſt vnus continuatione in cunctis ſenſoriis, ſicut aër in canalibus ſonantibus. At Veneris actus, qui ſenſus omnes languere facit, bene probat, ſentientem ſpiritum eſſe vnicum, qui confluit ad fruendum voluptate, & tumefacit mentulam, & mox detumefacit. Et quidem ſi ſenſus multiplicandi ſunt, miror, cur Ariſtoteles proprium ſenſum Veneris non fecerit: cum à ſe non audiens rationem, mentula erigatur, & ipſa vna apta eſt ſentire voluptatem eiuſmodi, ob ſuæ carnis ſpongioſitatem; ſicut lingua ſaporem, & ob mordacitatem caloris per ipſam tranſeuntis. Tribuendus ventriculo erat & ſenſus famis & ſitis, quippe cum in ipſo tantum fiant, non autem in oculis, & aliis organis.

Præterea videns homo pomum, ſcit ſaporem illi ineſſe & odorem. Ergo ille ſpiritus, qui videt, odorat, tangit & guſtat. Alioquin conferre ſimul obiecta eiuſdem ſubiecti non poſſent: ſed eſſent ſicut ego & tu. Ariſtoteles hoc perpendens, ſufficere ait quinque ſenſus: ſed neceſſe eſt addere ſenſum communem: quem in anteriori capitis cella quidam ſui reponunt, alij in corde. Et in ſenſu communi dicit omnes ſenſus conuenire, & ipſum eſſe ſicut centrum ſenſus cæteros ſicut lineas ab eo ad Peripheriã extenſas. Pulchra cõparatio è Plat. Thæet. ſed dictis contraria ſuis. Si enim ſenſus formæ ſunt organis affixæ, nũquam docebit quomodo introcurrant ad ſenſum communem, con-

ferántque computata obiecta, quando ſimul videmus, audimus, guſtamus & odoramus. Et quomodo diſcedere poſſint formæ & redire dicet nunquam. Siquidem in corpore non ſunt huiuſmodi viæ & lineæ; neque in potentiis, quoniam ſunt affixæ externis organis, à quibus non recedunt. Nec quomodo centrum ſimul plura noſcat, ſi vnũ eſt indiuiſibiléque: minus autem ſimul. Neque enim lineæ plures ipſum plurificant; ipſe enim iudicat omnia obiecta. Ergo illis informetur oportet ſimul, cum iudicat ſimul. Et cum indiuiſibile ſit, quomodo poteſt? Nec Aphrod. hæc anxie diſquirens, ſatisfacit. Nobis autem facile eſt ponentibus ſpiritum vnum corporeum tot rebus ſimul in diuerſis partibus ſui immutari, continuatis per totum corpus: qui quando totus vel maior pars in aliquo colligitur ſenſorio, minor eſt in aliis, & ægre ſentit, aut ægrè functiones cæteras edit.

CAPVT XVIII.

Animam non eſſe corporis formam, ſed Dominam & accolam ſubſtantialiter vnitam: excepta mente humana.

PRæcedentes ſermones bene quoque declarãt animam ſentientem non eſſe actum ſeu formam corporis organici potentis opera vitalia edere, veluti definit Ariſtoteles. Comprobatum eſt enim ipſam de ſenſorio in ſenſorium moueri & de exterioribus ad exteriores partes: Eſſeque corpoream, mobilem, tenuem, non affixam organo, ſed intermanentem, ſicut multi in naue milites, & gentes in domo, & homines in ciuitate: qui diuerſis in officinis, plateis, ædibus & viis diuerſas obeunt functiones. Et qui afferunt eſſe actum organici corporis, fatentur corpus eſſe illius organum, ſicuti nos. Nullum autem agens principium informat proprium inſtrumentum, ſed mouet regitque. Ergo non eſt forma. Et Ariſtoteles hoc fateri cogitur, dum actiuam virtutem dicit in paſſiuam cauſam prodire tanquam in aliud ab alio, in 9. Metaphyſ. & alibi non eſſe idẽ agens patiénſque ſæpe clamat. Forma autem vnum fit cum materia, Ergo vnum agens patiénſque: quod abſurdum illi eſt, non autem nobis. Præterea corpus diſtinctum eſt in oſſa, neruos, carnes & viſcera, totque in membra differentia colore, diſpoſitione, actione, temperamento, & difformitate, ita vt nullo pacto vniforme ſit, & vnica forma conſtare poſſit. Aqua quidem vniformis eſt & ignis, & res ſimilares,

& hæ vnica informantur forma: at animal tanta ornatur difformitate, vt ſtultum ſit, ab vna forma poſſe ipſum informari, putare. Forma eſt vis actiua in igne, vt calor, ſed alij dicunt igneitas & aqueitas, quoniam putant aliam eſſe formam totius, cum Auic. Compoſitis autem rebus temperamentum eſt forma, ſicut Galenus intelligit, ipſique Peripatetici componentes omnia ex quatuor elementis, licet nos vno tantum conſtare declarauerimus. At Alexander qui non temperamentum ſed ſpeciem reſultantem ex temperamento formam dicit, nil noui affert: Nam poſtremus habitus miſturæ erit, aut generationis miſti, vel ſimplicis. Sicut quando aqua fit aër, paſſim attenuatur & calefit, donec ad motum agitur. Vbi vltima tenuitas, & caliditas, quæ ipſam in aëris eſſentia reponit, conſtituitque dicitur forma aëris. Sic in miſto. Neque enim additur niſi modus gradúſque talis tantúſq; In Metaph. autem hunc gradum differentialem ex eſſe, & non eſſe exponimus: quo enim eſt aër, non ignis, nec lapis, nec terra. Porro animal diuerſas habet partes, tenues, liquidas craſſas, molles, duras, albas, rubras, omnes quidem proprio habitu ac temperie donatas. Igitur Ariſtoteli impoſſibile eſt vnica informare forma. Nec intellectus, nec ratio, nec ſenſus formæ ipſius ſunt, vt putat Ariſtoteles. Sed ait, anima non eſt materia, neque compoſitum; Ergo eſt forma. Nos autem reſpondemus eſſe agentem cauſam interclusam & intra operantem in corpore. Et quidem ſpiritum dicimus compoſitum ex calore & materia tenuiſsima. Patet autem diuiſi ſerpentis duas fieri partes, quarum quælibet mouetur adhuc portione ſuæ animæ. Diuiſibilis ergo eſt materialiſque, habitátque in neruis: Et quia ſunt anguſti valde in vermibus, diu exire laborat. At ipſi aiunt, erat vna in actu & multæ in potentia; idcirco partitur. Sed ineptiſsime garriunt. Non enim quippiam vnum eſſe multa in potentia poteſt, niſi ſit etiam partibilis in illa multa: Dum non diffunditur ſicut lux, ſed partitur ſicut chorda corporalis. Multa inſuper dicta ſunt ſuperius, de corporeitate ipſius. Ergo ſolum animal vnum eſt compoſitione, quoniam vnum habet ſpiritum, multáſque partes compoſitas in vnum conſenſum, ordinem, & formam totalem, integratam ex multis partialibus, ſicut domus & nauis. Et ſic melius ſentit Auic. quam Auerroes, vt in Metaph. docuimus.

Hoc nomen forma figuræ primo impoſitum eſt; deinde ad ideam agentis tranſlatum eſt, & ad ipſam agentem virtutem. Hic autem ſumitur pro habitu poſtremo rei genitæ, quæ multiplex eſt; ſed reſpondet ad certum modum ideæ in diuina mente, ex qua animal habet vnitatem, & non ex hac Ariſtotelica forma. Scotus autem non inepte ſufficere docet vnitatem compoſitionis. Non negem tamen mentem à Deo infuſam poſſe formam eſſe animalis humani, quin aſſeram cum Clementina ita decernente. Sed decretum fuit (de

Sum. Trin. & fid. Cathol.) contra Auerroem, ponentem vnicum modo intellectum in omnibus hominibus, non informantem, ſed ſolum aſſiſtentem & eo modo, quo S. Auguſtin. in CHRISTO ponit Deitatem. Vt autem errorem Auerr. euerteret, dixit Papa, cuilibet homini ineſſe animam propriam informantem. Quod Platonizantes Theologi gloſſant. Nos autem credimus, vt Papa dicit. Anima enim quæ à DEO immittitur, non ex materiali pendet temperamento, ſed à DEO, ſicut lux à Sole, ita quod poteſt diuerſa temperamenta colligata informare, ſicut lumen ſimul informat ſpeculum, aërem, nubem, actuatque. Sed res ex materia emergens, nullo pacto poteſt forma eſſe temperamentorum diuerſorum. Talis autem eſt Anima, quam Ariſtoteles cognouit. A Deo enim ipſe nihil producit, niſi motum primæ ſphæræ, quem alij motores imitantur. Vt Alexander oſtendit Peripateticorum princeps, in libro de Anim. Ad doctrinæ huius complementum examinanda videntur alia ſentiendi genera, quæ Ariſtotelem faciunt inuentorem animarum aliarum ignotarum.

CAPVT XIX.

Peripateticos ex vna anima indiuiſibili plures partes efficere, aut animas, aut facultates, differentes.

PEripatetici vnum facere animal conati, tollentes trinitatem animæ contra Platonem, in varietatem incidunt deteriorem. Non enim tres modo ſed multas animas, aut partes ponunt in animali: inſuper & quinque ſenſus, quinque informatos formis, & ſuperaddunt ſenſum communem, qui conferat obiecta particularium. Ac memoratiuam faciunt rem aliam, quoniam retinet ſpecies, ſenſus autem recipit. Item diuiſim inueniuntur. Muſcæ enim ſenſu pollent & memoria carent: Nam expulſæ redeunt ſubito ad mordendum, vnde malum imminet earum. Ariſt. quidem ex Theæteto Platonis hæc ſuis propinat. Qui poſt hunc dicunt extare imaginatiuum differentem à memoria: Nam multi bene ſentiunt & memorant, at praue imaginantur. Item ſenſus & intellectus non decipiuntur vt imaginatio. Item in dormientibus non eſt ſenſus, ſed eſt imaginatio. Et in nobis eſt imaginatio, non in oſtreis & vermibus: fit enim ſenſus non volentibus nobis & illis, ſed imaginatio etiam nolentibus & in ſomno. Et ſenſus eſt obiecti præſentis, imaginatio abſentis. Addunt aliam eſſe rationalem, quæ diſcurrit à notis ad ignota, quod ſenſus & memoria non faciunt. Huic eandem alij fa-

ciunt intellectiuam, alij ſeparant: huiuſque munus adſignant noſſe res in vniuerſali, vt genera & ſpecies: Et in hoc conſiſtere ſapientiam & principiorum notitiam: ſcientiam vero eſſe diſcurſum ab his. At ſenſum noſſe particularia, quorum non eſt ſcientia, cum ſint infinita & varia: Scimus enim hominem ſed non hunc & illum. Iterum Ariſtoteles oſtendit ſenſum eſſe aliud ab intellectu, quoniam ille vehementi ſenſibili corrumpitur, vt ab igne & tonitruo. Intellectus vero à vehementi intelligibili perficitur roboraturque. Quo enim vniuerſaliora & abſtractiora nouit, perficitur magis ad intelligendum. Et quoniam intelligit res abſque materia, vult ipſum eſſe ſeparatum immaterialemque. Et hic alij interpretantur ſeparatum ab obiectis, alij à corpore, vt non ſit actus corporis, ideoque ſeparabilem eſſe & immortalem. Sed cum intelligere ſit paſſio, Ariſtoteles adinuenit alterum intellectum agentem, qui reddit immateriales res materiales, præbetque defecatas formas intellectui cognoſcendas paſſiuo. At ipſe actiuus non intelligit, quoniam intellectus eſt paſſio. Hinc altercantur Ariſtotelici. Nam alij cum Alexandro aſſerunt intellectum actiuum eſſe immiſtum, immortalem, immaterialem; paſſiuum vero eſſe temperamenti habitum. Vnumque eſſe intellectum agentem in cunctis hominibus, non autem paſſiuum. Auerroes vtrumque abſtrahit & æternat, eſſeque vnum in omnibus, & differre ab inuicem, quia alter patitur, alter agit: non autem eſſe in beſtiis: Beatitudinemque humanam pauciſſimis conuenire, qui intellectui copulantur abſtracto per ſcientias rerum omnium, quas in cogitatiua, quadam noua potentia, Auerr. apponit. Latini cuilibet homini dant propriam animam ſecundum Ariſtotelem: & intellectum agentem & paſſiuum eſſe duas facultates eiuſdem animæ rationalis: & non organicas. Cæteris dant cellas in capite cum Arabibus, & lædi alteram ſine altera putant. Alij in corde eas locant. Verum ſuperaddit Ariſtoteles animam motiuam, quoniam eius munus eſt opus, non ſcientia. Et alij vegetatiuam & nutritiuam, cuius eſt alere corpus. Nam hæc in plantis eſt abſque ſenſu, & in brutis ſenſus abſque intellectu, ſed motiua ſine ſenſu.

CAPVT XX.

Memoriam in ſentiente ſpiritu reponendam, eundemque ſentire & recordari.

HAS opiniones in ſuo loco reprobauimus: hic non repetam, niſi quæ vtilia ſunt ad probandum ſenſum omnibus ineſſe rebus, & has animæ partes vel animas, non eſſe niſi diuerſos operandi & cognoſcendi modos eiuſdem virtutis, non autem animas diuerſas. Memoriam eſſe ſenſum anticipatum iam diximus: Eas enim modo res recordamur, quas ſenſimus. Eadem ergo virtus ſentit ſpecies ſeruatque: Attamen & demonſtrauimus ſenſum immutatione fieri & non informatione. Ergo ſpecies non ſeruantur ſed motiones. Patet autem quoniam cum recordamur rei dolorificæ aut lætæ, aut ſtomachoſæ, renouatur in nobis dolor & lætitia, aut nauſea, ſed non ita fortiter, quoniam obiectum non præſens mouet, ſed ſicut cicatrix quaſi remanſit, idcirco nunquam recordatur alicuius rei animal, niſi cum ſentit rem ſimilem illi, quoniam iterum patitur conſimiliter. Quot autem ſunt ſimilitudines, tot ſunt reminiſcentiæ: hoc eſt, ſimilitudo ſubſtantiæ, temporis, loci, actionis, paſſionis, operationis, figuræ, temperiei, accidentis; & ſimilitudo differentiarum, & ſimilitudo adhuc ſimilitudinum inuenitur. Senſus ergo recipit paſſionem, & in ſenſu excitatur & renouatur, id eſt, in ſpiritu ſentiente. Et hæc renouatio eſt reminiſcentia: retentio verò memoria. Nec propter hoc ſit aliud à ſenſu, quoniam in ſenſu non remanet paſſio abſente obiecto, vt in memoria. Nam manifeſtè remanet. & licet color in oculo non ſit, eſt tamen eius affectio in ſpiritu, qui eſt in oculo, & in cerebro. Neque enim oculus eſt ſenſus, ſed ſpiritus. Vere etiam animalia multa plus ſentiunt, quam recordantur, & hoc in genere hominum quoque inuenitur, vt non putemus aliorum eſſe generum ſentire & memorare. Qui enim ſpiritu valde tenui calidoque ſunt, ſentiunt percipiuntque ſubito omnia, quoniam tenuitas facile patitur. Sed non remanet motio; cum quia à ſuccedentibus motionibus facile deletur; tum quia continuo ſpiritus foras exhalat, ſicut flamma de candela, & quæ intelligit ſenſitque, communicare ſuccedenti ſpiritui, qui etiam ex ſanguine vaporeque continuo ſit, non vacat: Ita quod proprij motus cum eo euaneſcunt. Hoc autem patet in phreneticis à calefacto cerebro perdentibus memoriam; plerique etiam in graui ægritudine totam amittunt ſcientiam; Vehemens enim

paſſio morbi delet, tegitque paſſiones exiguas: Ita quod exhalans ſpiritus non communicat genito niſi paſſionem maiorem: Itaque temporis diuturnitate omnia obliuiſcitur. Senes quoque facile obliuiſcuntur, quia nimis attenuatus ſpiritus facile exhalans, ineſt illis. Et huiuſmodi tenuitate præditi, præſentiunt aëris paſſiones, in quo res fiunt, prædicuntque, ac deinde non meminerunt quæ prædixerant. Quare Galenus de morbo non vulg. inquit: Quibus multus ineſt calor, eorum ſpiritus adeo exacuitur vt ſpatio temporis breuiſſimo, omnia luſtret & omnia cognoſcat. Idem fere Ariſtoteles de Sybillis & Bacchis. Quapropter nil mirum ſi muſcæ ſpiritu tenuiſſimæ, memoria careant: hoc enim non indicat portionem ſentientem eſſe aliam à memorante; ſed eundem ſenſum non eſſe ſemper vtrique aptum operationi. Neque enim quia non aptus eſt quiſpiam bello, non eſt homo. Porro cum nos quippiam meminiſſe cupimus, cogitamus locum, tempus & ſimilia, quouſque recordemur, quando memoria ſopita eſt, non penitus perdita: & ſimili nouo motu renouamus veterem ſopitum motum, qui vel exhalatione, vel aliorum motuum ſuperuentu euanuerat. Petrus noſter N. feruentiſſimi ſpiritus ſagaciſſimi eſt quoque ſenſus, vt in exiguo multa pernoſcat argumentando: Sed memoria exilis eſt valde. Nec craſſi ſpiritus memoria pollent; nam pauci in ipſis motus, niſi vehementes imprimi poſſunt, ſed impreſſi remanent diutius. Hic irrideas Peripateticos qui ponunt memoriam corporalem contra propria decreta, & cerebro ſiccos memoratiuos valde, humidos parum. Imo ſicci à nimio calore, vt patuit, parum membrant. Humidi multum, ſed pauca obiecta: res enim languidæ actionis non imprimuntur in eis: At temperati facile recipiunt, retinentque, & communicant doctrinam ſucceſſoribus. Idcirco Pharmacis ſpiritus temperies immutatur; fitque memoratiuus, vel obliuioſus. Ars quoque memoriæ localis ſenſui expoſita in rebus valde ſenſibilibus & notis ponens res ſimilitudine cognitas, oſtendit memoriam eſſe ſenſum debilitatum, qui ita renouatur & roboratur. Item ſi memoria ſequitur temperiem, ergo corporea virtus, paſſibiliſque memoratiua eſt, non autem incorporea, vt dicebamus. De his autem in 6. lib. Medic. cum Galeno diſputauimus, oſtendimuſque non in cerebri ſubſtantia ſed in ſpiritu animali fieri ſenſationes interiores, à mente autem perfici, & vt animaſtica non frigore, humore, ſiccitate, caloreque ſubiecti cerebri, niſi vt diſponens, aut commoditatem præbens, aut incommoditatem concurrat.

CAPVT XXI.

Eandem animam ſentientem & memoratiuam eſſe imaginatiuam, & diſcurſiuam.

IMaginatiuam vim eſſe ipſammet ſenſitiuam, & memoratiuam, palam eſt: qui enim plurimas res ſentiunt memoriaque tenent, plurimas quoque imaginantur copulando, & diuidendo motiones ipſarum. Nec quiſpiam ad imaginationem mouetur, niſi per ſimilitudinem, aut ſimilitudine, ſicut memoratio fit, & reſenſatio & ſenſus. Idcirco in ſomniis perceptas ſenſu res imaginamur. Rex de regimine; Nauta de nauigatione, Doctor de doctrinis, & quilibet de his, quæ tractat, ſomniat; magis autem de his quæ amat, aut timet valde. Imaginari autem nil eſt niſi aliam ſentire rem ſuper ea, quæ ſenſimus: Itaque vocetur ſuperſentire. Admiratur Plato quando rem imaginando aliquam plurimæ ſuppetunt ſimul aliæ, quæ videntur quaſi aues in phantaſia volitare. Hoc autem inde fit, quod imaginatio eſt moueri : Et aliquam recolendo rem in ſua motione, quam indidit nobis, omnes illi ſimiles excitantur, quoniam omnes motiones paſſioneſque illi ſimiles renouantur in tenuiſſimo ſpiritu: & vapores & affectus à carne & humoribus, & res quæcunque apta eſt excitare imaginem in nobis, præſertim deſiderantibus, aut timentibus, aut odientibus, diſpoſitiſque ad illam. Inuentioneſque omnes in imaginatiua non deprauata locum habent. Ita Bombardas à tonitruo inuenimus, ſiue Salmonea fuerit primo, ſiue Germanus. ſerram ex dentibus vel ſpina dorſi piſcium; Naues ex auibus, &c. Nam ex ſimilibus in anima motionibus derelictis ad ſimiles iterum mouemur; vt pateat imaginationem eſſe diſcurſum & ſenſum & memoriam, hoc eſt ſuperſentire & ſentire & reſentire. Interdum amittitur imaginatiua remanente ſenſu & memoria, nec ideo eſt alia res. Hoc autem aduenit à ſenſatione vehementi affectum permagnum relinquente: qua vna adeo afficitur, agitaturque ſpiritus, quod aliam quamcunque per illam metitur: Ita ſunt furioſi ab amore vel dolore; qui ſemper eadem re dolent, aut lætantur, aut timent: & omnis res alia apparet illamet; ſicut enim æger ſpiritus exilis inſpiciens in pariete quamcunque hominis delineationem, videtur ſibi videre hominem, aut belluam, magis autem quod amat, aut timet, ita imagine rei captus agitatur. Igitur imaginatio nunquam amittitur, ſed deprauatur ex paſſione vehemen-

ti, ſicut & ſenſus: Nam vident ita affecti, vt Poëta ait; & geminos ſoles, & duplices ſe oſtendere Thebas; ſæpe & in ſpiritum cerebro habitantem inſurgunt fuligines & fumi, & horribilia videre faciunt, impediuntque iudicium verarum imaginum, interturbando motiones ſpiritus certas, ordinataſque ad diſcurſum. Nec quidem Ariſtoteles debuiſſet imaginatrici ſæpe fallaci committere dormientis curam animalis: ſed rationali potius, cui inuigilare proprium erat magis; ſed cum videret hominem decipi in imaginando, quod non eſt, & in ſomnis hanc deceptionem eſſe crebertimam, partem animæ nouam pro tunc comminiſcitur. Falſo quoque non eſſe ſenſum rei abſentis docet: cum illas & videre & tangere vehementer affecti videamur, nec ſit alius ſenſus videns in præſentia, & abſentia, licet decipiatur iſte, quoniam ratio decipiendi eſt abſentia rei, quam vt præſentem videt; & in ſenſu remanere imagines palam eſt intuentibus albiſſimas res, & audientibus rumores pergrandes, quibus remanet quaſi albor in oculo, & tinnitus in aure, quæ ſunt organa; multo ergo magis in ſpiritu. Falſum eſt quoque oſtrea non imaginari; ſi enim retinent memoria, imaginantur, quoniam eſt ſuperſentire retentas ſenſu res, imaginatio. At diſcurſum eſſe imaginationem liquet magis. Diſcurrimus enim ab cognitis à ſenſu ad ignotas res. Hoc idem facit imaginatrix, fingit arcem in aëre, hominem tricipitem, quoniam nota eſt ſibi arx, & aër & homo, & caput, ideoque copulat iſta ſimul: & vnam diuidendo notionem, ſemihominem imaginatur, & cum altero dimidio ſemicaprum. Imaginamur regem non viſum, videndo quempiam in dignitate magiſtratum; & quia notionem magnitudinis & paruitatis habemus, copulamus magiſtratui viſo magnitudinem ac dicimus ita eſt Rex. Quapropter ſemper à ſimilibus procedimus. Ita in ſenſu quando video Petrum mihi videor videre Dionyſium ſibi ſimilem; & ſentim⁹ ré in alia re præſentialiter in ſéſu, ita in diſcurſu; ex his quæ præſentialiter ſenſimus aut recordamur, ad quas non ſenſimus, procedimus. Ex Papæ Maieſtate Dei maieſtatem intuemur, & ex ventorum tenuitate viſibili Angelos inuiſibiles ſentimus, & nominamus interdum; & videntes vnum cœli gradum ſeptuaginta in terra miliaria referre, diſcurrimus quemlibet gradum alium ſimilem tantundem importare; ita ex 360. gradibus vniuerſam rotunditatem metimur.

Numerus quoque apud homines vſque ad decem porrigitur, quoniam decem habemus digitos; ſed quis ſcit quouſque & quomodo inter Angelos recte numeratur? Ex noſtro palmo menſuram rerum cognoſcimus; hæ autem omnes notitiæ ſunt ſentientis ſpiritus; qui à notiſſimo per ſenſum ad ignotum procedit. Errores autem pene omnes ſuboriuntur quoniam nos rem iudicamus ſicut nos ſumus omnino. Vnde Mahumetani Deum corporeum faciunt & Paradiſum carnalem; & Tertullianus eidem quaſi humanam dat effigiem;

Angeloſque opinamur, quales nos ſumus.

Præterea ventos nil videre putamus, quoniam oculos non habent, ſicut nos. At bene diſcurrens homo per ſimilitudines omnes ac differentias, inueniet oculos non videre, ſed in eis latentem ſpiritum. Sic Ariſtoteles opinatur aliam eſſe diſcurſiuam à ſenſu, quoniam oculus naſuſque non diſcurrunt, nec conſiderat qualiter, qui in eis ineſt, ex extrema petræ effigie ſcit illam eſſe petram; & ex pauculo odore in tenebris ſcit hoc eſſe pomum & illud thus, & ſubito. Quin aſſeram nullam fieri ſenſationem abſque diſcurſu. Non enim ſenſilis anima informatur ſenſibili obiecto, ſed ex modica mutatione, totam menſurat ſtatim, licet pluribus ſenſationibus certior mox fiat, & Ariſtoteles obiecta per accidens ſenſilia diſcurſu ſentit. Sunt qui amittunt diſcurſum, retento ſenſu, quia ſentiens ſpiritus quid patiens remanet ineptus ad aliquam ſui operationem: Non tamen non eſt idem: Veluti diximus, fuligines intra ſpiritum volitantes, dum ipſe recolit mutationes diſcurritque, interturbant motiones diſcurſuſque, nec aliud cogitare, videreque faciunt. Nimius quoque calor ſubito diſcurrere ac præuidere in ſimili multa ſimilia efficit: at motus ſtatim perditur exhalante ſpiritus parte, & diſcurſus perditur, aut in aliam apparitionem mutatur. Cognoſcere & ſentire in ſimile eſt ipſum diſcurrere, hoc eſt per aliud ſentire, & in animalibus ac rebus omnibus hunc patiendi ſentiendique modum reperiri ſuperius declaratum eſt; & mox declarabitur ſenſum quoque ſe ſentire, ſicut diſcurſus, quamuis neget Ariſtoteles.

CAPVT XXII.

Senſum, intellectumque, Ariſtoteli notum, eſſe idem; & vniuerſale ab vtriſque & particulare cognoſci; nec vlla ratione ſua Ariſtoteli ponendum eſſe intellectum incorporeum ſeparatum & immortalem.

INtelligere eſſe ſpiritus ſentientis diſcurſiuique, facile nouimus: Res enim vniuerſalis in mundo non inuenitur, ergo quando intelligo hominem, & non Petrum & Franciſcum, contingit, quia alias ſenſi Petrum & Franciſcum, aliosque ſimiles homines, & quoniam ipſorum particularitates in ſpiritu non remanent, quia parum mouent, & raro, vel ſemel; ſimilitudo autem in qua

conueniunt particularia, plurimum mouet, quoniam in omnibus mouentibus eſt, & prope & procul; idcirco magis retinetur in mente vniuerſale, quod nil eſt niſi ipſa particularia appræhenſa vt vnum, in eo quod ſimilia:& quia intellectio non fit præſente obiecto, ſicut ſenſatio, ſed abſentis rei ſenſus eſt, vel diſtantis, videtur diuerſa eſſe ſubſtantia ſentiens ab intelligente. Sed & ſenſum intelligere palam eſt: Si enim vniuerſalis cognitio abſque particularibus eſt intellectio, & hæc ſenſui conuenit, intelligat oportet. Conuenire autem liquet, quãdo quid à longe videmus, vt Petrum. Nam primo dico; ecce eſt animal, quia mouetur, vbi vniuerſale ſentio, & non particulare; & ipſo propinquante dico, eſt homo, & propinquante magis, dico eſt monachus, & proximato, dico eſt frater Petrus. Ergo intelligere eſt ſentire, confuſe, & à longe; ſentire vero eſt intelligere prope ſeu cominus. Pueri quoque diſtinguere particularitates non adſueti appellant omnem fœminam matrem, & omnem hominem patrem, quoniam vniuerſale eſt illis notius, quod magis & in pluribus eos mouet. Canis procul hominem videns, latrat contra eum, quoniam cognoſcit vt hominem in vniuerſali, appropinquatum vero agnoſcit eſſe herum ſuum, & non amplius latrat, ſed blanditur cauda; eſt ergo ſenſus intellectio. Ariſtoteles quoque in 2. Poſter. declarans vnde oriatur ſcientia vniuerſalis, à ſenſu oriri determinat, quoniam idem ſenſus videt hominem, & Petrum hominem. Itaque ſtultum eſt opinari ſcientiam cõſiſtere in cognitione vniuerſalium. Quid ſciam ego, ſi nouero Petrum eſſe hominem, animal rationale, dum eius qualitates & proprietates, actus, virtutes, vitia & temperies ignoro (Verum quidem eſt, cum impoſſibile ſit omnia indiuidua & conditiones addiſcere, oportuiſſe ſciẽtias in vniuerſali & in confuſo habere. Sed medicina neceſſitate victa, monet, non ſufficere ſcire, quænam febris ſit hæc, ſed quando & quomodo inuadit, & infirmi complexionem particularem, & robur & tẽpus & cœlum, & Pharmaci non in communi, hoc eſt, Reubarbari, ſed huius Reubarbari quod nunc propinandum eſt huic infirmo. Verum enimuero hac ratione modica nimis eſſet ſcientia, ideoque vniuerſalia perambulamus, ſicut pueri, & à longe aſpicientes coactione, non electione. Deus autem ideo ſapientiſſimus eſt D. Thomæ, quoniam non vniuerſalia, ſed ſingularitates minutiſſimas nouit. Inepta igitur comparatio Ariſtotelica eſt, inter magnum ſenſibile magnumque intelligibile. Sed debet fieri inter magnum ſenſibile & paruum ſenſibile. Sẽſus enim eſt paſſio præſentis obiecti, intellectus eſt paſſio abſentis. Itaque quo magis abſentem percipis, eo magis aptus es ad ſentiendum præſens vicinumque: Et qui ex duobus miliaribus cognoſcit hominẽ, magis cognoſcet ex vno, & qui poteſt acũ videre, magis poteſt palũ. Igitur ſi paruũ minuſque ſenſibile ſentitur, multo magis magnum. Ita ecõtra intellectus debet cõparari. Nã ſi intelligit animal vniuerſalius,

multo magis intelliget hominem minus vniuerſale, magiſque ſenſibile: Sique Angelos remotos à ſenſu percipit, idcirco intelligibiles magis, intelliget aues magis, qui minus ſunt intelligibiles. Idem ergo euenit ſenſui & intellectui. Idcirco nil mirum, ſi corrumpitur à vehementi ſenſibili, non autem ab intelligibili; ſicut non eſt mirum cur ab igne diſtanti non corrumpitur, & proximo corrumpitur. Nec aliæ rationes Ariſtotelis oſtendunt intellectus incorporeitatem, & immortalitatem & abſtractionem; Nam cognoſcere vniuerſale ſine materia, ſenſus quoque proprium eſt. Sed ſenſatio præſens requirit materiam præſentem, anticipata vero diſtanſque & per ſimilitudinem, qualis ſunt memoria, intellectus, & ratio, requirunt anticipatam naturam, ſimilem, & diſtantem. Ipſéque Ariſtoteles fatetur, nil eſſe in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. Eædémque res vniuerſales & particulares intelliguntur & viſuntur in præſentia & in abſentia. Video per ſe Petrum, recordor Petrum per ſimilem alium viſum; imaginor ex ſimili: & intelligo cum ſimili, & diſcurro in eum ab alio ſimili ſentiendo ſemper. Spiritu craſſi nimis ſunt qui id non animaduertunt. Bruta quoque immaterialiter cognoſcunt vniuerſale & amicitiam & odium & contemptum: Sed hoc tribuunt æſtimatiuæ, quam non ſomniauit Ariſtoteles, vt mordicus eius ineptias tueantur. Ita poſſemus mille animas facere ex mille actibus & ex vno in millibus. At extare ſimilitudines abſtractas, & ideas ego in Metaph. oſtendi contra Ariſtotelem huius opinionis autorem, ab eo nil intellectæ & variatæ, variis ab autoribus decerptæ.

Hinc ſequitur non eſſe, ideo ponendum intellectum à materia abſtractum, vt vniuerſalia abſtracta intelligat; quæ etiam ſenſus nouit; multóque minus paſſiuum; qui fieri omnia ſicuti & ſenſus Ariſtoteli videtur: Et ſicuti ſenſus organo eſt illi alligatus, fatetúrque intellectum paſſiuum corruptibilem; quamuis alij interpretentur imaginationem, quam ſic victus veritate nominat. Si autem vt fiat omnia, ab organo ſeparatus ſit, ſenſus quoque ſeparandus erat. Intellectus ſeu Mens apud patres altiori munere donatur noſcitúrq;.

Sed nec Ariſtoteles declarat vnquam qua ratione hic intellectus contrariis informetur rebus, cum ſit indiuiſibilis, & quomodo rem intelligendo aliquam, informatus ipſa, alias poſſit ſuſcipere. Et eadem argumenta contra puram potentiam ſenſus hic militant. Attamen hinc intellectum agentem adducit, qui ſeparet formas ab obiectis; ſed quomodo hæc non remanent informia, non dixit, nec dicet vnquam; & quomodo intellectus iſte poſſibilis immortalis, impaſſibiliſque, obliuiſcitur rem, quam ſemel intellexit.

Item quomodo decipitur? Et cur pueri intellectu actiuo donati adeo potenti, quod obiecta ſpoliat formis ipſorum, non ſtatim intelligũt? & cum intellexerint aliquid, factúſque illud fuerit intellectus ipſe paſ-

ſiuus, magis quam materia formáque, quis aufert, & obliuionem adducit? Item ſi quilibet homo, animam habet propriam, & immortalem, oportet eſſe infinitas animas Ariſtoteli mundum æternanti. At quo vadunt poſt mortem, cum Ariſtoteles neget infernum & Paradiſum? vel oportet eas de corpore in corpus migrare, quod reprobat Ariſtoteles contra Pythagoram. At ſi vnus eſt intellectus, ſequeretur quod Petro intelligente aliquid, omnes idem intelligeremus. Sed Auerroes reſpondit, diuerſas eſſe cogitatiuas; (quas Ariſtoteles nec cogitauit) ſed hinc ſequitur, nos cogitatiua & non intellectu intelligere. Atqui ſi ipſe intelligit intellectus ſeparatus, non intelligemus nos, ſed ſpecies à noſtro ſenſu receptæ in phantaſia illi deſeruiēt ad intellectionem, noſque erimus obiectum & non ſubiectum, aut agens intellectionis. Item quomodo hæc anima non intrat etiam in beſtias, ſi manet in aëris ſphæra, quam omnes reſpirant? Et quomodo de illis nihil dixit loquendo de motoribus abſtractis in Metaph. 12.? Item ſi abſtracta eſt, non informat, nec homo erit homo per ipſam, nam à forma Peripatetici dant eſſe rei. Item cur anima noſtra non recordatur aliis ſe corporibus defunctorum adfuiſſe & rexiſſe, ſi omnibus vna eſt? Si enim obiecta amiſit, non poterit amiſiſſe ſpecies ab eis ſuſceptas, cum magis fiat vnum ex intellectu & intelligibili, quã ex materia & forma, iuxta ipſorum ſententiam. At ſi amiſit, ergo paſſus eſt corruptionem. Hoc enim eſt formam amittere. Sed impaſsibilis & immortalis eſt illis, quomodo poteſt amittere & obliuiſci? Aut quo fato cogitur introire in homines, vbi amittat ſcientiam & obiecta ſui perfectiua, quibus gaudet & beatur? Concludamus ergo ex vniuerſalis cognitione non comprobari intellectum ſeparatum immortalem: Et Ariſtoteles ac ſui animaduertens particularia quoque ab intellectu percipi, quando de particularibus præcipit & conſulit; ſuperadduxit tertium genus intellectus, quem vocat practicum & particularium cognitorem per vniuerſalia à ſpeculatiuo præcognita. Sed palam eſt vniuerſale cognoſci ex particularium inductione. Eadem autem vis particulares propoſitiones format, & ex eis vniuerſale concludit; ita & in vniuerſali particularia poſtea nouit, & directe & non reflexe, vt aiunt fingentes; Vnde ſcimus, & illi fatentur hos intellectus eſſe ſubſtantiam vnam; quæ à particularibus ad vniuerſale & è conuerſo diſcurrit: idémque euenit ſenſui, etiam beſtiæ, qui paſſus ab vno igne, omnes ignes vitat, & quia vniuerſaliter ſcit ignem vrere, idem iudicat de omni particulari igne. Facere autem duos intellectus, alterum qui ſentiat, in quo res ſunt ſimiles, alterum vero in quo ſunt differentes, figmentum vanum eſt. Senſus oua multa videns propter ſimilitudinem apprehendit illa vt vnum, præſertim ſi non ſimul, vt loci differentia diſtinguat. Sed fœmella gallinarum magiſtra ſcit cuius gallinæ ſit hoc, quia ex vſu diſtinguere nouit, & profecto ſi particularia co-

gnoſcere eſt ſignum mortalitatis, hic intellectus practicus mortalis erit, qui ſubſtantia eadem eſt cum ſpeculatiuo, igitur & ille mortalis erit. Et Deus qui omnes ſingularitates indiuiduorum nouit prorſus, vt docet D. Thomas in p. ſent. ſuſpectus erit mortalitatis ſecundum hæc Ariſtotelica argumenta; Vnde & putat Deum noſtra ignorare, ne vileſcat; quo nulla opinio ſtulta magis magiſque impia inuenitur.

CAPVT XXIII.

Eſſe in brutis ſenſum, memoriam, diſciplinam, diſcurſum & intellectum vniuerſalis, ſed non diuinorum ſicut in homine: qui præſtat eis etiam in omnibus actibus & quare.

OMnibus animalibus ſenſum ineſſe nemo dubitat. Multis memoriam nemo negat. Ipſa enim diſcunt, equi ſaltationes, ſimiæ ludos, Apes reuerti domum, &c. Quoniam vero his anima alia non ineſt, niſi ſenſitiua, oportet memoriam animæ ſentienti tribuere; reminiſcentia nō minus pollent. Nam cum quid paſſi fuerint aſini, locum illum vitant, & conſimiles illis abhorrent: Ergo ex ſimili ſimile in eis excitatur; ergo diſcurſu non carent. Idem enim eſt noſſe in anticipato ſimulachro rei præteritæ præſentem, & ex præſenti conſimilem. Palam comedens hordeum ſemel equus ex eo omnia hordea cognoſcit: & ex odore canes argumētantur quæ ſit res odorifera, & ex motu ſyluæ latentem ſyllogizant beſtiam, & ſæpe arguto ſyllogiſmo leporem inſectantes, viam proliziorem declinant, & breuiorem captant, & in tranſitu expectant. Accipitres idem obſeruant. Cancer conchilia venando ſæpe pedibus læditur, dum conchæ illorum clauduntur; quod ne faciant ipſe calculum iniicit, ac tuto deuorat. Polypus aſtute lapidibus affigitur ſui coloris, vt lapis videatur piſciculis quibus veſcitur. Sepia euomit atramentum, quo ſibi parat latibulum, quando ab inimico piſce, vel piſcatore inuaditur; & viſus eſt canis ab altero cane impetitus, alios conueniſſe canes, & ad locum vbi carnes multas ipſe celauerat, conduxiſſe, & cibo conciliaſſe, moxque eis tanquam conductis vſum militibus, inimicum canem inuaſiſſe, & occidiſſe. Equus quidam ita venerabatur matrem, teſte Ariſtotele, vt nunquam ipſam ſubagitare voluerit, donec ab Armentario deceptus, qui panno matrem texerat, coiuit tan-

dem; at fallacia detecta, calcibus poſtea armentarium occidit. Alius vero ſeipſum. Et Montedorus Marij à Tufo hac venerantia erga matrem perpetuo vſus eſt. Mus quidam fluuium tranans cauda ſibi velum facit. Vulpes multæ copulantur muſſib. caudiſque huius rei gratia. Aſtutia araneæ ad captandas muſcas ſtupenda eſt, qua ratione fabricatur rete, circumponit fila attractoria, abſconditur in centro abdito, quo fila immerguntur, & muſca incidens in rete agitat, & agitatio per filum vſque ad araneam fertur, quæ egreditur ad captionem muſcæ multis cum ſyllogiſmis. Animalia imbecilla viuunt in Repub. contra ferocia. Habent apes regem, obedientiam, excubias, fabros, ſeruos, magiſtros operum, ſacerdotes, qui ſunt fuci, & tanta arte cellas fabricantur, quod noſtras ſuperant. Prouidentiam formicarum admiratur Salomon, & ad ſcholas ipſarũ nos mittit. Aringhis Reſpub. eſt, Rex coronatus, turmatim ambulant, in medio debiles locant, ſedes mutant æſtiuas, & hyemales ſicut gentes Æthiopes & Arabes & Tartari, & noſtri quondam Veientes. Grues ducem habent magiſtrũ militum, ordinem mouendi, excubias, & lapidem manu tenet, ne dormitet & excubitor. Leones parcũt ſubiectis, debellãt ſuperbos, recordantur beneficiorum, ita quod leo quidam Romæ noluit deuorare hominem, qui paucis ante annis in quodam antro ſpinam pedi affixam leonis eiuſdẽ caſu extraxerat. Elephanti his pollent magnanimitatibus, inſuper & ſapientia, arte prælianturꝰ, addiſcunt linguam, paciſcuntur cum hominibus, culpam norunt, lauantur poſt coitum, lunam adorant, ſicut Græci antiquiores ob beneficia ab ipſa in nocte præſtita eis. iaculis inuaſi in theatro Pompeiano genu flexi ſupplicabant pro vita. Tranſeunte Nilum Antiocho cum exercitu, quoniam dux Elephantorum noluit primus tranſire, priuatus eſt ducatu; qui dedecoris impatiens ſeipſum occidit. Multa animalia honorem ambiunt, contemptum norunt. Quid ſimiæ argumententur palam eſt. Honor & deſpicientia ſenſibus exterioribus non percipiuntur ſed intelliguntur. Intelligunt ergo. Et Iob ait Deus, *Quis dedit Gallo intelligentiam*? Et in ſerpentibus prudentiam Ieſus ponit. & omnia animalia diſciplinabilia, prudentia donat Ariſtotel. Dicunt tamen illa diſcere aſſuefactione. At nos etiam aſſuefactione artes diſcimus: ſed quis aſſueſcit niſi præuia ratione polleat, vt poſſit aſſueſcere? At quo aſſuefierat leo ille gratus, & formica nata in æſtate congregans pro hyeme? quando per aëris immutationem cognoſcunt pluuias, & ventos, Nonne ſyllogiſmo à cauſis ad effectus vtuntur? Dicunt inſtinctu naturali, at inſtinctus eſt impulſus præuidentis ſapientiæ; ergo quoniam ab aëre patiuntur, ſentiũtque, ſciunt quid faciendum inſtat in aëre. Formica ab altera diſcit, formica ſicut nos, & ita conſulunt in futurum: neceſſe eſt eas vti voce, & ſe inuicem iumenta; & aues vocitare. Ergo diſcurſus habent, at nos ipſarum linguam non

perci-

percipimus, quoniam nec Polonorum, aut Indorum percipimus; omnes enim ſuo pronunciant quiſque modo. Canes tamen nobiſcum viuentes & ſimiæ bene addiſcunt linguam noſtram; nam in alias delati regiones linguam accolarum nõ intelligunt. Vidi Neapoli canem Polonum nil percipere linguam Neapolitanam, niſi loquentis Polonice. Verum pronunciare quod volunt, nequeunt, quoniam non habent organa ſimilia noſtris, ſicuti nos non poſſumus vti tuba, vt cythara; nec cornu edere campanæ ſonum. Pſittaci tamen palatum concauum habentes ſicuti homo bene diſcunt verba multa humana. In mari quoque inueniuntur piſces homines prorſus; & in Olanda & Luſitania viſi ſunt omnes humanas functiones obire; at linguam non diſcunt vt loquantur; nam extra aquam parum viuere poterant. Sunt Satyri & Syluani homines ſylueſtres, vt teſtatur Diuus Hieronymus in veritate, & profecto cum Tartaros & Æthiopes conſideramus, & loqui audimus ignotos ſermones; videntur rudiores noſtris equis, differentes moribus, & actibus noſtris humanis prorſus. Ita videntur alia nobis animalia abſque diſcurſu & iudicio, ſed omnia pollent ratione, alia magis, alia minus; ſicut inter nos euenit, quod multi homines videntur beſtiæ. Idcirco Ariſtoteles dixit non omnibus ineſſe intellectum. Quapropter videndum eſt, num homo ſit prorſus ſimilis beſtiis, & moriatur, & naſcatur ſicut illæ; vel in ſe habeat diuiniorem animam, & vnde hoc ſcimus.

Non quidem aſſero ſapientiorem, qui meliora organa ſenſus habet, multæ autem beſtiæ præſtantiora habent organa, & multi ignorantes viſum auditúmq; meliorem, quam Philoſophi habent. At non ita organa interiora neque ſpiritum ſentientem, iudicantem de ſenſibilibus; cum omnis ſenſus cognoſcat extrinſecum per ſe, reliquum per diſcurſum; & quia bruta ſentiunt extrinſecum & ad reliquũ diſcurrunt: Sicut ex motu in nocte hominem ſentiunt, die vero ex figura, reliquumque iudicant; diſcurſiua dicenda ſunt, id eſt, rationalia. At quia parum diſcurrunt vltra quod vident, & ſentiunt præſens, homo vero diſcurrit ad multa ſimilia Entia & actiones, & figuras, & virtutes, & vitia, & negotia, eodem in tempore, tũ ob meliora organa interiora, tum ob ſpiritum puriorem, lucidiorem & nobiliorem, & ob perfectionem, quam ſpiritus habet à mẽte immortali ipſi indita, vt nũc docebimus; euenit, vt homo dicatur rationalis, non autem bruta, non quia nõ ratiocinentur, ſed parum; ſicuti nec plantæ vocantur animalia, quoniam ſentiunt parum; ita & nos loquemur: Sed hominem rationalem mentalem intelligimus, bruta vero ratione ſenſitiua donamus, quam D. Thom. vocat æſtimatiuam: quæ per eſſentiam eſt ſenſus, participatione Ratio,

CAPVT XXIV.

De anima humana ſententiæ variæ.

COnſiderans Pythagoras omnes operationes homini conuenientes belluis quoque conuenire, ſenſum, memoriam, diſcurſum & intelligentiam ex præfactis exemplis in eis argumentando, incidit in opinionem, quod humanæ animæ ex corporibus noſtris ſolutæ in brutorum naſcentium migrarent corpora, & ex eis in noſtra pro meritis vitæ, vt iuſtitia eum monebat. Nã in formatione modo organorum differunt à nobis Bruta, & in his parũ. Sicut Anatomiſtę & Pictores peritiores bene intelligunt. Quoniã vero Animam veluti ſepultam in corpore eſſe vidit, & ſicut in carcere afflictam, coniecturauit aliquam ob pœnam à prima ſapientia iuſtiſſime omnia gubernante corpori eſſe alligatam. Plato putat eas in cœlo peccaſſe in aula Dei: Origenes hanc ſectatur opinionem, præſertim quia Salomon confirmare ipſam videtur dicendo: *Puer eram bonus, & cum eſſem magis bonus ſortitus ſum animã bonam, & veni ad corpus in coinquinatum.* Virgilius canit à Deo mille poſt annos in corpora eas prius tamen purgatas alibi, malorúmque oblitas, quæ hic paſſæ ſunt, quodã Dei ioco iterum mitti: Plato ludum Deorum hominem eſſe, animãq; immortalem eſſe, non ob Ariſtotelis ineptas rationes, ſed ob alias doctiores, & aſſentitur Pythagoræ & Timæo conterraneis noſtris, in trãſmigratione animarũ poſt decem mille annos. Eandem opinionem Eſſeni ſectati ſunt, & Phariſæi multi, proptereáque putarunt Ieſum eſſe vel Ioannem, vel Heliam, vel Hieremiam; & hodierno tempore Bracmani pleriq; & Cataini conſentiunt transmigrationi. Sed audio plurimos Indos opinari, nos eſſe ſimiles beſtiis, & organis tantũ aptioribus ad rectius operandũ nos antecellere. Ergo Epicurus regnat, magis autem inter eos, qui ipſum abominati ſe ſimulant. Hoc credũt Machiauelliſtæ & Politici aquilonares. De antiquioribus inuenio Herodotum admirantem, quod quidam animorum immortalitatem crederent, adeo tunc oppoſitũ verius vulgo habebatur. Eandem ſententiam plurimi Peripatetici Ariſtoteli adſcribunt, qui nimirum æternet ſolum intellectum agentem vnicũ in tota ſpecie hominũ. Quorũ opinio proſtrauit fidem, amicitiã, & probitatẽ, impióſq; facit homines, ſeipſos, id eſt corpus mortale tantũ amãtes: Ac Sadducæos prorſus fictitios. Vtinam apertos. Quoniã vero nõ vtilitas, nec honor generis humani perſuadere nobis noſtrã debet immortalitatem, vt ipſi dicunt, ſed veritas:

Ad examen deſcendam, quatenus huic libro conuenit. Alibi enim contra ſententias Nationum & ſectas diſſerui luculenter.

CAPVT XXV.

De immortalitate ac diuinitate hominis, eiuſque ſummo bono.

EFfectum nullum ſupra propriã cauſam eleuari poſſe, principium ſit nobis ad demonſtrandam immortalitatem hominis, diuinámque naturam. Id inductione patet. Genitus namque ignis plus facere non poteſt, quam calefacere, attenuare, mouere, albefacere & mollire per ſe, addenſare diſſimilaria; & quidem quod eius genitor ignis faciebat, aut poterat facere; Imoque nec vnquam eo pertinget, vt fiat qualis, quantúſq; ſol, vnde deriuatur; nec genita aqua operationes edit, aut meliores, quam aqua, nec tellus tellurem in agendo, & potendo excedit. Nec filius ſuperat patrem, niſi alia virtus illi ſuperaddatur, quæ in patre non erat, à ſtellis vel à Deo. Particulares enim cauſæ, vniuocæque, potius organa & modificationes primarum cauſarum ſunt, quam cauſæ; quod olfecit S. Thomas. At nos videmus hominem non quieſcere ſub natura elementorum ſolis, & terræ, ſed longe magis, ampliúſque ſuper ipſa intelligere & deſiderare & amare; operarique effectus altiſſimos ſupra elementa & filios elementorum, ergo ab his originem & dependentiam non habet; ſed à cauſa longe eminentiori, quæ Deus nuncupatur. Ecce quando homo meditatur, extendit cogitationes ſuas ſupra ſolem, & deinde ſuperius, & deinde extra cœlum vagatur, & tandem infinitos extra mundos intelligit, ſicut & Epicurei ipſi intelligunt, ponúntq; in veritate. Ergo infinitæ cuiuſpiam cauſæ homo ſoboles eſt, non autem ſolis & terræ tantũ, quos in infinitũ excedit, ſuperegreditur & ſupereminet. Ariſtoteles reſpondet vanam imaginationem eſſe tanta ſuperexcogitare in altum. Ego autem cum Triſmegiſto inquam beſtialitaté eſſe, animã vilificare, & curuare deorſum ad ima & paucáq. Et quidé reſpondeat mihi oportet ille, vnde hæc infinitas, immenſitáſque? ſi reſpondet ex ſimili mundo, multos conſimiles excogitari, ſicut ex vno homine infinitos perſimiles intuemur diſcurrendo in infinitũ. Ego autem, hunc progreſſum de ſimili in ſimile abſque fine, eſſe actũ virtutis participantis infinitatem; & quamuis beſtiæ de ſimili in aliud ſimile diſcurrant, hoc euenit quoniam omnes cogitationes modique cognoſcendi ex prima ſapientia deriuantur, tam nobis aliiſq; entibus; idcirco inter ſe mutuam habent ſimilitudinem, ſed alia celſior, alia hu-

milior. Nec enim quia ens vniuocum eſt aëri, terræ & ſoli, quin etiam Deo, vt docet Scotus Theologus, ſol non excedit terræ nobilitatē ſine fine. Nec quia homines ſapientes ſunt, & Deus ſapiens eſt, non ſit Deus abſque comparatione & ſine ſapientior homine. At quomodo potuiſſet ſol largiri infinitum diſcurſum homini ſupra ipſum ſolem, ſi tota humana anima ſpiritus ſit à ſole ingeneratus? Animalia tam altiſſimo non pollere diſcurſu palam eſt, quoniam ex eiuſmodi diſcurſu orta eſt ſcientia de Deo infinito, cui & ſacrificia & Templa & ſacra doctrina dicantur, quæ apud Bruta non etiam extant. Et quamuis alia adorent lunam, alia ſolem, aliâque alias res; vt Elephanti & Galli admonent, non tamen vſque ad Deum infinitum religionem ſuam erexerunt, tametſi non inopinabile ſit apibus, animalibuſque gregalibus ineſſe cognitionem Diuinitatis confuſam; Omnia enim Entia amant bonum & confuſe omnia primum bonum, ſummumque perſentiunt: Aſt hæc ſcientia de infinito in hominibus tantum ex operationibus manifeſta eſt, & miraculis, vt patebit.

Præterea nullum Ens operatur fruſtra ſuas potiſſimas operationes, ſed omnia ad certū naturę finem eas dirigunt. At homo habet tanquā nobiliſſimas potiſſimáſque operationes religionem & ſcientiam, quæ præſtarent potius moleſtiam vitæ corporali, quam vtilitatem, niſi alia illi vita conueniret, & anima cum Diuinitate non communicaret; cuius rei fidem faciunt homines innumerabiles & ſapientiſſimi, & ignorantiſſimi, omniſque conditionis, qui ſparſo ſanguine, miraculis, prophetia, feruore ſpiritus, & certitudine aſſertionis abſque hæſitatione, non captantes honorē, ſed ſpernentes illum, & omnia bona præſentis vitæ, & vitam, notum fecerunt mundo & comprobauerunt, ſeſe colloquio Angelorū & Dei potitos eſſe, & vidiſſe oculis & mente, beatitudinem inæſtimabilē poſt hanc vitā ab eis floccipenſam, nos manere.

Profecto cunctis hominibus religio eſt naturalis, nā in aduerſitatem aut fortunam felicem incurrentes extemplo in cœlum erigunt vultū aut petendo auxilium, aut gratias agendo, quam ob rem ſacrificia & oratoria inuenta ſunt: ſed apud alias nationes aliter, prout fert varia commoditas regionis, aut varia opinio de rebus diuinis: ſæpeque error adeſt in modo, aut in re, quippe cum omnes putent ſe Deum colere verum. Hoc autem ſignum eſt hominem cum ſuperis communicare. Si quis autem neget hiſtorias ſanctorū, ipſe negabitur; quoniam & Romam eſſe quam non vidit, & Cæſarem fuiſſe, & mirabilia, quæ in nouo orbe alij vident, negabit in proteruia ſua.

Præterea nullius Entis natura cogitat, tractátque ea, quæ ſibi naturaliter non conueniunt, ſed omnes ſeruari ſtudent in illa, quā habent vita: at homo non contentatur vita præſenti, ſed aliā cogitat, ſummóque ſtudio requirit, omnémq; ſuffert laborem vt ad ipſam vel cognoſcendam perueniat? Longe vaniſſimam homini curioſitatem natura

dediſſet, ſi hæc quam tantopere inquirit, vita ſibi poſt mortem non conueniret. Natura autem in vanum non operatur; nec tam extrema deſideria cæteris largitur animalibus. Ergo deteriora Entia melioris eſſent conditionis, quam meliora.

Præterea appetitus hominis infinitus eſt; non enim ſufficit illi prædium vnum, nec ciuitas vna, nec regnum vnum, nec mundus vnus: Cum Alexander Magnus doluerit, quod non poſſet ex hoc mundo transferri ad ſubiugandos Democriti mundos. Hæc autem cupiditas nemini non ineſt: Hæc ergo indicat obiectum naturalis appetitus eſſe ipſum infinitum. Quamuis ignis abſque fine comburat, omneque Ens abſque fine viuere vellet, vnde videri poſſet ab igne hæc cupiditas in nobis ſuboriri: Non tamen hoc niſi infiniti Dei veſtigium in illis indicat; in homine vero imaginem & virtutem diuiniſſimam. Non enim homo illis operam impenderet deſideriis, quæ ſatiare non poſſet, cum bruta paſculo vno contententur, iumentoque vno ad generandum: nec pluſquam ſufficit, requirunt, licet ipſorum calor robuſtior ſit, quam humanus, ſicut in leone & ſtruthione: qui diuinitatem & æternitatem maiori ſtudio quam homo, ſi calor ignis eſſet cauſa infinitatis, & quælibet entitas, quæritarent, neceſſe eſt.

Porro ſapientes plurimi conſiderantes hominem tota terra & rebus eius ſatiari non poſſe, modum inueſtigarunt erigendi ſe ad primam cauſam per religionem, omniaque mundi bona, tanquam exigua & inania deſideriis ipſorum ſpreuerunt. At quomodo potuiſſet in mentem hominis cadere quod ſit immortalis, niſi ipſe in re abdita cognitione hoc nõ cognoſceret, aut à Deo nõ didiciſſet. Hæc quoq; deſpicientia corporis, & fiducia in natura animi, vitaque meliori idem confirmat, & licet amiſſus honor, aliaque bona ſine quibus viuere non confidunt, impellat animalia, homineſque multos ad necem voluntariam; non propterea ratio noſtra fallitur: Si enim diffidentes in nobili ſe poſſe vita viuere, vt Cleonimus, vel commoda, vt M. Antonius, vel delicioſa vt Sardanapalus, ſibi necem conſciuerunt, quæritando tamen aliam vel in fama vitam, vel in ipſo eſſe, non enim annihilantur, ſed mutant eſſe. At Philoſophi, religioſique præſtantiores ſpreuerunt præſentem vitam, & diuitias & commoda & honorem, non propterea quod ipſis frui prohiberentur, ſed tanquam res viles indignaſque ipſorum animi ſcientia, & deſiderio generoſo; allecti ſane pulchritudine rerum diuinarum, quas Philoſophia & reuelatio ipſis conuenire docuerunt.

Præterea homo naſcitur nudus, inermis, iners, plorando, nec lactare ſciens, nec manducare nec ambulare, nec ſe regere aut ſibi opem ferre, cætera vero animalia veſtita ſquamis, aut plumis, aut pilis, armata dentibus, cornibus, ſpinis, vngulis, roſtro, ſubitoque ſciunt ambulare, manducare, ſibique prodeſſe. Nihilominus breue poſt tempus homo

ſuperat animalia, veſtitur ipſorum pellibus, carnibus veſcitur ipſorum: ipſa domat & ſuperæquitat, eorum armatur armis, & viribus vtitur, tanquam propriis, & laboribus in arando & portando, veſtitur etiam auro & argento ac ferro. Natat in mari cum piſcibus, volat in aëre Dædalus; pedibus terram perambulat ſuis, & animalium; & mundum peragrat in aquis, ſuperbiſſimos vincendo fluctus, feroſque ventos, tanquam maris Dominus; metalla omnia ad vſum proprium domat extendit, figurat, tractat; nec minus lapides. Arboribus vtitur ad ædificium nauium, ſedium, arcarum, tectorum, & ad ignem; earum fructibus veſcitur, foliis vtitur & floribus in deliciis & medicina. Mõtes ſyluaſque & lapides commodis ſuis aptat, animalium greges & plantarum regit ſibi. At quæſo, quodnam ex animalibus robuſtioribus ſagacibus poteſt ea facere, quæ facit homo inermis, nudus, debilis, timidus? aut minimam iſtorum partem? Sed forte ais, apes Remp. habent vt homines, Elephanti religionem, araneæ retia tenuiſſimè elaborata, quæ non facit homo, alia nidos, alia bellum bene tractant; ego tamen, inquam, quæcunque alia faciant animalia, fieri ab homine, multoque plura & præſtantiora, non præſtantia graduali tantum ſecundum magis & minus eiuſdem ordinis rerum, ſed ſuperioris ordinis. Homo fert leges, ſcribit ſcientias, inſtituit Reſpub. ciuitates ædificat, templa, religionemque Deo; medicinam longe diuiniorem quam canis, Hipopotamus & Ibis: quodlibet quidem genus brutorum vno tantum in opificio excellit, homo tamen in omnibus ſuperexcellit, retia fabricatur vt aranea ad captandas aues & lepores: cellas vt apes, militiam vt grues & piſces: exque omnibus exemplar ſumit & meliorem reddit omnem ipſorum induſtriam & artem. Ecce ſuperat ipſe flaccus Elephantorum vires ingentes, cogitque ſuperuectare turrim ligneam hominibus plenam, domat iubetque illis, ita & ferociſſimo leoni: occidit manducatque immenſa cete.

Quid vltra dicam? Nullum animal licet manus habeat, & ſimia, & vrſus, ſcit igne vti, nec tractare, nec à ſole accipere, ex lapidibus excudere, accendere, & cum ipſo mitigare metalla, montes demoliri, epulas coquere; fulgura & tonitrua & fulmina, ſicut facit DEVS in aëre, ita homo per artilleriam facit; & quod admirabile eſt valde, facit de nocte diem in candelis & oleis accenſionem nutrientibus tam mirabili arte, & quidem vtitur igne, tanquam viliſſima re ſibi comparata. At ſi homini alia non ineſſet anima, niſi ab igne, poſſetne ſpernere tam nobiliſſimam potentiſſimamque naturam parentem, quam non audent bruta contingere, nec aſpicere, multæque adorant nationes. Ars tractandi ignem homini vni, vt propriiſſima conuenit; præterea ſcripturæ ſenſum & linguam dare, & horologiis temporum doctrinam; & magnetis vſus ſpectantis polum, inuentiones ſunt diuinæ prorſus animæ.

Præterea Aſtronomia patefacit magis hominem cœleſtem eſſe: ſurſum aſpicit, ſtellarum magnitudinem metitur numerat. motus, & quæ minime videt fingit, per epicyclos & excentricos, ſuoſque numeros tanta ratione abſoluit, non modo ſicut cognitor, ſed ſicut faber cœli. & quamuis variæ & plurimæ ſint hominum de his nutanteſque opiniones, nihilominus ex his oſtenditur ipſius diuinitas, quæ tot incedit viis ad creatoris ſui cognitionem. Item quod mirificum eſt, inuenit quando fiant luminarium Ecclipſes, quas prædicit multis ante temporibus, & coniunctiones & aſpectus ſtellarum omnium, naturas, nomina: Cometas, ſignificationes, influxus, quid portendant in terra, in aqua, in aëre. Tempora nouit ſolſtitiorum, æquinoctiorum, & ipſorum mutationem, licet pigerrimam & inſenſibilem, vt & apogeorum & excentricitatum, quæ ad amuſſim quadrant. Et quando Deus aliquid in cœlo variat, homo animaduertit, & notat anomalias, & irregularitates earum: ſemperque nouas condit tabulas & indices rerum diſtantiſſimarum. & argumento præſentiſcit mortes & vitas non modo hominum & animalium, Rerumpublic. Regnorum, imo & Mundi ipſius per ignem perituri. Animalia vna cùm homine intra mundi ventrem manent, ſicuti vermes in ventre hominis, qui hominis vitam, & animam, & naturam ignorant: at homines verò duntaxat ſoli animaduertunt quid ſit hoc animal magnum, id eſt, mundus eiuſque principia & curſum & vitam & mortem quæritant, noruntque. Ergo ſolus homo extat inter animalia in ventre mundi, tanquam admirator & vicarius primæ cauſæ rerum omnium opificis. Præterea homo communicat cum Angelis & Dæmonibus & Deo. Hoc autem negare imprudentia eſt, non ſecus ac ſi quis negaret Romam eſſe, quia ipſe non vidit, aut nunquam fuiſſe in mundo Cæſarem aut Alexandrum, quia ſuo tempore non ſunt. Iamque tot miraculis & ſanguine proprio fidem faciunt omnes gentes, nedum opera mira naturæ vim excedentia. Argumentum Ariſtot. (in lib. de mundo) ſtultum eſt quo ait, Deũ per ſe poſſe omnia agere, ideoque non indigere miniſtris Angelis & Dæmonibus, ſicut Rex Perſarum, quando multitudo miniſtrorum eius imbecillitatem oſtendit: ergo Angelos non eſſe: ſi enim argumentum valeret, neque ſol & ſtellæ & mare oportuiſſet exiſtere, quoniam Deus poteſt de ſe illuminare & liquidum eſſe ipſorum loco. Aduerſatur etiã ſibi Ariſt. nã Angelos motores ſpherarum fruſtra ponit, ſi Deus poteſt omnes mouere ſpheras. Periculum alij fecerunt; mihi vero nõ obtigit niſi dæmonũ, qui conati ſunt per amicum deceptum ab eis, ſuadere mihi transmigrationem animarum & in homine liberum arbitrium non ineſſe, aliaque multa; & prædixerunt euentus plurimorum partim verorum, partim falſorum. Nec eos in corporibus humanis clauſos vidit amicus: ſed apparitione euidenti, quod nunquam intellexiſſem, præſertim eſſe illos ita nequam; & rogaui

Deum; vt mihi Angelos quoque oſtenderet bonos & adhuc non impetraui: At Diabolus dixit illi, omnes eſſe bonos, alios magis, alios minus; eiuſque dolos percepi & ſanctior inde euaſi. Nec experimentum narro imperiti, timidi, vel mendacis hominis. Vtrumque enim vitaui ſemper ſedulo ſicut peſtem diram, poſtea multas aliorum experientias habeo: qui increduli pridem ex ipſorum viſione & allocutione mutati ſed in melius. Vnde concludere licet, quod veluti dæmones cum hominibus conuerſantur, Angeli quoque conuerſentur. Hoc autem indicium eſt magnum, quod de corpore egredientes animæ ad ſocietatem bonorum aut malorum Angelorum aſſumantur, quibus ſimiliores facti ſunt in operibus vitę huius: alioquin quid prodeſſet illis curam noſtri ita gerere, & nobiſcum commercia inire? Innumeræ ſunt nationes idem teſtantes; tametſi negent nonnullæ animorum immortalitatem. Præterea argumentum IESV CHRISTI contra Sadducęos pro immortalitate animorum nemini non perſuadeat. Si enim Deus comparuit hominibus multis, ſeque Patrem hominum declarauit, ſicut Abraham, Iſaac, & Iacob, indicium eſt nos ad Deum pertinere poſt mortem. Neque enim noſtri tantam gereret curam ſempiterna morte deſtruendorum; Ideo Dauid Pſal. 8. exclamat; *Domine quid eſt homo, quod memor es eius?* & alibi: Pſal. 143. *quid eſt homo, quia innotuiſti ei? Homo vanitati eſt ſimilis & vmbræ* (ait) iuxta præſentem vitam. Nihilominus *conſtituiſti eum ſuper omnia opera manuum tuarum*, &c. Ita Chriſtus concludit contra Sadducæos. Deus eſt Deus viuorum & non mortuorum, ergo (quaſi dicat) declarando ſe Moſi, quod ſit Deus Abraham, Iſaac & Iacob, neceſſe eſt Iſaac, Abraham & Iacob viuere poſt mortem in Deo. Tanta enim affinitas eius cum hominibus nimia eſſet. & ſtulta, ſi paululum victuri, & perpetuo morituri eſſent. Qui autem has, aliaſque neget viſiones & teſtimonia Sanctorum & ſapientiſſimorum hominum, in ancipiti dolore ſemper verſatur; ita etiam poſſet omnes negare hiſtorias quas non vidit rerum. Hoc in libro præſuppono Deum eſſe & intelligentias abſtractas, & ſcientiam extare & ſenſum, ſaltem in animalibus; quo poſſim demonſtrare ipſum in cæteris Entibus. Nam bene noui Scepticos, qui ſcientiam eſſe negant, & Epicureos, qui negant Deum eſſe, parum his rationibus aſſentiri; ſed in Metaph. & in Antimachiauelliſmo has præſuppoſitiones demonſtraui contra omnes contradictores. Ariſtotelem autem dicentem Deum non habere cum hominibus amicitiam, quoniam non eſt proportio finiti ad infinitum, maieſtatem, non bonitatem Dei conſideraſſe.

CAPVT XXVI.

PRÆPARATIO AD IMMORTALITATEM animi lucidandam.

Omnia Entia eſſe & operari tanquam inſtrumenta primæ ſapientiæ, ſummumque bonum eſſe in æternitatem conſeruari, omniaque hoc appetere, & ſuo conſequi modo.

VT autem ſubrepentes non lateāt errores, nouo facto principio, inquam; Ens quodlibet proprium appetere bonum; magis autem magis bonum; maxime tandem prorſus maximum. Deinde inuenio maximum Entium bonum eſſe conſeruationem in vita & eſſe ſi poſſent, æternum. Itaque calorem, oppugnare frigus frigusque calorem, & ſtudere omnia ſuam multiplicare Entitatem, & inimicum extinguere, vt in tuto vitam reponāt; ideoque ad locum ſuum ferri ſingula, vbi tutius meliusque viuant, ignem ſurſum, & aërem ſuper ſolum, aquas, ad mare, homines in ciuitates: & cibum omnia quæritare; vt enim ſeruet vitam lupus, occidit pecudes, omniaque animalia innocentia. Pecus occidit herbas, & plantas, aliaque animalia; Homo vero omnia in ſui commoditatem. Vtque ſe ſeruent plantæ, fronde veſtiuntur, filios pariunt, vt viuant in illis, dum in ſe moriuntur, ita & feræ armantur cornibus, ſicut plantæ ſpinis. Atque in omnibus fugam odiumque mortis amoremque vitæ comperimus. Conſeruatio igitur ſummum bonum eſt rerum omnium; Eius enim gratia operationes, inſtrumenta, & partes, & actiones, rerum eſſe probantur, vt in Metaphyſic. patefecimus. Spatium, Entia locans inuenio primum immortale, quia nulli eſt contrarium; omnia recipit, baſiſque eſt omnis corporeæ Entitatis creatæ, quæ non niſi in eo ſubſiſtere poteſt, aut viua aut mortua.

Deinceps materiam immortalem inuenio, quoniam non habet cōtrarium, omnes ſuſcipit formas; ſique diuiditur, aut coniungitur, aut rareſcit, aut denſatur aut caleſcit, aut frigeſcit, eadem ſemper eſt in ſubſtantia, non autem in apparentia. Nam talis eſt, quales in ipſa formæ; attamen dici mortalis poteſt magis, quam ſpatium. Poſtea vero inuenio calorem & frigus, principia actiua rerum viuere non poſſe niſi

in materia; & mutua ſe pugna perſequi, vtri dominari in ea conueniat; quoniam vero mortales ſunt, ne penitus extinguerentur, dedit illis Deus virtutem diffuſiuam, multiplicatiuam, generatiuamque ipſorum. Ita quod miraculum apparet, quantopere amplificentur calor & frigus, vbi dominari datur; & quomodo ille à ſole in terram, hoc autem à terra ad cœlum expandantur, & amplificentur; & quidquid agunt conſeruandi ſe cupiditate atque æternandi agunt. Hanc vim amplificatiuam locus, materiaque non habent, quoniam mortales non ſunt, extantque ſicut baſes rerum.

Inuenio deinde lapides, ac metalla ad ſua cognata deſcendere corpora; & vbi naſcuntur, amplificari augerique conuertendo in ſe fluorem terreſtrem fierique montes altiſſimos; qui profecto fieri ſubito non potuiſſent, ſed temporis diuturnitate, ſicut oſſa creſcendo; hæc tamen vi generandi alios lapides, aliaque metalla carent, quoniam dura conſtant materia diu renitente frigori, calori, & iniuriis, nec ideo indigent amplificatione, & vita in alio ſimili, nec ingenium ad hoc in eis comperitur. Plantæ autem quæ patibiliores ſunt aptioreſque ad mortem, propagant ſe & germinant, prolificantque, vt in ſimilibus viuant.

Dehinc eleuantur ab innato calore, & ſole adiuuante flores fructuſque edunt, ſemina vitæ; qui cadentes humi putreſcunt, nouaſque producunt plantas; vtque ſemina ſeruentur cingunt oſſe & pulpa; foliis defendunt à calore & frigore, & ſpinis ab animalibus, quantum poſſunt. Animalia verò, tenuiori ingenerata ſubſtantia donata, agitantur, ſeparanturque à corpore, in quo naſcuntur; quia non ſufficit illis terreſtris cibus, vti plantis; ac ſeſe induunt varios cortices, teſtas, ſquammas, pelles, armantur cornibus, vnguibus, dentibus; & quidquid habent & operantur, ad vitæ conſeruationem ſpectare conſpicitur. Nec ſuperfluum in eis inuenitur, nec deficiens quidquam; ſicuti qui rite inſpectant, cum ſtupore fatentur. Mirabiles Elephantorum proboſcides Galenum (17. de vſu part.) exclamare cogunt in laudem Dei: quem ſemper negarat.

Anatomia teſtatur non poſſe deſiderari, nec auferri oſſiculum, aut fibram, quin fabrica non deprauetur, tota quidem ad conſeruationem ordinata. Quoniam vero hæc ita ſe habent, dubium eſt mirificum, quiſnam ſit architectus ipſorum & vbinam ars tanta hoſpitetur. Sitque ne in homine portio ad aliam ſpectans conſeruationem quam præſentis vitæ; profecto aut fatendum eſt Deum immediate hæc omnia fabricari, aut numen aliquod nobiliſſimum, habitareque in ipſis diuinam animam, regereque; neque enim regere quis nouit opificium quod ignorat.

Quapropter exiſtimat Virgilius mentem extare infuſam per artus mundi, totam agitare molem, hæc omnia formare corpora, & anima-

re & ad ſuos producere fines. Idem Lucanus cantat & Stoïci docent. Non enim ſtupidæ virtutis opera apparent eſſe, neque animæ belluinæ, nec humanæ, ſed longe ſapientioris; intellectuque diuino altiſſimoque regi apparent.

Admiror equidem hominem tanto præditum ingenio, animamque eius regentem corpus, nec tamen ipſam ſcire, qua ratione regat. Fiunt intra nos tot concoctiones, ſeparationes, aggregationes, nutrificationes, aſſimilationes, nec tamen intelligere poſſumus, quomodo fiunt; & quidem nos ipſi, qui animæ ſumus, hos actus operamur, nec tamen noſtra opera, nec operationes noſtras ſcimus. Nec poſſumus corpus aliud fabrefacere inſtar noſtri: Et quamuis anatomias plurimas conſpectemus, minus tamen ſcimus.

Præterea dubitamus quid ſit anima. Et quidem nos ipſi dubitantes ſumus anima. Corpus enim diſcurrere neſcit cum ſit craſſum, ſed ſentire tantum præſentes, robuſtoſque affectus. Atque ſi nos ignoramus nos ipſos & corporis fabricam & regimen: neque enim ſcimus qua ratione mouemus illud, num ſpiritus neruos intercurrat, aut facultas, vnde oriatur motus; cum tot quęſtiones hac de re inter Philoſophos controuertantur: Ergo dicẽdum videtur aliam ineſſe cauſam, quę nos regit, ducitque in fabricando corpore. Itaque brutorum animas & plantarum ab alia cauſa inſtrui regique: omnemque animam manere intra corpus quaſi cœcam, vel in tenebris, ita quod non videt ſeipſam, neque opera ſua, veluti ſi ego in tenebris ſcriberem hoc folium, & alter in luce manens meam regeret manum; ego tunc non viderem meipſum, neque id quod ſcribo. Ac mox per feneſtram proſpicerem interrogando alios viatores, quid ſum ego & quomodo ſcripſi; ita per oculos & aures explorat homo extrorſum quid ſit anima, & quomodo corpus regat, & quidem ipſemet eſt anima, qui de ſeipſo quæritat, interrogatque. Profecto tanto corpus artificio mouet anima, quod mille ſyllogiſmis non intelligitur, nec imitari poſſumus; ipſa vero ſubito abſque negotio & ſyllogiſmo has actiones & opera mirifica edit. Iamque in ſuperioribus ſermonibus declarauimus calorem fabricare animal & plantam, ſiue animam aliam. Ergo fateri cogimur, naturam omnem eſſe rationaliſſimam ac ſapientiſſimam in faciendo ac dirigendo opera propria ad finem. Animamque humanam, licet ſapientiſſima animatorũ ſit, & ferarum & plantarum, non tamen tanta pollere ſcientia, quanta architectus opifexque paruæ plantę. Si autem calor eſt opifex, animaque noſtra calidus eſt ſpiritus, cur & quomodo ignorat ipſe quæ operatur, & quomodo in nobis & in aliis rebus? O Prima ſapientia illuſtra nunc mihi mentem, vtque intelligam te, ingredere in me, aut inſtrue magis. Proculdubio ſapientia prima mens altiſſima rerum omnium eminenter eſt intra res omnes, omneſque res intra ipſam nec ipſa commiſta, retentaque eſt: Sed

abſque motu mouetur velociſſime à fine vſque ad finem, omniaque operatur ſicut princeps agens; omniaque agentia ipſius ſunt inſtrumenta; errores vero inſtrumentorum ſunt, non illius: At reſultant in laudem illius. Igitur ipſe Deus, qui eſt Prima Potentia, Prima Sapientia, Primus Amor, largitus eſt rebus omnibus potentiam viuendi, & ſapientiam, & amorem, quantum ſufficit conſeruationi ipſarum, in tanto tempore neceſſariæ, quantum determinauit eius mens pro rerum regimine in toto Ente, nec præteriri poteſt. Calor ergo poteſt, ſentit, amat eſſe; ita & res omnis; cupitque æternari ſicut Deus, & Deo res nulla moritur, ſed ſolummodo mutatur, ſed altera alteri videtur mortua; & vere mortua eſt illi: ſicut ignis videtur malus frigori, & vere eſt illi malus, ſed Deo omnia bona ſunt. Ergo quando calor occluſus intra craſſitudines exhalare non poteſt, deficiente illi potentia, deficit etiam ſapientia: (Nam hæ primalitates, potentia, ſapientia & amor mutuo & ſimul ſe conſequuntur, vt in Metaphy. declaraui.) Ergo obliuiſcitur eſſe cœlum, fitque vnum cum materia, illamque organizat viuendi gratia: totque mirifica fabricatur inſtrumenta ad vitam compoſitam conferentia, rectus à prima ſapientia tam ſuauiter, & ita poteſt operari, ſicut poteſt & quantum poteſt ſcire. Neceſſitas & fatum cogit ipſum ad opificium conſtruendum, quod reſultat in harmoniam totius. Primaque cauſa opifex, cuilibet præeſt actui illius: quapropter non indiget plantæ natura, nec rei cuiuſpiam, inire conſilium, ſed virtus, quam illa ſapientia prima largitur in omni actu ſufficit illi ad perficiendum ipſum, & hic eſt inſtinctus diuinus, de quo loquuti ſunt, quos in primo libro reprobauimus; qui non fit ignoranter, ſicut illi putant, ſed cum ſenſu & conſenſu. Quoniam opifex natura omnis amat eſſe, idcirco Deum amat primum eſſe, ex quo omne pendet eſſe, & bonum videtur opifici ita operari & conſtituere. At Deus eſt primum bonum, per quod omne aliud bonum apparet bonum. Itaque incipit elaborare, & in tenebris ſua opera fabricare ſecundum primæ cauſæ influxum, in illa modificatum, & in regenda deinde planta aliove opificio regitur à potentia, Sapientia, Amore, Ente vno, & primo à quo omnia deriuantur. Omniſque actus rei omnis à primo actu originem ducit. Quapropter ſapienter Diuus Hieronymus (in Ep.) Deo adſcribit compoſitionem hominis in vtero, & mulier Maccabæa (2. Mac.) dixit, ſe neſcire homines fabricare, nec quomodo in ſuo ventre apparuerunt, loquendo ad filios. Nam reuera cauſæ vniuerſali & principali conuenit maiori certitudine effectus, quam particulari; ergo quando calor amplificatur, lapis creſcit, arbor armatur, ſunt actus omnes ſecundorum Entium, tanquam primæ cauſæ inſtrumentorum, quorum eſt modificatio, & contractio virtutis primæ immenſæ ac ampliſſimæ. Quando autem errant, permiſſio eſt ipſius cauſæ primæ, non autem actio;

non enim concurrit Deus primum infinitum Ens ad non eſſe, in quo conſiſtit peccatum & defectus. Ergo quando frigus occiditur à calore, Deus concurrit ad amplificationem caloris, non autem ad deſtructionem frigoris, nec ad paſſionem niſi per accidens, quatenus amplificat calorem, ſed permittit frigus ita pati, non præbendo ei vires pugnandi plures quàm calori, propter generationem melioris, vel meliorem corruptionẽ. Sique hoc conſideraſſet Caluinus, non feciſſet Deũ cauſam actiuam peccati, quod defectus eſt actionis perfectæ, & non actio ipſa. Ad peccatum enim morale non concurrit Deus per ſe, nec per accidens, quoniam eſt deuiatio à Deo optimo fine, quæ non eſt ordinabilis ad melius. Ad malum vero naturalium per accidens concurrit, quoniam poteſt ordinari ad melius, ad quod culpa moralis per ſe non eſt ordinabilis vt probat S. Thom. & nos in centone. Porrò ad actionem concurrit, quia eſt diffuſio eſſe, ſed non ad defectum eſſe, & ordinis, quoniam eſt tendentia ad non eſſe, quod repugnat Deo Entiſſimo. Vniuerſitas rerum ſenſum ergo habet quaſi radios ſolis ſapientiæ primæ; ipſáque regit huiuſmodi radios ſapientiſſimo quodam modo in omni re, quæ ſtupida videtur; Nam ſtupiditas rei eſt, ſapientia vero mentis primæ.

CAPVT XXVII.

Ex imitatione Auctoris naturæ, cognoſcitur homo illi conuenire.

NVnc aſſero aliam à ſpiritu ineſſe homini animam à Deo immiſſam, totque operationes excellentiſſimas edere ſpiritum ab ea perfectum, aptiorémque factum ad influxus diuinos. At nunquam eo peruenire, vt faciat opera, quæ forma vilis quælibet facit à natura inſtructa, niſi vbi natura & ipſe vtitur. Hæc natura eſt ars quam Deus rebus indit omnibus; vt ſuos ad fines perducantur: Eſtque intrinſeca cunctis, & conſtat Metaphyſicis primalitatibus, potentia, ſapientia, amore, ex quibus Ens omne conſtituitur, aliud magis aliud minus. Atque ad exteriores actus deinde hanc innatam artem extendunt, & qui ipſam melius imitari poteſt, diuinioris naturæ ingeniique particeps cognoſcitur. Quapropter diuiniſſima eſt hominis natura, quæ imitatur intrinſecam naturam animalium, omniúmque rerum in exterioribus artificiis; animalia autem imitari neſciunt quod in ipſiſmet ineſt, nec intelligere: Et quamuis homo plene non intelligit hoc ipſum, intelligit

tamen tantum, quantum ſufficit ad eius diuinitatem declarandam. Igitur ciuitatem ac domum fabrefacit ſimiles corpori: Caput refert arx vel palatium ſuperius; aulas fecit ſicut ventriculos cerebri anteriores, cubiculum interius, ſicut cellam occipitis; cœnaculum ſicut cerebelli ædiculam; Veſtes ac muros inſtar corij; ſtrata viarum & deambulatoria ſicut nerui; Aquæ ductus ſimiles venis, & arteriis: fontes ſicut iecur; fornaces & folles ſicut cor & pulmo; cloacas & ſcalphia inſtar veſicæ, lienis & fellis, & culi procul à naſo, ac principibus ædibus; Alembiccos inteſtinis fecit ſimiles: culinas ventri: promptuaria iecori; feneſtras oculis & auribus; molendina ori conterenti nutrimentum: ollas ventriculo, Aggeres ſpinali dorſo: ſellas natibus, Anaclinteria cerebro: puluinaria glandulis: peripetaſmata membranis; milites manibus: arma vnguibus, cornibus & dentibus exertis: loricā ſquāmis piſcium: thoraces conchiliis: equos aſinóſque ſuis cruribus: currus pectori & coſtis. Naues pectori auium, remos alis, gubernaculum caudæ: naualia, excubias, exploratores, auribus, oculiſque: lucernam ſoli: Bombardas fulmini & tonitruis, horologia ſphæris cœleſtibus. Tranſplantat, parátque viridaria inſtar ſyluarum. Generationem animalium & plantarum curat, ſicut natura mater: natat cum piſcibus, volat cum auibus & progreditur cum feris. Nec habet mundus, quod homo non imitetur neque intra ſe, neque extra ſe, inſuper adinuenit modum æternandi ſe per literas, & futuris & abſentibus loqui: & muſicam auium, & cœli imitatur, & polum ſicut magnes ſpectat, & Deum laudat, ſicut Angeli in choro, & templo ac benedictionibus: Tandem ambiere homines diuinitatem & Dij haberi voluerunt, & quamuis hoc grauiſſimum ſit crimen, nihilominus in homine diuinitatem eſſe indicat, & quod tanto abutentes dono in ignorantiam donatoris incidunt: At in eius gloriam bene vtentes poſſunt vere Deificari, ſicut oſtenderunt illi, qui mortuos reſuſcitauerunt: infirmos curarunt, per aërem delati ſunt, futura prophetauerunt, monſtra ferina & humana domuerunt ſimplici verbo, in Deo confidentes: & in cœlum volarunt. Hoc negare non feri & impij modo, ſed ſtulti eſt animi. At quodnam ex animalibus hæc imitatur, niſi paucula obſcure? aut facit tam mirifica? Porro ſi homo hæc facit, tanquam Dei inſtrumentum, ſequitur ipſum brutis nobiliorem longe eſſe, quippe cum nobilius organum ad nobiliora opera artifex tractet: Cum ergo ad ſupernaturalia opera homine vtatur Deus palam facit in homine diuinitatem inditam eſſe: Et quidem ſuperioris alterius ordinis, non ſuperioris modi gradus, atque in brutis.

CAPVT XXVIII.

Reſpondetur Pythagoricis, alijſque opinantibus de Anima humana.

REuertentes ad opinantes reſpondemus mentem primam operari omnia, ſed in rebus nobilioribus nobiliores effectus, eiuſque aſſiſtentiam recte nouit Virgilius.

Ponentibus animam mundi, dico, ſingulas res naturales propriis actionibus ſufficere: Cum omnis natura ſit ars diuina; & tanquam Dei inſtrumentum poteſt omnia operari præſtantiſſime abſque mundi anima. At num hæc exiſtat anima in mundo, ſicut in homine ſuperior Anima quoque ineſt, in Metaphyſic. diſputatum eſt; Deinde ad Pythagoram, inquam, non eſſe animam hominis exiſtimādam æqualem brutorum animabus, vt paulo ante rationes multæ declararunt; & cum deceret hoſpitium hominis commodius ac excellentius fabricatum eſſe quam brutorum, ideóque in illo liberius, & commodius animam ſuam diuinitatem oſtendere quam in his; quam ob rem Veſalius quoque admiratur, quod in Anatomia hominis non reperiat ipſe membrum, quod non ſit & in brutis: & in cerebro cellas eaſdem, quas in Gallinis inuenit. Vnde idem habitator eſſe vtriúſque videtur. Ego inquam, animam hominis non eſſe omnibus corporibus commenſurabilem; ſicut nec Melodia in ligone ſed in cithara fit. Nam pulices, pediculi, echini, oſtrea, ſpongiæ penitus differunt à nobis, nec poſſet eadem anima nos viuificare & illos: Nec anima Elephanti in pulicis corpore hoſpitari, quamuis incorporea inſtrumenta animæ humanæ ſuperioris ordinis artificem monſtrant, ſicuti Aſtrolábium, ſupra raſtri operatorem, oſtendit ſuum opificem. nec ex Aſtrolabio in raſtrum migrat Aſtronomia. Sique in beſtias migrant animæ, in plantas quoque migrent eſt opus, quæ animalia ſunt immobilia, ſicut demonſtrabimus: Et Pythagoras non ſecus ac nos illis tribuit ſenſum, quod valde abſurdum apparet.

Hoc tamē concederet Ouidius qui transformat homines in plantas: & tandem in ſaxa migratio concedenda foret, quoniam & hæc ſentiunt; Hanc etiam Ouidius concedit, ſed in pœnam purgatoriam. Diuus Gregorius intra glacies & ſaxa & balnea eas reperit; & corpus, ſed non anima vxoris Loth verſum eſt in ſal; ſed hæc ſunt iudicia DEI; nec ab homine percipi poteſt, qua ratione hæc fiant. Dicta quoque Pythagoræ religionem continent quandam, ſed certitudinem

nullam. Et in Eccleſia CHRISTI ſapientiæ Dei, hæreſis reputatur iuxta naturæ legem hæc opinio, niſi Deus per iuſtitiam hoc efficeret aliquando, ſicuti & Dæmones in corpora humana & brutorum ſæpe ingrediuntur. Authoritas Salomonis ſenſus myſticos claudit, ſed ad literam intelligitur ſic: Quod cum eſſet puer probus bene operando magis, ac magis ſortitus eſt animam bonam, quoniam ſemper perficitur & fit melior anima bonis operibus: & venit hæc anima bona, vel potius bonitas, in corpus purum. Nam praue compoſitum corpus vitioſúmque temperamento aut ſcelere, repugnat probitati, quam Deus paratus eſt elargiri: Cæterorum ſententias, quod peccauerint in aula Dei, & poſt mille quoſcunq; annos, aut poſt decem millia tranſmigrent, hic diſputandas non cenſeo; Oporteret enim diſſerere de periodis exorbitantiarum cœleſtium, & num mundus reſtauretur in nouam formam, ſeptem poſt millibus quibuſque annis, aut poſt 49. millia, aut poſt 25816. aut poſt 36000. ſicut diuerſi opinatores ſcribunt. Hoc autem in libro de Aſtrorum motibus, & in Metaphyſic. diſſeruimus. Hic vidiſſe ſatis, quòd rebus in omnibus inſit ſenſus, & homini anima belluinis longe diuinior. Tranſmigratio damnatur à Theologis, & Origenes, ſi hanc affirmat. Nec credo poſſe rationem demonſtratiuam afferri, qua Deus animas corporibus immittat, vbi captiuæ in carcere, & morte detinentur; vt Apoſtolus Paulus ſignificat, & Salomon, & Plato ac Triſmegiſtus, qui & corpus, portatile ſepulchrum appellat; & nemo ſapientum hoc non dicit. At dum conſidero ſpiritum à ſole ingeneratum corpus formare, & viuere in carcere, & in eo gaudere, ſicut plurimos vidi remigantes libenter in triremibus vitam ducere, alióſque in diutino carcere, quoniam pene obliti ignorant libertatis bonum, nec confidunt aliam inſuetam inire vitam quamuis meliorem: Nec Deum tantam Animalibus ſapientiam indidiſſe, vt mortem cupiant, ſicut homines, tanquam libertatis initium: Intelligere poſſum aliud nihil niſi Deum propter gloriam ſuam, & quaſi per ludum immittere animas corporibus, vtque ſibi ipſis merita comparent, dum quaſi intra vallum prælia ntur, & à Deo diſtantes ipſum recognoſcunt & reuerentur, & operantur omnia in gloriam tanto dignam patre. Figura quidem hominis cœlum ſpectans, non curua in terram ſicut belluarum, declarat cœleſtem animam hominis, cœlo inhiantem: ſicut Anatis collum factum eſt oblongum, vt ſub aqua vermiculis veſcatur, & roſtra ciconiarum longa, vt ſerpentes illæſæ captent, & proboſcis Elephanti, vt ſit illi manus non potenti flectere molem ingentem corporis: & os oblongum canibus ad venationem porrectum; omniáque animalia diſpoſita ſunt in figura ad proprium finem. Vnde Phyſionomia humana cum belluina communicat, & ex eis ſyllogizamus. Igitur homo natus videri debet, vt conſideret cœlum & diuina entia; Item Veſalio teſte, plus cerebri habet, quam

beſtia

beſtia quæcunque ingens,& cellas latas multorum capaces ſpirituum, animæ immortali deſeruientium, ſicut mox declarabo. Cõmerciúmque hominum cum ſuperis (nam bruta duntaxat pluuias præſentiunt & ventos, & indicia, quæ corporali vitæ opus ſunt, homo vero diuinarum notionum & alterius vitæ) oſtendunt, hominem natum ad intelligendum quæ ad aliam pertinent vitam, eamque illi conuenire; ſicut iſta Brutis.

Capvt XXIX.

Reſponſio & Epilogus operationum demonſtrantium hominis immortalitatem, ac diuinitatem.

AT vero ſi operationes animæ humanæ communes ſunt brutis, quænam oſtendet nobis ipſam ſeparari, ſicut immortale à mortali corpore, & non ſicut ſpiritus euaneſcat in aërem? Et cur moritur homo præ lætitia nimia: & à cicuta? omnéſque rationes, quibus ſpiritum paſſibilem, corporeúmque oſtendimus, & mortalem, contra humanam militant mentem.

Reſpondeo, quamuis intelligere fieret ſine organo corporali, vnde Peripatetici immortalitatem putant ſe probare, & quamuis anima non eſſet corporis actus, vnde alij idem conantur probare; Et tamen nec illi intellectionem ſine organo inuenerunt, nec iſti ſicut nautam in naui animam oſtenderunt; nihilominus animæ immortalitatem adhuc dubiam eſſe. Non enim quia nauta habet operationem propriam aliã à naui, non corrumpitur fracta naui, vel ſi ſeparatur ab ea erit ſubito immortalis. Arbitror equidem ſpiritum beſtiæ cogitantem ea, quæ à ſenſu accepit, non vti corpore, ſed propriis tantum motionibus, vel, vt dicunt ſimulachris: Nec tamen ideo eſt immortalis, nec quia reſidet vt Nauta, & ſeparatur in aërem, eſt immortalis: Nec quia ſeipſum mouet, vt Plato argumentatur: Nam licet non deſtituat ſeipſum in motu, tamen ab alio poteſt corrumpi contrario Ente, motuque priuari, vt igni contingit. Quapropter non operatio, ſed res operatæ, & modus, & Deus declarant immortalitatem. Quis enim ſciat num ſeparata viuat longo tempore, & poſtea moriatur? Sola igitur argumentatio noſtra, & ex Chriſti ſententia, & ratione inuicta confirmata, eius diuinitatem oſtendit. Quapropter quod eſt in Deo, in cunctis

eſſe rebus, alibi clarius, alibi obſcurius; Et licet animalia omnes operationes habeant, quas operatur homo, tamen adeo obſcuras eſſe humanis comparatas, quod bene certum euidénſque ſit, quod Deus reuelauit hominibus piis, ſapientibúſque, hominem eſſe immortalem. Ineſt quidē lapidibus, plantiſque ſenſus, ſed animalibus comparati inſenſati videntur; & oſtrea comparata Elephanto & homini, neutiquā videtur eſſe animal. Nihilominus animal aptum eſt eſſe amicum ſociúmque hominis, ſicut equus & canis, aliáque: planta vero minime, nec lapis; qui vſibus modo vilibus inſeruiunt, ita & homo aptus eſt amicus ſociúſque eſſe Angelorum, & Dei; belluæ autem minime. Aſſerebat Florentinus vir conſumptus in Theologicis, quo cum diſſerui olim, beſtias omnes in fine ſeculi, ſicut homines reſuſcitatum iri ad præmium, vel pœnam; Propterea quod Apoſtolus dicit; omnem creaturam ingemiſcere, & parere vſque adhuc, expectatéque redemptionem & libertatem à corruptione in gloriam filiorum Dei. Et in Apocalypſi ſcriptum eſt; omnes ſimul decreto communi conuenturas, dignum eſſe agnum aperire librum; cumque illi obiicerem de hominib. loqui Apoſtolos, qui cum omnibus ſymbolum habent creaturis, & de renouatione cœli & terræ, quorum corruptela gignitur noſtrarum rerum varietas; in ſua indureſcebat credulitate, quæ Indis multis etiam communis eſt; Cumque replicarem, ſtultum eſſe putare muſcas, cimices, oſtreas, reſuſcitatum iri, quæ quaſi nihil ſapientiæ habent, qua peccatorum rei & capaces meritorum ſint. Inſuper nec terram ſufficere inſtaurationi tot corporum, quot animalia mortua iam ſunt, cum quotidie moriantur milliones millionum, & tot generum, ita quod ſi terræ rotunditatem & craſſitiem metiamur cum Archimede, ac deinde cuilibet hominis corpori paſſum vnum terræ demus in latitudine, longitudine & profunditate, vel minus, inueniemus vix ſufficere reficiendis corporibus humanis tantummodo: Si exquiſita id ratione indagamus, mortuos cuiuſlibet prouinciæ quotannis numerando, & ſex fere mille annos, quibus durauit mundus. Nunc enim ſufficit, quia alia generantur è terra, alia conuertuntur in terram. Tunc Florentinus à ſua belluina ſententia in fauorem belluarum recedere cœpit, & qui ipſam tenuerunt Antiquiores ſucceſſiue & non ſimul refici, ſed alia ſimul deſtrui paulo declinantes abſurditatem, dixerunt. Sed de hoc in Metaphyſ. Quapropter nunc repetam, infinitam hominis intelligentiam, infinitúmque deſiderium & religionem; & ſollicitudinem non vanam agnoſcendi Deum, aliámque vitam, & mortis pro ſapientia diſpicentiam: & potentiam infinitam ad reſiſtendum ſponte tormentis: & victoriam ſupra paſſiones animales, certa eſſe indicia nobis illam conuenire, & reuelationes ſacras euidenter credibiles reddere. Iamque vidimus, Ens nullum procurare, niſi præſentem vitam, nec naturam largiri deſiderium quæritandi res non conuenientes quæren-

tibus. Nec beſtias illam curare, nec plantas nec lapides, patuit; & dominatum hominis ſuper omnia opera Dei inferiora, ab illius modo ſapientia dependere, illúmque vnum poſſe Dei opera in natura cuncta imitari, tanquam Dei diſcipulus naturalis. Eoque vti ſapientiam ad negotia altiſſima tanquam inſtrumento viuo, ſibi conſimillimo, capace diuinitatis & immortalitatis: ſiue enim à Deo ſiue ab hominibus hæc inſint nobis, palam eſt diuinæ naturæ hominem eſſe participem nimis.

CAPVT XXX.

Senſum eſſe cognitionem veram, abditam vel additam, memoriam languidam, diſcurſum extraneum, intelligentiam remotam, omnéſque communes eſſe menti humanæ ac ſpiritui, ipſámque huius eſſe formam & immortalem; Reſpondetúrque argumentis præcedentibus contra eius immortalitatem.

QVicunque veritatem concupiſcitis, audite; Sapientia eſt cuiuſcúnque rei cognitio certa, internáque abſque dubitatione. Hoc nomen à ſaporibus, quos ſapit guſtus, aſſumptũ eſt. Etenim per alia ſenſoria nos rerum qualitates extrinſecas ſentimus, vt aquæ frigiditatem tangimus, & piperis nigredinem videmus, quæ facies frigoris eſt, poteſtque frigus indicare innatum vt in terra; & in lilio ſuauitas odoratur. At guſtus attrito cibo, admiſſoque per ſpongiam, non modo vini frigus, aquæque externum ſentit, ſed etiam calorem internum, & piperis calorem acrem in aduſta nigrefacta facie latentem; & lilij amaritudinem craſſæ molis ſapit; & non ſuauitatem modo exhalantis tenuitatis.

Quapropter ſapere eſt certo & interius ſcire res, prout ſunt. Hinc ipſe inuenio, ſenſus in nobis certiores eſſe, quam quæuis notitia intellectiua, aut diſcurſiua, aut memoratiua, aut imaginatiua. Omnes enim iſtiuſmodi ſcientiæ a ſenſu naſcuntur, & quando incertæ ſunt, ad ſenſum recurrunt, vt certitudinem hauriant, & ab eo corriguntur, aut cõfirmantur: Ipſæque ſunt ipſemet ſenſus languens aut abſens, aut extraneus. Quæ ſenſu accepi, remanent in memoria, & cum obliuiſcor, aut dubius ſum, redeo ad ſenſum, & ſic recordor & certificor. Quæ au-

tem diſcurrendo cognoſco, nunquam vera eſſe prorſus affirmem,niſi ſenſus experientia confirmet vel diſcurſus ſenſitiuus. S.Auguſtinus & Lactantius & alij Antipodas non eſſe ſcientia diſcurſiua contenderũt. Nunc autem ſenſus Chriſtophori Columbi rationes ipſorum omnes emendauit,vanaſque oſtendit; & quot dicunt ſyllogiſmos Philoſophi de rebus, quas non cognouerunt ſenſu, corrigit idiota quicunque eas videt. Principia quoque ſcientiarum longa experientia inuenta ſunt; & licet ſciens reddat cauſam melius, quam expertus de rebus, hoc tamen facit in virtute principiorum ſenſibus experientium multorum populorum ſibi prænotorum,licet non ſuis. Expertus autem illas omnes non habet experientias. Ideo male arguit Ariſtoteles contra expertum hunc. Diſcurſus ergo eſt procedere ad notitiam rei ignotæ, per notitiam alterius rei ſimilis illi, quam notitiam oportet à ſenſu acceptam eſſe. At ſæpe fallitur, quoniam non omnes ſimilitudines propinquæ ſunt,Eſſentialéſque,ſed remotæ aliæ,accidentaléſque. Ita ratiocinatur Ariſtoteles ſolem ex eo , quod calefacit non eſſe calidum, cum & lapides non calidi percuſſi calorem emittant & ignem. Sed deceptus eſt ; quoniam non vidit lapides in ſua duritie calorem habere irretitum, quem laxati educũt : non autem in aëre percuſſo à ſole ita eſſe : nec num percutiat , inſpexit. Dixit aquam eſſe frigidam, conſulendo tactum & non guſtum certiorem ; nec operationes , candorem , tranſpicuitatem, & motum , conditiones caloris eius.

Quapropter multæ omnium ſenſuum ſenſatæ experientiæ faciunt ſcientiam, non autem vnica & vnius, ab illa argumentando , nam & ſenſus decipitur & ipſemet ſe corrigit per alias ſenſationes. Porro non diſcurrit, nec argumentatur homo de rebus certis , ſed incertis & ſuper certis fundat diſcurſum ; eas autem certas putat, quas expertus eſt ſenſu. Itaque ſenſus præcipuum lumen eſt, per quem videmus quæ latent in tenebris. Vnde ſyllogiſmi medium terminum volunt eſſe certiſſimum. At quando quid certo nouit homo per ſenſum, non quærit vltra rationes , argumentáque. Nemo nunc argumentis quæritat,ſitne nouus orbis, poſtquam à columbo inuentus eſt. Nemo quærit num ſol ſit lucidus,& homo moueatur, & ignis ſit calidus; Nam ſenſu patent. Sed quærunt cur calidum eſt piper & vinũ, quoniam tactui id eſt ignotum. Quapropter decipitur Ariſtoteles dicens ſenſum non reddere cauſam quæſtionum,ſicut ratio,vnde ipſum hac incertiorem facit, vel inſipientiorem. Reddere (inquam enim) cauſam eſt declarare vnde ſit quod incertum eſt; ſenſus autem certus eſt nec probationem quærit, ipſe .n. probatio eſt. Ratio autẽ eſt ſæpe incerta notitia , ideóque indiget probatione: & quidem quando probatio adducitur ex cauſa, ex alia ſenſatione petitur certa. Itaque diſcurrendo, cur piper eſt guſtui calidum ; Reſpondetur , quia naſcitur

in loco calido prope tropicos ex ambuſta tèrra. Hoc autem ſcitur per aliorum ſenſus, aut per conſimilem probationem aliarum rerum in locis naſcentium calidis; omniaque ſcientiarum principia inductione ſenſuum Ariſtoteles fundat, licet parum ſibi conſtet, & ex eis educuntur ſyllogiſmorum concluſiones; quas ob res ſapientiſſimus Deus nihil diſcurrendo ſcit; eſſet enim imperfectio multa; ſed per ſapientiam, quoniam rebus omnibus internus eſt, & omnes in eo; Angeli diſcurrunt, quoniam non omnino ſciunt, ſed ex notis argumẽtantur ſæpe ad ignota. Et D. Auguſtinus (lib. de diuinit. dæm.) Angelis non modo ſapientiam & dæmonibus, ſed etiam argumentum tribuit, & Scotus. At tam velociſſimi ſunt in argumenti concluſionem, quod abſque tempore fieri videtur. Ita ignis velociſſimus & ſagax ſubito eſt, cuncta penetrans & vrens. Vnde Dauid ad DEVM: *Qui* (ait) *facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.* Idcirco ſimilem ſibi ſedem habent cœlum. Et homines periti breui diſcurſu pertingũt ad id quod quærunt: Imperiti vero multo. Ego immoror in numerando aliquid nimis; mercator autem ſubito expeditur, quoniam numeris eſt aſſuetus. Hinc videre licet Ens omne ſeipſum noſſe, & non per diſcurſum; & opera quæ facit, per ſe abſque diſcurſu facere. Sic anima organizat corpus, mouet regitque: Planta quoque à propria abſque diſcurſu formatur anima, ſed ſolo ſenſu proprij eſſe, propriique boni: quo ſapientia omnia ad ſuos perducit fines; & mille ſyllogiſmi nunc efficere non poſſunt, quod ſenſus propriæ conſeruationis ſolus efficere in entibus potuit.

Quod autem me in ſtupore retinebat, qua ratione anima ignorat ſeipſam & opera ſua, nunc iterum ita ſoluo, quod anima omnis ſeipſam ſapit, quandoquidem tot artes operatur propriæ gratia vitæ, & amat ſeipſam. Amor autem ex cognitione naſcitur, ipſa autem ſe non cognoſcit diſcurſu; Nam diſcurſus rei dubiæ eſt, ipſa autem ſe natura, & per eſſentiam nouit; Cæteras vero res omnes diſcurſu, in quantum ſentit ſeipſam ab illis immutari, illaſque fieri; ergo tot quæſtiones, quib. quæritur, quid ſit anima, & quomodo mouet, ipſius exterioris ſenſus ſunt, qui in aliis inſpicit & per paſſiones addiſcit; non autem natiui ſenſus, qui eſſentialis eſt, & veluti peritus Cytharędus ſcit pulſare cytharam muſico ſonitu non cogitando, num tangenda eſt hęc, num illa chorda, & ſic vel aliter; ſed qui addiſcit, ita cogitat conſulitque; Sic & anima abſque conſilio ſe nouit, ſuaſque edit operationes, propria innata ducente arte, à prima pendente; Cuius tamen videtur oblita, quoniam paſſionibus exterioribus cogitur res nouas diſcere, & ex ſe in alteram veluti mutari. Vnde poſtea indiget per reflexionem redire ad ſui notitiam; Sic ego recito Pſalmos Dauidicos nil cogitando interdum de illis, nec quid dicam: Sed quatuor recito aut quinque abſque errore nil percipiens quid recitauerim. Nam inſpectio

aut cogitatio aut auditio aliarum rerum alio me rapit. Attamen quando addidici Pſalmos, cogitabam in eis. Ita omnis natura dum Entibus inditur à Deo diſcit quæcunque operatura eſt, & deinde incidit in ſui ignorantiam ob ſuperadditas paſſiones. Sic calor includitur in terra & obliuiſcitur à ſole emanaſſe: Domumque fabricatur, & inimico perſequitur odio calores cæteros domum ipſius ſoluentes. Deus autem vtitur huiuſmodi ignorantia, & obliuione ad multiplicationem Entium & durationem. Nihilominus perpetuo calor exhalat ſurſum ad cœlum ductus innata cognitione, non autem addito diſcurſu. Ita & anima humana ſemper ad Deum abdito ſenſu tendit natiuoque, quamuis ſuæ ſit creationis oblita, ob corporales ſuperadditos affectus, ſed ſicut calor à ſole, ita ferè & ipſa à Deo deriuatur. Gratias tibi Domine Deus, quoniam ad tui cognitionem me conuertis. Porro progrediens dico intellectum vti in peripato declaratur, ipſum quoque eſſe ſenſum communis, & conſimilitudinis rerum, non autem particularitatum; & imperfectiſſimam cognitionem eſſe, minoremque ſenſu & ratione, quoniam diſtans eſt, intueturque ſolum quod in omnibus patet, non quod peculiare eſt & patet; eiuſmodi ſenſus eſt puerorum & imperitorum, qui hominem & ſtellam in communi norunt, non autem ipſorum particularitates, maximeque proprius eſt belluis, quæ omnes homines eoſdem putant, quando neſciunt particularitates diſtinguere, ſed tantum communia intuentur, ſicut nos putamus, omnia oua eiuſdem eſſe gallinæ, & qui aleas deforis aſpicit, putat omnes eſſe æquales; & quando non ſimul, eaſdem. Sed qui intro inſpicit, ait, hæc eſt figura gladiorum, hæc paterarum. Qui autem callet artem ludendi dicet, hæc eſt monas gladiorum, hæc mulier paterarum, & tanti valet aut ſignat. Et procul videns dico, homo eſt, cominus eſt Petrus; Ergo intelligere vniuerſalis eſt ſenſus languidus, & abſens. Memoria vero eſt ſenſus ſopitus anticipatus; Diſcurſus vero eſt ſenſus extraneus ſiue in ſimili. Senſus autem ipſe ſapientia eſt, aut ſcintilla diuinæ ſapientiæ. Qua de re S. Petrus dixit ad Simonem Magum (dum iſte arguebat, quod Chriſtus ſi ſapientia erat Dei, debuiſſet prius in mundo innoteſcere, opemque nobis ferre, & non tunc quando incarnatus eſt,) ſemper in mundo innotuiſſe primam ſapientiam, omnibuſque rebus ineſſe, & eo argumento id declarauit, quod cum plantæ ſapienter ad ſuos fines producant folia, & ſpinas & fructus, animaliaque ratione regantur, pluuiæque & æſtus oportunis fiant temporibus, aliaque Entia ordine, & ratione conſtruantur, & regantur, ſequitur ſapientiam eſſe rebus in omnibus. Vbi enim eſt ratio, ait, ibi ſenſus & ſapientia, aperte docens ſenſum magis eſſe ſapientiam, quam rationem: Ergo S. Petrus anteponit ſenſum cognitionibus cūctis & cum Simon Magus oſtendere vellet alium eſſe mundum noſtro ſuperiorem mundo, aliumque Deum meliorem, ſapientioremque

noſtro, quando ſic ratio ſuadet, cum videamus tot mala & delicta præter ordinem rectum in noſtro mundo & eius regimine; quapropter aſſerendum videtur, inueniri mundum alterum meliorem, & Deum alterum meliorem. Reſpond. S. Petrus credere huiuſmodi rationibus abſque experientia ſenſuum eſſe furorem & vanitatem. Et Deum noſtri mundi largitum eſſe nobis quinque ſenſus, quibus cognoſcamus ipſum in operibus ſuis, hiſque ſenſibus & non diſcurſibus credendum eſſe; nam ſi alter melior Deus exiſteret, debuiſſet nobis ſui ſenſum dare, & experientiam cum ſit tam benignus, ſuper noſtrum; ergo meliorem eſſe Deum noſtrum, qui nobis ſenſus dedit, nobiſque ſe manifeſtauit. Ex hoc virtutem ſenſus noſſe oportet, Theologiamque ipſam vniuerſam fuiſſe manifeſtatam, ac reuelatam ſenſibus hominum. Et ſicut dicit S. Petrus in epiſtola 2. non fabulas & argumenta ſecutos eſſe Apoſtolos in prædicatione Theologiæ, ſed teſtes fuiſſe & ſpeculatores per viſum præſertim in monte ſancto. Et S. Ioan *Quod vidimus & audiuimus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ* (ait) *annunciamus vobis*; Omnis ergo ſcientia ſenſui innititur, non dico oculis & auribus, ſed ſentienti animæ in eis: Cum Paulus alienatus, & alij Ecſtaſin paſſi, tam multa diuinitatis viderint, ac neſciant vtrum in corpore vel extra corpus; & hæc eſt ſcientia intuitiua Scholaſticorum, quam dant intellectui à Deo indito nobis, & non inepte, ſed ſcientiam vniuerſalis cum Ariſt. indocte magnificant, cum ſit beſtiarum propria. Sed D. Bernardus & Theologi non Ariſtotelizantes ſcientiam diuinorum intuitiuam, & ex hac diſcurſiuam dant intellectui à Deo nobis immiſſo, & non illam operationem vniuerſale capiendi & abſtrahendi, quam Ariſtoteles comminiſcitur in eo, & tamen eſt in omni ſenſu languido, & eminus ſpectante. Legiſdoctores etiam teſtes requirunt de viſu, & non de diſcurſu loquentes. Aſtronomia ex apparentiis patentibus ad ſenſum orta eſt, omniſque ſcientia diſcurſiua ex præcedenti cognitione ſenſitiua Ariſtoteli fit.

Hic diuinam admirari licet benignitatem, quæ cum ſit homo interclusus in paruo cortice, & res ſentire non poſſit omnes cellas in capite illi ſpatioſas formauit, vbi ſpiritus commoditatem ſeſe mouendi habet, & ex notitia in notitiam diſcurrere conferendo ſimilia & oppoſita, quod plantis facere non datur, quia carent cellis. Beſtiis vero inſunt anguſtæ & non ita efformatæ, vt ſpiritus in eis valeat ita moueri, vt in homine. Ex quo factum eſt vt homo aptus ſit ad cognoſcendas res omnes, quas ſentire nequit, per diſcurſum. Quoniam vero plura & maiora & nobiliora diſcurſu & ratiocinio ſcimus, quam ſenſu, licet non ita interne & certe: Nata eſt opinio in mundo, quod diſcurſus ſeu ratio intellectuſque ſint cognitiones digniores & veriores; quæ quidem languidæ ſunt ſenſationes, ſed ita diuites, quod deificant prope hominem: Vnde nomen Rationalis habet, beſtiis dato nomine

ſenſitiui, quia non ita celeriter, & ad multa diſcurrunt. Ecce paruo circulo & quadrante homo cœli motus & ambitus & magnitudines omnium rerum & diſtantias metitur: Quod ſagaciſſima bellua non percipere poteſt: Ex præſenti enim ſenſibili ad pauca ſimilia diſcurrunt; nam licet meliora habeant organa exteriora, non tamen habent meliorem ſpiritum ſentientem, nec organa interiora noſtris meliora, nec Mentem perficientem operationes ſpiritus, qua ratione diſcurrimus facile, ad obiecta omnia, quoniam ſimilia omnia ſunt inuicem: Similia autem ſunt, quoniam ab eadem pendent cauſa potentiſſima, optimaque: Hinc adora primum numen, quod peioribus conditionibus ad melius vtitur.

Fœmina eſt imperfectus homo, eo quod non tanto calore prædita fuerit, qui foras genitalia propelleret, ſicut mas: Nihilominus hoc imperfecto vtitur Deus ad formationẽ hominum. Cholera eſt ſanguinis ſpuma, melancholia fex, ſputum vapor excrementitius, qui in oris cauo concreſcit in liquorem: Nihilominus effecit Deus vt cholera ſpiritum ſtimularet, in inteſtinis ad excernenda ſtercora, & melancholia in ventriculo, vt appetat cibum, quando vacuus eſt, ne moriatur animal. Et ſputum mollificaret linguam, ne loquendo exſiccetur, & cibum, vt ſubiret poros guſtus, & tranſmitti poſſit in ventrem. Hem! mirabilia ſapientiæ primæ.

Ita ratio ſenſus quidem eſt imperfectus, extraneus, & non proprius, ſed in ſimili; nihilominus per illam fecit Deus, vt omnia indagare, & ſcire poſſimus, licet non perfecte, Ratio tamen Mentalis dignior ſed non ſemper certior.

Cum ſentio ignem paruam illius portionem tango ſentioque, & in hoc conſiſtit ſapientia; ſed ex illa parua portiuncula ratiocinor de natura totius ignis, & hic diſcurſus certus eſt de Eſſentia, non de quantitate: ſed cum cogitamus DEVM inuiſibilem ex aëris inuiſibilitate eſt incertior diſcurſus, quoniam ſimilitudo non eſt eſſentialis. Quas ob res qui patibilior eſt molliorque, aptior eſt ad ſentiendum, & comparandum luculentiorem ſapientiam; qui durior eſt minus patitur, minuſque eſt aptus ad ſcientiam, & quidem minus indiget. Quare animalia imbecilliora ſæpe ſapientiora ſunt, quam robuſtiora, vt apes & formicæ canibus, & bobus; non tamen conchilia Elephantis, quoniam cellæ, & ſpiritus horum meliores. Hac igitur paſſibilitate Deus vtitur in melius ipſorum Entium paſſibilium: licet diſpoſitio ſit ad corruptelam. Quapropter ſolus Deus qui extra ſe non ſentit nec à rebus ſcientiam haurit, eſt immutabilis, ſoluſque habet immortalitatem, teſte Apoſtolo. Cætera autem Entia mortalia ſunt quoquo pacto. Mors enim eſt in aliud mutari; omnis autem mutatio aliqualis mors eſt, vt docte inquit S. Auguſtin. Cumque diſcere & ſcire ſit mutari in naturam cognoſcibilis rei, aliqua mors ſit oportet. At in Deum mutari duntaxat eſt vita æterna. Non enim eſſe noſtrum in eo non

eſt;

eſt; nec perditur noſtrum eſſe in infinito pelago Entitatum; ſed magnificatur. Vera ergo ſapientia abſque paſſione ſed actiua, eſt ſapientia Dei; In rebus vero & in nobis eſt ſenſus noſtrimet ipſorum abditus, qui eſt actus & per quem naturaliter abſque diſcurſu operamur. Deinceps eſt ſenſus ſuperadditus rerum exteriorum, qui eſt paſſio, vnde diſcimus, quæ nobis bona ſunt, cum non habeamus in nobis boni noſtri ſufficientiam, ſicut Deus, ſed mendicemus.

Poſt ſenſum vero ſequitur memoria diſcurſus, & intellectus, qui ſunt ſenſus languens, anticipatus, vel renouatus, extraneus & abſens. Huiuſmodi autem ſenſus in toto ſunt mundo impreſſi ac pendentes à prima ſapientia; cum in toto ſit ars & ratio, & ordo ſicut admonet S. Greg. Nyſſ. & Orig. & S. Clemens cum principe Apoſtolorum. Sed omnis ſenſus noſter eſt etiam argumentum, quandoquidem non à tota re informamur, ſed partem patimur deforis. Ideo peritiſſime Apoſtolus Paulus vocat ſcientiam noſtram ex parte, quæ in Deo perficietur, vbi tota rei Entitas cognoſcetur. Anima igitur quam Deus immittit nobis, mens nuncupatur, quam vero cum beſtiis communem habemus, ſpiritus. Vnde Apoſtolus ait; *Si ſpiritus orat, caro orat, mens autem ſuperuacua eſt.* Nam ſpiritus naſcitur ex carne & ſanguine. Homo autem ex carne, ſpiritu & mente componitur, vt exponit hoc in loco S. Auguſt. & ſuper Gen. ait: Virum eſſe mentem, fœminam ſpiritum, ſerpentem carnem; & ſic ex ſerpente in fœminam, & ex fœmina in virum tranſcurrere peccatum, vt ipſe docet, & Origenes, & S. Gregorius: Taceant ergo Theologi vulgares, qui Ariſtoteliſmi ſectandi cupidi, negligunt, ſanctiſſimam veritatem ſcripturarum ſanctarum proprioſque ſenſus. Fateri tamen liceat aliquando hæc nomina confundi & ſpiritum vocari mentem & Angelum & Deum; & Salomon mentem vocat ſenſum, & Iob ſenſum intelligentiam, & quidem Dauid mentem aliquando vocat intellectum, quo caret equus, & mulus; At quoniam Theologi intellectum, mentem nuncupare ſolent, licet Diuus Thomas ipſam cogitatiuam caducam intellectum appellet, abſtinebimus à dicendo quod res omnis habeat intellectum, ſed rationem ſenſitiuam, non autem mentalem tribuere poſſumus, cum Chriſtus ſerpenti tribuat prudentiam, & S. Petrus rationem agnoſcat in omni re. Imo Ariſtoteles in 8. Phyſic. *Omnis ordo, inquit, ratio eſt, & vbi ordo, ibi ratio.* Nec dicemus belluas rationales, cum contrarium receptum ſit, ſed irrationales, hoc eſt, non mentales interpretando, ac dicemus ſcientiam diſcurſiuam eſſe ampliorem, non autem certiorem ſenſitiua. Mentemque à Deo inditam poſſe formam corporis eſſe, quoniam independens & incorporea eſt, poteſtque plura temperamenta actuare, ſed principaliter in ſpiritu habitare, nec operationem habere propriam, verum ſentire, diſcurrere, intelligere vna cum ſpiritu; Si enim propriam haberet, non eſſet

forma illius, ſed abſtracta ſicut Angelus; & quamuis ſit incorporea, poſſe tamen à corpore pati, contra Ariſtotelem affirmo. Nam & calor incorporeus eſt, nihilominus à corpore patitur. Non tamen mori, quoniam compatitur, non patitur per ſe: ipſamque poſſe ſpiritum corrigere qui ſolum corporeæ conſeruationi operam impendit. Patet in religione, cui ſpiritus repugnat, Eius enim prudentia Deo ſubiecta non eſt, neque enim poteſt, ait Apoſtolus, quoniam ad ipſum immortalis vita non attinet, nec eam nouit niſi per mentem, cui ſemper repugnat. Et hæc eſt pugna quam in ſeipſo Apoſtolus ſentiebat carnalis legis contra mentalem, ſed cibi ſubſtractione & diſciplinis debilitatur ſpiritus, mens autem roboratur, ab eius non perturbata fumis & delectationibus, ſicut experientia & ſomnus docent.

Quapropter eius eſt frenare perficereque cognitionem, operationemque omnem, quamuis propria careat, excepta, quam à ſuperis immediatè accipit, & religionem in ſpiritu plantare, & hoc eſt opus eius, ſed non ſine ſpiritus miniſterio.

Ergo moritur homo, hauſta cicuta, ſicut belluæ, & præ lætitia, omnique paſſione, quæ diſſoluit ſpiritum. Quoniam mens incorporea eſt, nec poteſt corpulentiæ vniri abſque medio; qua de re Triſmegiſtus vocauit ſpiritum mentis vehiculum; Et Sanctus Auguſtinus idem docet, & quod abſque ſanguine neque poſſit anima in ſicco corpore inhabitare. Sicco enim corpori eius ſpiritualitas valde diſſimilis eſt, non autem humido.

Ergo ſuffocato per riſum, aut per venenum vel exhalante ſpiritu, mens egreditur foras & proficiſcitur, quo Mens prima decreuit. Ipſa ergo manet in ſpiritu, ſicut lux in aëre & in ſpeculo, quæ confracto ſpeculo diſparet.

Et quidem inſtar lucis viſa eſt à Sanct. Catherina Senenſi; & anima Sancti Franciſci itidem à fratribus. Cæterum ſicut lux incorporea fit in vaporibus atris, crocea, rubra, viridis, flaua, vt in Iride, & in fumo; Eadem ratione anima afficitur paſſionibus ſpiritus; ſique vinci obruique ſe permittit, pœnis obnoxia remanet, quoniam frenum erat in manu eius.

Si victrix fuerit, pura remanebit, nec purgatione macularum indigebit, vt docent Theologi, & Plato & Virgilius nouerunt, & iuſtitia naturalis monet. & quidem abſque hoc ſpiritu reſponderi nequit probantibus animæ mortalitatem ex eo, quod caret operatione propria, & omnibus mortiferis afficitur, & ex doctrina Ariſtotelis nullo pacto eius immortalitas defendi poteſt, vt viſum eſt; at optime ex ſcripturis ſacris, ſi rite in eis philoſophemur.

CAPVT XXXI.

De obliuione & deceptione mentis, & vitiis & virtutibus, & Phyſionomia.

PORro in noſtra Philoſophia manifeſtum eſt, vnde obliuio & deceptio fiat, licet anima incorporea ſit, immortaliſque quod Ariſtoteles docere non poteſt, cum ipſi non ſit forma corporis, quandoquidem dicit idcirco poſſe ſeparari quod nullius corporis eſt actus: Neque enim ſi ipſa eſt forma corporis, eius potentia & operatio, vt Latini dicunt, non erit forma corporis, aut poſſit abſque corpore operari. Auerroes quoque intellectũ paſſiuum & actiuum ſeparat, vt & Auicenna. Nec poteſt Ariſtoteles ex inſenſatis Elementis, animam immortalem facere, cum neget à Deo quidpiam fieri præter motum primum. Nec docere quomodo tot temperamenta & quidem contraria iuxta eius dogmata informet anima eadem. Nobis autem facile eſt ipſam ſpiritui inuoluentibus, & ſecum agere & ſecum pati dicentibus. Quapropter exhalante ſpiritu & non communicante paſſiones ſuas ſpiritui ſuccedenti, memoria perditur. Quæ, ſi eſſent ſpecies in anima immortali impreſſæ, perderetur nunquam. Vnde Auicen. negat, ſpecies remanere in anima, & reponit in ſenſu interiori; cum Ariſtoteles aperte in intellectu paſſibili tanquam tabula raſa eas depingat. Dicimus quoque animam decipi; cum decipitur ſpiritus; Si enim hic purus eſt, diſcurſus ipſius clari ſunt, perfectique; ſi fuliginoſus, interrupti perplexique, & accipit motum, alterum pro altero, ergo rem pro re, & decipitur. Si calidus eſt, ſubitanei ſunt diſcurſus, faſtidioſique ab ira; ſi craſſus pauci, & languidi. Hinc apparet omnia argumenta Galeni, quibus aſtruit animi mores corporis temperaturas ſequi; Et Teleſij, naturales facultates eſſe, nihil obeſſe mentis immortalitati, neque libero arbitrio, ſicut quidam Theologi ſuſpicantur, qui ſunt in cauſa vt prohibeantur libri illuſtres, ſenſati, neceſſariique. Deberent quidem hi ſapientes inſpicere libidinem feruentis temperaturæ; Caſtitatem temperatæ: ignorantiam Phlegmaticorum, argutias melancholicorum, hilaritates ſanguineorum & clementiam; deinde vero decernere. Et quidem D. Thom. loquendo de ſpe, putat iuuenes eſſe magnæ ſpei, & confidentiæ, ob caloris viuacitatem, ſpiritusque calidos; Senes autem diffidentes ac timidos, ex frigiditate. Nec propterea mens non libera erit, aut vitia naturalia cohibere non poſſit, & actus virtuoſos imperare; cum videamus nos

ob inferni metum, quin & temporalium pœnarum & propter amorem amicorum, nedum Dei, homines abſtinere ab actibus vitioſis, ipſis connaturalibus. At ſi nequeant habitus virtutum acquirere, nihil obeſt. Deus enim non largitur promiſſa præmia habitibus Ariſtotelicis, ſed operibus bonis fidelium; & qui ea facit repugnante natura, plus meretur apud Deum, & homines ſapientes recta. obedientię legis omnes quidem natura proni ſumus, quoniam natura timemus pœnas & amamus præmia. Cæteris actibus alij bene apti alij inepti ſunt, ſed omnes frenari poſſunt, non quidem ſemper. Vnde Theologi ſagaciores compererunt non poſſe hominem omnia peccata vitare; ſed ſingula peccata bene poſſe, & ad bona opera ſupra vires naturæ virtutes infuſas prærequiri ad merendum ſecundum Deum; Hæc autem noſtræ fauent ſententiæ, & Ariſtoteliſmus pelagianizat. Item Apoſtolus dicendo prudentiam carnalem non eſſe ſubiectam nec poſſe ſubiici diuinæ legi, niſi per vim, manifeſtat vitia eſſe quaſi naturalia poſt naturam in Adamo corruptam, adulteratumque temperamentum. Magis autem virtutes, teſte Chryſoſtomo; & ſubdit Apoſtolus ſe facere quod nollet, non autem quod vellet; vbi oſtendit totam hanc doctrinam in perſona ſua poſtquam confirmatus fuerat in gratia Spiritus Sancti.

Phyſionomia Ariſtotel. contra ipſum quoque docet, vitia, virtuteſque temperamentum ſequi. Nobis autem Phyſionomicus ſyllogiſmus ſumitur à temperie, & ex formatione cerebri & oculi & motu & locutione. Hi enim patentes loci ſunt, & actus ipſius ſpiritus; Acutus Caieta noſter laudabat alteram phyſionomizandi rationem, vt ſi quando video hominem, ſtatim imaginor me habere naſum, vt ille habet, & pilum & vultum & frontem & locutionem; & tunc qui affectus, & cogitationes in hac cogitatione mihi obrepunt, iudico eſſe proprios illi, quem ita imaginando contueor; & quidem non abſque ratione, & experientia; ſpiritus enim format corpus, & iuxta affectus innatos ipſum fingit exprimitque, & quod mihi accidentale, alteri eſt naturale.

Idcirco ſpiritus caninus contrahens affectum ſui genitoris, quo venationem ore porrecto captat, efformat oblongum os huius gratia. Lupinus deuorationis auidus innatæ, ventrem latum fingit; Leporinus timori aſſuetus, aures patulas, & frontem intro actam, quaſi caueret, efformat: Leoninus vnguibus aſſuetus venari, magnificat ipſas in formatione; & omne animal membra efformat iuxta affectus ſuos. Ita exiſtimare debemus iuxta proprios affectus humanum cuiuſcunque ſpiritum corpus effingere, & quidem cum imaginor me habere naſum grandem, ſubito quædam affectio magnanimitatis ſuboritur. ſi frontem retruſam, timoris & cautelæ; Si porrectam foras, in pericula labilem quaſi me video.

Ex colore quoque patet. Si enim domum nigris pannis vndique velatam intres, ſtatim timiditas & languor ſuboritur; ſi rubris, lætitia & furor; ſi albis, claritas animi & ſimplicitas quædam ſerena fit. Ergo idem de coloribus humanis talia ſignificantibus intelligere licet. Non indigna eſt igitur iſthæc ratio Phyſionomiæ; ſed interrogantes hominem quibus qualitatibus eius viſcera prædita ſint, & humores, & excrementa, vt de calore, frigiditate, ſiccitate, humiditate cerebri, iecoris, cordis, ventriculi, renum, inſpicientéſque ſimul capitis formationem, poſſumus non mediocriter diuinare. At omnis diſcurſus pene incertus. Experimentum vero repetitum tutius eſt. Magnus calor in viſceribus ex cibis humidis educit ſpiritus craſſos, copioſos ac diſſimilares & impuros. Ex cibis vero ſolidis ſpiritus craſſos tenuéſque ſimul & fuliginoſos. Blandus calor ex cibis humidis generat ſpiritus craſſos lucidos puróſque; ex ſolidis, primo tenues, deinde craſſiuſculos, fere nihil impuros. Spiritus puri ſimilares lucidique ingenium facile præbent, ſenſum promptum, diſcurſus certos, tenacéſque; & naturam Iuſti amantem, clementem, generoſam, prudentem, vt Itali; Spiritus tenues, impuriq; ſagaces ſenſu ſunt, interrupti diſcurſus, fraudulenti, timidi, oſtentantes audaciam, inuidi, crudeles, tegunt vitia, oſtentant virtutes, ſuperioritate vtuntur, vt Ægyptij & Hiſpani non omnes, niſi qui de Maurorum ſanguine ſunt. Craſſi & impuri ſunt ſtulti irrationales, modici diſcurſus; quod primo apprehendunt, credunt ſemper; arbitratu proprio vtuntur, ſunt crudeles, audaces, feri, apti armis palam, fraudibus & ſimulationibus minime; huiuſmodi ſunt Turcæ, Mogori & Tartari; craſſi & puri pauci diſcurſus, ſed clari & ſecuri, apti legibus & mechanicis, Regimini & Iuſtitiæ, vt Veneti, Aquitani, &c. Conſulenda ergo eſt regionis conditio, cœlum & inſolationes, tellus, & eius diſpoſitio. Naturaliter ergò diſpoſiti ſumus ad vitia & virtutes, ſed Rationis conſenſus bonus, vel malus dat illis formam. Charitas diuina meritum ſupernaturale. humana, politicum & morale.

CAPVT XXXII.

Num Anima mundi exiſtat.

IN ſuperioribus ſermonibus iam diximus, quidquid intra ſe homo continet, imitatione ab eo foras exprimi: ac operæ pretium eſſe philoſophari ex actibus exterioribus ad interiores; & quoniam patet, totam domum ac ciuitatem formari inſtar corporis, noſque deforis edere operationes ſimiles inte-

rioribus, videndum eſt num anima conſilium aliunde capiat intus ac foris. Nos bella gerimus contra hoſtes, ſicut ſpiritus intus contra humores infeſtantes. Deambulamus in aula, ſicut ipſe in ſincipitis aulis. Quando hilares ſumus, procedimus in plateam, vt beati oſtentemur, ſic & ſpiritus procedit in oculos, vbi conſpicitur lucidus, & patens. Quando ſumus in luctu, procedimus in penetralia; ita ſpiritus ad interiora fugit, & vultum lumine ſuo carentem turbatum relinquit. Quando moritur amicus, nigras induimur veſtes, nolumus edere, nec opera vitæ exercere neceſſaria; ſic ſpiritus intus fuligines tetras non expellit, remanet quaſi obſcuratus, atque motus cordis intermittit: quos ſimul reſumere mox cogitur, ac ſuſpirat: Suſpirium enim eſt repetere vno momento motiones intermiſſas. Deinde infirmatur in expulſione fulignum, & feruet ephemera febri, ſicut nos poſt afflictionem. Nos ludimus, vt ipſe dilatatur, ridet effunditúrque. Nos accurrimus vbi malum domui imminet, ipſe vero vbi corpus dolet: nos familiæ victum diſpenſamus, coquimus, molimus, mundamus, ipſe quoque molit, coquit, mundat, diſtribuit ſuccum & excrementa expellit. Nos vtimur helleboro, Reubarbaro ſicut ſtimulis ad purgandum; ipſe vtitur cholerico humore, tanquam ſtimulo ad cacandum, & melancholico acetoſo ad appetitum excitandum, vt nos acetariis. Nos congregamur ad conſilium, ipſe in caput ſecedit, vbi motiones præteritas recolit, inſpiciens quid bene nouit, & quid male, & ſciat quid fugiendum ſectandúmque, ſicut nos. Antiquas hiſtorias conſulimus exempláque regiminis maiorum. Nos petimus conſilium ſapientum, ſpiritus autem aut mens illi indita ad cuius conſilium confugit? Hinc ipſe exiſtimo, quod, quando non eſt in ipſo conſimilis motio præterita futuris, nec experimentum agendorum, conſulat diuinam aliquam intelligentiam. Hæc intelligentia ſi prima ſapientia non eſt, erit Anima mundi: Præterea ſi hominis Regimini non ſufficit ſpiritus corporeus, ſed inſuper mentem immortalem in eo inuenimus; multo conuenientius erit, mundum nobiliſſimum Entium, prolem ſummi boni, optimũ pulcherrimúmque, non modò naturas ſentientes partium ſuarum in ſe continere, ſed & animam excellentiſſimam quocunque Angelo præſtantiorem, quæ totius curam gerat. S. Auguſt. in lib. Imperfecto ſuper Gen. & S. Baſilius in Hexam. & S. Greg. Nyſſ. ſentiunt, comprobántque hanc mundo ineſſe mentem.

Itidem Plato & Triſmegiſtus, Auicen. Alexan. ex parte; Stoici, Virgil. Lucanus, ac ſapientiores Philoſophi: At quidam dicunt ſufficere naturam communem, vt Plinius. Ego vero, inquã, hanc animam eſſe naturam communem, artémque vniuerſalem à Deo creatam, totique infuſam. Alij Deo tribuunt hos ſecretos actus. Ego vero inquam, Deum infinitum eſſe, nullámque creatam naturam præſertim inferiorem poſſe eius ſuſcipere influxum infinitum, ſed cum modificatione fi-

nita; non enim eſt ſuſtinere apta, vt & Bernardus dicit: Hac de cauſa prius obumbrationem feciſſe in matre IESV, quanto magis ergo naturaliter geſta indigent modificatione, & obumbratione in tanta luce? Idcirco hæc anima beatiſſima inſpicit in prima mente quid agendum eſt, & iuxta eius ideas operatur in materiabus, ac formationibus particularibus. Ipſáque eſt inſtrumentum primum primæ ſapientiæ Dei, Mundúſque habet ſpiritum, qui eſt cœlum: Craſſum corpus quod eſt terra, ſanguinem qui eſt mare; mentem iſthanc animam. Homo igitur compendium Epilogúſque mundi eſt, ſicut & Theologi quidam ipſum vocant. Græci vero mundum paruum; Atqui ſi mundus mentem ita diuinam non haberet, inferior eſſet homine, totum parte. Argumentum quod contra me ſacra inquiſitio formauit, & pœnitus ſibi ſatisfactum à me fuiſſe fatetur, Hoc eſt: Quod ſequeretur, vermes quoque & pulices aliáſque feces mundi informari ab hac anima beata, ſicut partes totius, ac proinde illius beatitudinem ſicut homini conuenire. Ego reſpondi, ſequelam eſſe nullam; Cum videamus tot pediculos & vermes gigni in capite humano, multóſque alios vermes intra ventriculum & viſcera eius, nec propterea beſtiolę iſtæ mente rationali hominis informantur, nec eius conſilij & beatitatis ſunt participes. Sed tantummodo ſenſum breuem propriúmque aliarum beſtiarum more habent. Sic intra mundum beſtiæ naſcuntur illa anima beata non præditæ, ſed ſuo quolibet peculiari ſenſu. Hanc reſponſionem contrario certóque exemplo confirmatam contradictores impugnare non potuerunt. Mille effectus ſtupendi, ac ſubitanei huius animæ viſuntur. Angelis nota eſt & amica prorſus. At in Metaph. meliora dixi: & in ſuperiori libro patuit plures mortes, vitáſque; quæ tranſmutationes ſunt intra mundum, mundi vitam integrare, ſicuti plures mortes vitæque ſanguinis & cibi & humorum & ſpirituum, fiunt, quæ vitam totius hominis complent. Omnibus autem perfectionem largitur eminentiſſima Mens, quam primam ordinis Dominationum eſſe ſuſpicamur.

DE SENSV RERVM LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Cœlum, ſtelláſque, ignis natura conſtare, ac ſentire.

CALOREM ſenſitiuum eſſe omninò, animámque brutorum ſpiritum eſſe calidum, mobilem, paſſibilémque, Animaliáque calida magis, ſenſitiua eſſe magis, præcedens demonſtrauit Liber. Igitur conſequens eſt cœlum omni ſenſu acutiſſimo præditum eſſe. In noſtra etenim Philoſophia demonſtratum eſt, cœlum eſſe prorſus igneum, quandoquidem ſtella omnis ad nos aſſiduum effundit calorem, lucémque. Solem autem longe plus, quia ingentior, robuſtior, propinquiórque, omnémque ignem, quem ex contuſis lapidibus, aut confricatis lignis educimus, eo quod à ſole genita ſunt, incluſóque ac denſitate irretito calore, qui niſi percuſſo laxatóque ſubiecto, vim ſeſe manifeſtandi non habet, ab eodem Sole originem trahere declaratum eſt; & in ſpeculis, vbi lux ſolis vnitur, multiplicatur & roboratur, ſicut & aliorum ignium luces faciunt, ſol accendere conſpicitur, ignémque gignere vniuocum noſtris ignibus. Sub Tropicis quoque aridam & ambuſtam à nimio calore ſolis, vbi immoratur diutius, terram eſſe nemo non affirmat. Aliud ergo ponere Elementum ignis, quam Solé, à quo omnis ignis & calor manat, iners eſt cogitatio. Cum & ſublunaris ignis Ariſtotelicus facere apud nos ignem viſus eſt nunquam: Nec quidem deſcendat, (licet à regulato cœlo quaſi pilas igneas detrudi deorſum fingant) quin extinguatur

exigua

exigua eius portio à totalitate Elementorum, vt ponit, contrariorum, aut velocius redeat ſurſum, quam lapides ſurſum impulſi, ad ſolum; nec motum poſſe ignem generare, ſed excitare tantum, oſtenſum eſt. Pluribus namque ictibus lapides communes vix ſcintillam emittunt, ſilex vero mille vno ictu; vt in hoc latere plus ignis quam in illis intelligamus. Nec aër ictus plagáſque excipit, ſed fugitat. Nec inflammari aptus eſt flagellante cœlo vt fingunt, multóque minus à Sole, quippe qui miliaribus diſtat innumeris; ita vt ipſum tangere nullo queat modo. Nec tangens luna ignem producit vt ſol; quæ quidem deberet compenſare propinquitate magnitudinem, qua de cauſa vtérque Diametrum triginta minutorum oſtendit, licet ſol longe maior ſit. Hæc ergo excellens lux à ſole manat, nam Luna prout illi opponitur, lumen excipit, non autem à percuſſo ignito aëre, vt fingit Ariſtoteles. Sic enim ſemper tota illuſtraretur ex parte qua aërem, & nos ſpectat. Et iam Peripatetici omnes vt teſtatur Simplicius in 2. de Cœlo, & Auerroes de ſub. orb. opinionem Ariſtotelis reſpuerunt, lucémque ſoli reſtituerunt, non autem & calorem; voluntque lucem apud nos reflexione calefacere; & quidem ſtultius. Cum à ſole exoriente nos tanquam iaculis feriri priuſquam reflectatur lux, experiamur. Nec aliud poſſit reflexio præſtare luci niſi vnitionem, ac calorem proinde manifeſtare, qui diſperſus noſtro erat imperceptibilis ſenſui: Sicut & lux ignis noſtri parũ calida à nobis percipitur & eminus nihil. Nos autem demonſtrauimus lucem omnem eſſe calidam quin ipſum calorem apparentem. Et Sanct. Bernardus (in ſermon. de aſſumpt.) in ſe candidiſſimum calidiſſimumque ſolem eſſe affirmat. Similiter & Origenes & Sanct. Baſilius in Hexam. contra Ariſtotelem, in hoc exclamat. Et S. Ambroſius putat hæreſim eſſe, calorem auferre ſoli, vel lucem, cum Eccleſiaſticus de ſua loquatur caliditate, & de ſtellarum limpidis flammis in Sap. Et Iuſtinus Martyr in libris, quos inſcripſit contra Ariſtotelem bene id demonſtrat. Et eccleſia canit; *Iam Sol recedit igneus.* Totúmque cœlum, authoritate Eſaiæ, ignis tenuiſſima, puriſſimáque conſtare natura S. Baſilius oſtendit, & S. Auguſtin. ex aqua in vaporem conuerſa, quod idem eſt. Imo negat cœlum cryſtallinum Sanct. Baſilius, ex eo quod impoſſibile ſit ipſum cum Empyreo, quod ſonat igneum, manere. Nec Deus contra naturam res copulare; ſed aquas ſuper firmamentum à Moſe poni, eo quod in aëre generentur, qui pars ſolidior, firmiorque cœli eſt, idcirco firmamentum vocata, niſi ſtellæ ſyſtemata ſint multiformia vt Pythagoricis viſum eſt noſtris. Iob autem quaſi ex ære fuſum cœlum dicit, non quia durum, ſed quia perpetuo eandem figuram ſeruat, & ſitum, ſicut ſtatua ærea. Sol vrit vbi potens eſt, generátque vbi languidus eius eſt calor, quo noſtra Entia conſtituuntur. Similiter & ignis noſter poſtquam cremat ſyluas blandeſcit & generat.

Quapropter non debuiſſet Auerroes arbitrari æquiuocum calorem ſolis ex hoc, quia generat; igneus verò deſtruit: Vterque enim idem facit robuſtus blandúſque. Sed calor ſolis artificioſus euadit, quando in materia occluditur, ac neceſſitate cogitur, arte contra hoſtẽ, in cuius medio eſt, vti, & organa ſibi parare, ſicut docuimus, omnem rem ſentire, & poſſe & amare eſſe, quod ſortita eſt. Sed quidem fateri cogitur Auerrores lucem eſſe calidam, calore conſimili vniuocoque cum igne noſtro, vt patet in 2. cœl. t. 42. poſt prolixos diſcurſus, in quibus quieſcere non potuit, niſi hanc veritatem fatendo. Nec quidem virtus ignis ſit in ſole abſque Eſſentia ignis, à qua ſeparari nequit, licet aliter fingant inepti, qui garrire, non autem philoſophari diſcũt. Patet enim hoc cunctis in rebus. Dicamus ergo vniuerſum ſentire cœlum, propriámque noſſe conſeruationem, eiúſque gratia moueri, quoniam vita ipſius eſt motus; ſicut terræ quies; palam enim calor ſentit, mouétque omnia.

CAPVT II.

Cœlum ſtelláſque motu regulari, irregularique à propria virtute ſenſitiua conſeruationis propriæ gratia ferri omnes ſinguláſque.

QVoniam ſenſus immutatio eſt ſentientis rei, cœlum autem mutabile eſt non modo ſecundum locum, ſed facile ob ſui tenuitatem, paſſionem ſuſcipit omnem; dicemus ipſum eſſe ſagaciſſimum, ac conueniſſe diuinæ Maieſtati efficere ſolium gloriæ & pulchritudinis ſuæ, non mortuum, ſtupidúmque ſed viuum ſenſatúmque. Natio nulla ſub cœlo eſt, quæ non credat Deum eſſe in cœlo, tanquam in loco lucido, puro nobiliſſimóque. Ipſe dixit ad Eſaiam, cœlum eſſe ſedem eius, terram vero ſcabellum pedum eius. Quod intelligimus de manifeſtationibus. Non enim Deus indiget fulcimento ſed res omnes in eo fulciuntur & viuunt. At Deus vitam & gloriam & beatitudinem in cœlo manifeſtat magis quam alibi. Idcirco opinari conuenit cœlum eſſe viuum, ac ſapientiæ particeps. Quod eius oſtendit motus. Nulla quippe res apud nos fit, niſi à ſole & terra immutata, eiúſque compoſitis, ſicuti in Philoſophia declarauimus. Porro quoniam animalia mouentur, motus autem craſſis rebus, vt terræ non conuenit, ſed tenuibus, vt cœlo & aëri, à cœlo motiuam vim animalia habeant oportet: quoniam vero motus

virtutis ſentientis operatio eſt manifeſte, dum huc & illuc, introrſum, extrorſum, variis modis ad varios vſus moueri ſentiendo patet. Igitur ita negare ſenſum cœlo eſt irrationabile, ſicut negare motum. Tamet ſi motus eius non eſt ad varias poſitiones, ſicut noſter. Nos enim ex corpulentia, ſpiritúque compoſiti, ſi ſemper moueremur diſſolueretur compoſitio; Spiritus autem in thorace, in corde, & cerebro ſemper mouetur, vt liquet, ſicut cœlum. Noſque alia nunc re, nunc alia indigemus, quæ variis ſunt in locis; idcirco motus variamus; cœlum vero beatum his neceſſitatibus non vrgetur; idcirco eadem regula perpetuo circũfertur. Alibi quidem oſtendimus motũ motui non contrariari, ſed quieti. Felices cœli ſuperiores portiones, quæ nunquam à terra læſæ proprio æquali gaudent motu & ſecuritate. Itaque ſidera fixa eadem feruntur regula ſemper inſuper in ſeipſos circumuoluuntur, ideóque ſcintillant. Nec retrorſum ſimul mutari gradu vno in centum annis, vt Ptolomeus putat, nec in 66. vt Albategnius, Nec in 70. vt Recentiores ſentiunt, alibi oſtendimus. Nec conuenire terræ gyro moueri, ibidem contra Copernicum ſcripſi. Sidera errantia perpetuo mouentur, at non ordinate, quia terræ viciniores ſunt ac ipſam exuperare ſtudent, inuadúntque variis viis nunc ab Auſtro ad Boreã, nunc à Borea in Auſtrum torquendo iter, & cum ad certos perueniunt fines, quos tropicos vocamus, reuertuntur, ne tellus in oppoſito hemicyclo cœlum vincat. Præterea planetæ omnes virtutem à ſole captando, ipſum ſequuntur & ad ipſum amoris nutibus inclinantur. Qui eſt dux belli contra tellurem eiſque arma præbet, proculdubio ipſam exuperabunt & per ignem peribit mundi vultus, vt Ieſu oraculum canit: Et Sanct. Petrus promulgauit, & Heraclitus coniectura conſecutus eſt. Porro Mercurius, ac Venus ſoli proximi, ille ſubter, illa ſuper, vt in Aſtronomia oſtendi, nunquam à ſole ſeparantur, ſed perpetuo ipſum ambiunt, & quoniam in altum eleuantur maxime vbi dicuntur eſſe in Apogæo, aſſumunt circulum ampliorem, & ſole breuiori circulo ſubambulante relinquuntur paſſim in conſequentia ſignorum, Venus vſque ad 46. gradus; Mercurius vero ad 25. fere, vbi deficiente illis luce & vigore à ſole paulatim deſcendũt, & circulum anguſtiorem aſſumunt, & velociores fiunt in anteriora. Qua de re appellantur retrogradi ab illis Aſtronomis, qui ab occaſu in ortũ eos ferri putant; & in medio huius retrogradationis terræ propinquiſſimi iam facti, ac ſub ſole perpendiculariter, plus lucis excipiunt, & leuantur in anteriora, & fiunt matutini ante ſolem orientes. At poſtea adeo eleuantur paſſim, quod amplitudine gyri aſſumpta, minus incedere cum ſole & fixis poſſunt; donec cum ſole coniunguntur, & fiunt altiſſimi, & reuertuntur ad choreæ modulamen amabile; & idem pari modo Saturnus, Iupiter & Mars Soli coniuncti plurimum lucis ac vigoris accipiunt, & altiſſimi fiunt; & dicuntur eſſe in

Apogæo ficti Epicycli: mox ſolis motu deficiente ab eis, qui cum ſint Empyreo propinquiores, ſunt & celeriores in anteriora, ita perambulant quod ſol videtur retro relinqui: At quo magis ſol recedit ab eis, eo magis ipſæ deſcendunt ad terram, ac motus in anteriora concitatur. Cumque fuerit Saturnus procul à ſole 108. fere gradibus, Iupiter quaſi 117. Mars 133. ad ipſum inclinantur & deſcendunt paſſim, non eiſdem in gradibus, nam qui ſublimior eſt, citius patitur defectum à ſole, citiúſque deſcendit, ac in anteriora fertur, velociúſque quam fixæ ſtellæ circulo anguſtiori aſſumpto. Qua de re videntur terræ propinquiores, grandiores, & lucidiores: & quo magis ſol ab eis recedit, magis deprimuntur ad terram intermediam, quia inclinantur ad oppoſitum ſolem, ita quod quando ſunt in Diametro eius, nobis propinquiſsimi ſunt, qui in medio ſumus inter ſolem, & ipſos quaſi inclinantes ſe ad lucis fruitionem ſolaris. Dicuntúrque retrogradi ab Aſtronomis, quoniam conſuetum motum ſuperant adeo quod in anteriora fixas præcedunt. Deinde vero illis appropinquante ſole incipiunt ſublimari & in eiſdem gradibus, quibus deſcenderunt, aſcendunt, & in ampliori gyro permeant, dicuntúrque directi: ſempérque ad ſolem propriam referunt gloriam. Atqui in mundi ſitibus, quibuſdam eleuantur, & deprimuntur alia inſueta ab his ratione, non ipſi modo ſed & ſol; ex quo intelligimus habere Planetas quendam cum fixis conſenſum talibus in locis, ſi Apogæa ſtabilia ſunt, vt putat Ptolomeus, aut cum ſpatio mundi, vel cum virtute aliqua extra mundum, ad quam eleuantur, ſicut ferrum ad magnetem ſi abſides mutantur, vt Copernico rectius forte videtur. At has omnes operationes eſſe virtutis bene cognoſcentis inficiari nemo poteſt. Luna quoque Apogæum proprium ac perigæum inſtabilia habet, præter ordinarium à ſole, qui ipſam ſemper erigit in coniunctionibus & oppoſitionibus. Quando propterea velocior fit in anteriora à lumine maiore, quod accipit recta qua ſpectat ad nos, aut ad cœlum ſuperius. At in quadratis, trigonis, & ſextilibus aſpectibus variatur, prout ſoli magis minuſve opponitur, coniungitúrque. Non autem deſcendit in oppoſitione, ſicuti alij planetæ, quoniam ſub ſole graditur citima nobis, parúmque propriæ lucis habet, totum vero à ſole mutuatur, & quando plus accipit, plus eleuatur quocunque in ſitu. Conſiderare eſt proinde ſolis motum artificioſum, quo in mundi parte omni lucem tenebris æquat, & quibus longa eſt nox, eſt & in ſitu oppoſito longa pariter dies, & ſub æquatore æquantur omni tempore. Aliis vero variis in temporibus recompenſati, & terram per tot vias inuadere; nec tempus illi concedere ſeſe reficiendi totam nec ipſum vnquã ſiſtere iter. Nam licet illo in ſitu terram vſtione deſtrueret, frigus tamen eius & vmbra in oppoſito ſitu præualeret, & vinceret cœlum & ſtellas fugiendo, & roborando ſeipſam ſimul. At artificioſe ſol progre-

ditur. Primaque ars diuina vtitur iſthac ipſorum ſpontanea pugna ad generandas in medio eorum res formoſas continuo ad gloriam creatoris, vt patet. Cuius Idea manifeſtatur in formis multiplicibus ope inſtrumentorum ſuorum proprio gaudio & cura agentium, non autem violentia Angelica impulſorum, vt Ariſtoteles putat. At animæ motum circularem eſſe fatetur Auerr. Quamuis corpus à circulo ipſam impediat, ergo cœleſtis eſt. Quod autem res immobilis vlla motum non efficiat; nec cœlum nec ſpiritum indigere re immota, niſi ad fulcimentum adiunctæ corpulentiæ, quo non indigent res ab illa ſeiunctæ, alibi contra Ariſtotelem declaratum eſt.

CAPVT III.

Cœlum propria virtute moueri, ſtellaſque à ſeipſis intra cœlum, ac fortaſſe Angelicas mentes illis inditas eſſe, ad actus, &c.

VIſus eſt Ariſtoteli motus cœli non à propria forma virtuteque, ſed ab Angelis manare, quos poſuit 8. æquales numero ſphærarum in 3. de cœl. in 12. Metaphyſic. autem 55. Omne enim quod mouetur ab alio motore diſtincto mouetur, ſicut (inquit) lapis à manu; corpus ab Anima, quæ inſidet ſicut naui nauta ſeorſum. Ignis autem ſurſum, & terra deorſum à generante, qui dedit formam, & conſequentia, inter quæ motus eſt. Hanc ineptam ſtoliditatem alibi aperui. Quæ enim violenter mouentur aut ab Arte, à ſeparato motore mouentur; naturaliter autem à propria forma; ita & cœlum. Generans quidem mouet motu generationis, non locali; nam perdito generante ipſa forma per ſe mouet; Quapropter tellus per ſe mouetur deorſum, & non à generante. Sic & ignis ſurſum à proprio calore fertur. Corpus autem ab Anima, quæ ſeipſam per ſe mouet; & motus corporis eſt illius impulſus, ſi intermanet ſicut Nauta: velut Ariſtoteles hic Phyſic. 8. docet: qui ſibi contradicens in 2. de An. materiæ vnitam ſicut formam ponit; reprobatque Platonem volentem, ſicut Nautam. Igitur, inquam, cœlum nobiliſſima virtute præditum eſſe ſemper mobili, ſicut & ſpiritus noſter mouetur ſemper, eſſeque ignem qui ſurſum magis non progreditur, quoniam locus deeſt: nec deorſum quoniam occupatur ab inimica terra. Cumque ſit natura mobilis, in gyrum agitari neceſſe habet. Nec putandum eſt igni alium non conuenire motum niſi rectum. Hic enim

non eſt motus ſed regreſſus, & fuga ad locum ſuum; vbi deinde perpetuo mouetur. Sicut nec terræ motus deorſum motus eſt vere, ſed regreſſus ad ſuam vniuerſitatem, vbi perpetuo quieſcit. At dato altero Elemento immobili, ſicut terra, oportet alterum dari mobile, vt ipſe ratiocinatur, qui eſt ignis: ergo non violenter in gyrum fertur ignis à cœlo raptus, vt putant, ſed naturaliter à ſe, ſicut terra quieſcit à ſe. Alexander ſphæris Angelos alligandos exiſtimat, vt dent regulam ac perpetuitatem motui: Et quidem reſpondeo, potius tribuendam illis eſſe naturam talem, quæ ſemper moueatur, regulamque ſeruari à carentia interturbationis externæ. Qua de re Planetæ non tantam ſeruant regulam inimicæ gratia terræ. Id autem perpetuum eſt, quod internum eſt, natiuumque, non deforis: Quod recte alij conſiderantes, Angelos ſphærarum animas eſſe dicunt. Quod nihil naturæ obſtat poſitioni. Nam & homo non modo ſpiritum igneum à cœlo habet, ſed etiam animam à Deo: Quare poſſibile aſſero; ſed ſtellas non autem ſphæras animari ab aſſiſtētibus Angelis, vt moderatores motuum potius, quam vt motores. Demonſtraui enim cœlum eſſe vnum, veluti D. I. Chryſoſtomo & Theodoreto videtur, at diuerſas regiones, cœlos in ſacris eloquiis nominari. Hebræa enim lingua caret huius nominis ſingulari numero; ſtellaſque à ſe ipſis moueri, & non à ſphæris oſtendi. Alioquin ipſarum obliquatio aſcenſus, deſcenſus, tarditas & celeritas, ſphæris turbationem afferrent; multo autem maiorem ſi verum eſt quod aiunt, eundem Planetam deferri nunc ab hac, mox ab illa ſphæra; ergo & alteram laſſari alteramque intelligentiam opem ferre; vel illam reſpuere perfectionem propriam quam habet in mouendo, ac deinde reſumere. Itidem mouere eas contra Deum ab occaſu in ortum, dum à Deo vi rapiuntur ab ortu in occaſum; & mouere, vt imitentur Deum; quamuis faciant ac velint contra Deum, mouendo in contrariam partem: Sed plura dicendi hic locus non eſt.

CAPVT IV.

De ſtellarum ſenſu, & Accolis earum, & cur celantur nobis.

NOn inepte exiſtimandum videtur, ſtellas mutuo ſignificare proprias alteram alteri conceptiones, dum lucem quæque ſuam in alteram transfundunt. Lux enim ſimpliciſſima eſt, omni apta paſſione affici. Ipſarumque ſenſum voluptuoſum eſſe, non dolorificum, quod contrarias non habeat qualitates, ſed plus

minusve lucis. Ipſaſque res inferiores innumeras, dum radios quorſumlibet effundunt videre, quia radij afficiuntur; audire vero quia motus mutuo communicant. Iam oſtenſum eſt oculum non videre nec aurem audire exemplo dormientium ac defunctorum: ſed tenuem ſpiritum in oculo videre, & in aure audire, ergo tenuiſſimæ ſtellæ ſunt ex toto viſus, audituſque, ſenſuſque omnis exquiſitus. Nec puto ipſis obliuionem & errorem accidere. Non enim exhalant partes aliis ſuccedentibus, nec perturbantur externis paſſionibus, niſi patiantur ab inuicem quæ noſtra Tellus ab illis. ac ſolis intelligentiis detur ſerena ſcientia.

Quapropter & mundi originem forte norunt, aut dubitant; naſus enim neſcit quod tota anima ſcit. Cum ergo ſtellæ ſint partes, minime videntur ſcire quidquid tota mundi anima ſcit, aut mundus totus: ſed quidquid euenit eis, ex quo natæ ſunt. Animæque beatæ ſi habitant ſic viuas lucidaſq; manſiones, res naturales vident omnes, diuinaſq; ideas. Habēt quoq; lumen glorioſius iuxta Theol. quo eleuantur ad viſionem ſupernaturalem beatificā. & veluti apud nos luces plurimæ ſeſe mutuo tangunt, interſecant, decuſſant, ſentiuntque, ita in cœlo luces diſtinguuntur, vniuntur & ſentiunt. Animæ quoque ſimiles illis itidem propriæ lucis ordinatione & directione conſentiſcunt. At portionibus cœli inferioribus non tantus tamque felix, ſecuruſque ineſt ſenſus. Nec illi dubium eſſe debet, quin Deus ſui manifeſtationes glorioſas plurimum faciat in cœlo. At nos videre eas, reſque diuinas non poſſumus propterea quod (vt inquit San. Clemens) vapores perpetuo aërem occupantes, perpetuoque vel inuiſibiles ſurſum exhalantes, ac pugna quæ inter cœlum terramque fit, impediunt viſum nobis, in medio pugnæ manentibus, vt in fumo Bombardarum. At cum purgabitur igne mundus, omnia conſpicientur. Præterea corpus noſtrum opacum eſt, ſoloſque oculos tranſparentes habet, quibus ineſt cornea tunica dura, & vuea, & aqueus humor, & cryſtallinus, qui accipiunt lucem craſſo modo ac alteratam, idcirco res ſpirituales videre non datur. Præteruolant in conſpectu noſtro venti, & aër, & nihil eos videmus, multo minus videmus Angelos, ac Dæmones, quorum plenus eſt mundus. At egreſſa anima ex hoc antro opaco (huius inſtar Plato noſtrum corpus & ſtatum depingit) videbit aërem, ventum, Angelos, omniaque tenuiſſima Entia, non exiſtentibus panniculis humoribuſque oculorum, qui impediant. Plus autem videbit, quæ purior extiterit, ſicut Brigidæ & Catharinæ viſiones, dum purgantur, & à Deo impedimenta tolluntur, & roborantur, oſtendunt; ſpirituſque noſter æthereus fiet aër, & cœlum. Et cœlum quidem fit, dum exhalat continuo nec ad nos reuertitur amplius, quoniam perplacet libertas magis, fitque vnum cum aëre. At mens immortalis non remanet in aëre, ſed vſque ad ſtellas, vel ſupra transfertur, niſi corporis labe ma-

culata fuerit, ibique Deificatur ac glorificatur, ſicut Theologia ſancta docet, diutinis comprobationibus, grauiſſimis argumentis, & cœleſtibus, reuelationibus confirmata.

CAPVT V.

De ſenſu lucis & ignis & tenebrarum & frigoris & terræ.

INfelices (heu) mortales, qui ſenſum alium nullum agnoſcimus, niſi obtuſum animalium, plantarumque, tardum, demortuum, aggrauatum, ſepultum: Nec quidem intelligere volumus omnem actionem noſtram & appetitum & ſenſum & motum & vim à cœlo manare. Ecce lux quanto acutiſſimo expanditur ſenſu ſuper terram, quo multiplicatur, generatur, amplificatur; idque non ſine magna efficere voluptate exiſtimanda eſt. Quandoquidem nos, vt noſtrum eſſe amplificetur, tanta regnorum, poſſeſſionum, honorum & generationis cupiditate tenemur; voluptate quidem multa afficiuntur etiam plantæ in germinando, creſcendo, florendo, ſe ornate veſtiendo, fructificando, multiplicando, licet à corpulentia imminuatur. Multo autem magis nos in actibus Venereis, quoniam noſtram naturam dilatari ſentimus. Vnde intelligere licet quanto maiori lux iucunditate in huiuſmodi ſui amplificationibus perfruatur. Porro videre eſt, ipſam nigris è rebus reflecti retrorſum, ſemperque ſeipſam quantum licet augere, & ex corpore in corpus ſeſe conduplicando. Quare & in antra & cauernas ſe ingerit, quo rectà ſol intrare nequit, reflexa aliis ex corporibus & ex atomis aëris omnibus in angulos, pyramideſque infinitas, quæ non viſibiles ſunt prorſus, nec numerabiles, niſi ſapientiæ primæ, teſte Eccleſiaſtico. At in corporibus tranſpicuis veluti aqua & cryſtallo, tanquam cognatis, à vincente calore trãſluciditate donatis, ipſa conſpicitur ſecum iocari & augeri, & penetrare, gaudere, vniri, roborar[i], & tandem vrere, ignireque res non candidas, quia ipſi ſunt diſſimiles. Candor enim eſt ipſamet lux retenta, demortuaque, idcirco candidam non comburit chartam lux per ampullam tranſuecta. Vnitur in globum lux intra ampullam, augeturque & in Pyramidem expanditur foras, quaſi armata in acie, factaque lancea ad vincendum & vrendum. Ignis quidem, qui ipſamet lux eſt inimicæ materiæ intruſa, irritataque ad pugnam, magna cum iucunditate deuorare conſpicitur, creſcere, vincecere,

cere, & ſurſum volare, victorioſus in mole deuicta, attenuataque præda; quod & nos imitamur, bella vincendo, regnum dilatando, & famam, cum non poſſit anima denſo corpore repugnanteque clauſa in domitas dilatari regiones. Quando ignis intercluſus eſt in nube, aut in cauernis terræ, quoniã natura mobilis eſt, raruſque, & quies ac denſitas ſunt illi exitium, ſicut raritas motuſque ſunt terræ exitium, ipſe impetu facto ſeſe amplificat, diſrumpit, conquatit omnia, quę ſuæ necis cauſa eſſe poſſunt; proſternit ſolo ædificia ingentiſſima & montes, nubes quoque frangit, diſſipatque impedientes. Id imitatur animal ferox loco intercluſum inimico. Nec quiſquam putet ipſum propterea carere ſenſu quod fulgor, ſeu naturalis, ſeu artificialis in aquas interdum immergitur, extinguiturque. Hoc enim contingit illi ab impetu facto, vt ex anguſtiis exiliat, nec ſeipſum frenare poteſt ab impetu, & corpulentia, quam ſecum vectat calor, nec tempus habet conſulendi ſibi, impetuoſa furia delatus. Sic & animal vim effugiendo inimicam, ſi præcipitium obuiam fiat, in illud incidit curſu effrenato, occiditurque. Reuera miſeri nos, qui cum tam languido ſenſu præditi ſimus, velocem validamque virtutem inſenſatam exiſtimamus. Nec animaduertimus omnem ſenſum neceſſariò deriuari ab eodem principio, à quo habemus & motum. Si autem ignis virtute mouemur, coquimus, nutrimur, creſcimus, neceſſe eſt & eius virtute nos ſentire, cum & ſenſitiua magis ſint animalia calida magis, frigidiora vero ſtupidiora. Itidem ſi nos videmus, propterea quod lux rebus viſibilibus affecta, afficit deinde ſpiritum noſtrum, longe magis ipſa videat, quæ primo afficitur, mutaturque, oportet. Econtra conſpicitur tellus ſurſum tenebras friguſque effundere, quo licet modico valet aërem occupare, vapores, & aquas, gelare, & deorſum trahere, ac denſare in cryſtallum, inque res terræ ſimiliores. Sæpeque frigus calida inter Entia multiplicari, vniri, roborari, vt calorem oppugnet, ſicut Cæſariani milites in Belgio figuram circularem, vndique hoſtibus circumſepti, adſumpſerunt; & iterum in Africa contra hoſtes. Sic nix induratur, & grandines, colligente ſe frigore ab aëre in vaporem craſſiorem. Atque luce inſiliente in terram ac ſe duplicante reſiliendo frigus metuens redire deorſum in medio aëre colligitur, & roboratur, vbi ſane reflexio deſinit. Idcirco frigidior eſt eo in tempore aër ſuperior quam infimus. Pollet frigus vi ſua amplificatiua, ergo & ſentit inimicum calorem oppugnatque. Abſque enim ſenſu inimicitiam non ſentiret, neque dolorem, ac ſineret ſe extingui; quia eadem voluptas in non eſſe, ac eſſe foret, vel vtrique nulla, cum neque eſſe, neque non eſſe ſentiat, neque vitam neque mortem. Falsò exiſtimant Peripatetici tenebras eſſe priuationem lucis, & non Ens prorſus; priuatio enim nihil eſt, at nos videmus per lucem oppoſitam eſſe tenebras; & Deus

in Iſaia dicit, ſe creaſſe lucem & tenebras. At nihilum non creatur, idem enim eſſet terminus à quo & ad quem. Ergo tenebra eſt lucis oppoſita res, facieſque frigoris, ſicut lux facies eſt caloris. Hoc dico de tenebra actiua, non de paſſiua, quæ eſt vultus materiei: qua frigus gaudet magis, quoniam ſimilius illi eſt, quam calor. Ideoque faciem ei perſimilem obtinuit. Surſum attollitur vmbra, ac multiplicatur, vbi lux debilis eſt, & ei commiſcetur, vnde ſecundi ſuboriuntur colores. Et quod mirabile eſt, animaduerti, quod quando nos de luce ad vmbram procedimus, illa vmbra, quæ ex noſtro defluit corpore, cum propinquiſſime accedit ad alteram vmbram, ſponte porrigitur in Pyramidem, vt cito vniatur alteri amicæ vmbræ, ſicut deorſum cadentes res in fine motum concitant; aut os, cum eſt animal prope eſcam, extendit. Quas ob res & facies frigoris & materiei, omniumque rerum ſentientes apparent; Præterea ſi alterum contrariorum ſentit, alterum ſentiat eſt opus, quo poſſit repugnare ac ſcire, quo ſubueniendum eſt, fugiendumque. Si ergo cœlum ſentit, terra quoque ſentit. Philolaus autem, ac Copernicus, qui ipſam donant motu, magno quoque ſenſu donant. Pythagoras verò animal corpulentum terram eſſe putat, cuius pili, ac crines ſunt plantæ, & arbores: oſſa lapides; Animalia in ea ſunt, ſicut pediculi in capite noſtro, & in centro calidam eſſe vult, ſicut cor in nobis, & aquas eſſe velut lac Terræ, ait Seneca: Baſil. vero, ſanguinē. Quod & Ouidius ſentire videtur, ſed hoc alibi diſputabitur. Nunc ſufficit vidiſſe in ea ſenſum eſſe. Nec frigus ſenſu carere putandum eſt, propterea quod gelata manus, aliaque membra parum vel nihil ſentiunt: noſter enim ſenſus à calore natiuo eſt, frigus autem calori inimicum eſt ipſumque opprimit, eiuſque operationes tollit; aut ligat, ita vt nos ſentire nequeamus ſenſu frigoris, quoniam extraneus eſt; nec noſtro, quia ſopitus eſt. Non enim homo poteſt ligatus operari manibus ligantis eum. At quidem bene ſentit frigus, cum tantopere cupiat, ſtudeatque inimicum opprimere, & ſenſus & operationes eius deſtruere. Sol igitur pater, tellúſque mater rerum, ſenſitiui ſunt, atque ab ipſis animalia habent ſenſum, motum, & omnia. Diſtincta ſunt in ſexum maris & fœminæ, vt ille ſolem, iſta terram repræſentent, ac mundi partes totum referant. Itaque rem omnem cœleſtem, ac terreſtrem ſenſitiuam eſſe compertum eſt.

CAPVT VI.

De ſenſu Aëris, & ventorum, ſenſui ſpiritus animalis conſimili.

DVbium non extat apud ſcriptores ſacros, quin aër ſit pars cœli minus pura, infeſtata ſemper vaporibus & frigore, & vmbra terræ. Ita videtur D. Baſilio, propterea quod Moſes & Salomon, aues in cœlo & in firmamento cœli ponunt, & Scriptores Latini illuſtriores idem aſſerunt vt Plinius, Seneca, Virgilius, Lucanus, Varro. Quoniam verò compertus eſt ſenſus in cœlo, aëri negandus pacto eſt nullo, tametſi perturbatior inſit. Spiritus animalium in aërem continuo exhalare palam eſt, in debilitate relicta ex labore & fame, & in repentina inſtauratione ex ſpirituoſo vino, & ex odoribus, oſtenditur ſpiritus eſſe aëreus, aëreque nutriri. Nam & infecto aëre ſtatim aggrauatur ſpiritus, langueſcit, & vitæ operationes ægre operari poteſt. Quapropter nec purgatur ſanguis, ſed inficitur, vnde febris peſtilens ſubnaſcitur, quæ totam regionem inficit, quoniam aër omnibus communis, infectus eſt vaporibus fœtidis ex terra exhalantibus poſt dirum æſtum madefacta pluuiis; aut ex multitudine cadauerum vel aquarum ſtagnantium hi vapores ſua craſſitie aggrauant ſpiritus leuis tenuitatem, & calore multo vincunt calorem natiuum illius; & fuligine tingunt luciditatem eiuſdem, vertuntque eum in vaporem craſſum, occiduntque. Propterea in æſtate quando ſpiritus mihi exilis eſt, pertenuiſque, diſplicet thuris odor, quoniam meum exuperat ſpiritum; in hyeme vero placet, quoniam robuſto ſpiritui ac multo robur addit. Remedium contra peſtem eſt optimum, & contra grauedinem capitis, aërem calefacere, attenuare, odoriferas res cremare, odoriferis veſci epulis, floribus & odoribus vti, non autem ſanguinem mittere, vt Imperitorum medicorum mos eſt. Spiritus enim indiget nutritione, refectione, & purgatione, non autem ſanguis; qui tandem deprauatur poſteaquam morbus inualuit, cum à ſpiritu non ſit purgatus, abſolutuſque. Et ſagaciſſimus Hippocrates ait, Conſtitutiones Auſterinas aggrauare caput, inducere ſomnum, ventrem ſoluere ſua craſſitie. Boreales vero ſerenare caput, pectus ſtringere, acuere ſenſus ſua tenuitate. Porro ſi ſpiritus aëre nutritur adeò quod Varro credit, animam eſſe aërem inſpiratum ore, calefactum in corde, ſparſum per viſcera; Ariſtoxenus vero præſtare putat vſum manus, ad harmoniam corporis pulſandam, quæ ſibi vi-

detur anima; neceſſe eſt fateri, aërem quoque ſentire. Et quoniam ſpiritus ad ipſum exhalat tanquam ad ſuum ſimile, veluti aqua in mare, & ignis ad æthera, reliquum eſt, vt ſentiat prorſus. Idcirco Virgilius (Æneid.6.) vocat ſenſum aëreum, atque aurai ſimplicis ignem. Accurrit aër magis, quam quodcunque corpus aliud, ad replendum inane: hunc autem actum eſſe virtutis bene ſentientis in primo libro oſtendimus.

Venti quoque qui ſunt aëris fluctus, vel vapores aëri ſimillimi, idem oſtendunt. Nam cum mors ſit rebus tenuibus condenſari, ideo rarefactus aër circumfertur, quæritando ſpatium ſuæ tenuitati conueniens, nec conari deſinit, donec attenuatus ſurſum eleuatur; vapores quoque craſſiuſculi in viſceribus terræ geniti exitum quærunt ne moriantur in aquam denſati, & conquatiunt, confringuntque & & egrediuntur: Ædificia demoliuntur & arbores, tanto efferuntur impetu, quod niſi ſentirent dolorem compreſſionis, non ſic niterentur; ſed ſimiles ſunt animalibus vndique anguſtiatis, quæ nihil non moliuntur, vt libertatem adipiſcantur vitalem; ergo aër luce videt, motibus audit, vaporibus odorat, tenuitate guſtat, compreſſione & frigore, caloreque tangit, dolet, gaudet, abſque organis totus ſentit, conſentitque, & ſenſus hi omnes tactus ſunt modi varij, vt in ſecundo libro dictum eſt.

CAPVT VII.

Aërem eſſe ſpiritum communem, & deferre ſcientiam ſpirituum animalibus incluſorum ab altero in alterum.

AER præterea defert ſcientiam ab altero in alterum hominem, quando colloquuntur, ergo & ipſe quoque eam ſentit, & qui nos ambit ſcientiam habet vocis. Anima noſtra interclusa nequit ſignificare conceptiones ſuas alteri interclusæ etiam in corpore, quod facile foret, ſi liberæ eſſent, mutuo ſe tangendo. Sicut enim aqua alteram contingendo aquam, illius ſuſcipit motus, & frigus & calorem, ſcitque proinde ipſa patiendo quid patiatur illa, ita aër ab altero afficitur aëre.

Porro ſpiritus noſter, qui aëreus eſt, nequit tangere alterius ſpiritum, idcirco coactus eſt ſignificare quod cupit, per communem ſpiritum percutiendo hunc organis ſuis, & ea figurando ratione, qua figuræ illæ alterius ſpiritum afficiendo, efficiunt, vt ſciat quid

alterius ſpiritus patitur, velit aut nolit. Sicut piſces aquæ, ita animalia aëri alligata ſunt, à quo ſeparata, vt ſi nares & os occludantur, ſpiritus ſuffocatur in aquam, aut euaneſcit in aërem. Ergo immanet aër ſicut anima communis, quæ omnibus præſto eſt, & quá omnes communicant inuicem, vt Plinius animaduertit.

Quapropter multi ſagaces ſpiritus ardentes ſubito ex aëre perſentiſcunt, quod cogitat alter homo; Cogitatio enim eſt motus ſpiritus; hic autem motus modicùm & exiliter communicatur aëri; motus autem modicus exiliſque afficit melancholicos exiles. Vnde multa diuinant in aſpectu, & ſermone, & neſciunt qua ratione. Dum quis mollia verba loquitur, leuiter & blande ferit aërẽ, qui motus blandus cõmunicatur alteri, ac mitigatio ſimul. Si loquitur aſpere & fortiter, licet iniurioſa non proferat verba, indignationẽ excitat in alio, quoniam ſpiritus mouetur ab aëre, motibus ipſum concutientibus, & lacerantibus: ergo aër non modo motum recipit ſed affectum, alioquin non communicaret.

Placent aſperi ſoni in bello, & ſermones vehementes, quoniam concitant ipſum ad iram contra hoſtes; roborántque: verba grauia, beneque compoſita in templo, quæ ad pietatem excitant. Titillantia & & variis puncturis blandulis pungentia, in re amatoria; quoniam ad oblectamentum mouent; & ſicuti mouetur aër, ſpiritus mouetur. Porro ſi voces inter homines ad ſignificandum inſtitutæ non eſſent, ſinguli ſentiremus alios iuxta modum affectionis impreſſæ in aere. Sicuti ſi quis ridet, plorat, canit, quanquam ſit alterius idiomatis ignoti, intelligimus affectum eius.

Credo Dei arte eſſe Apoſtolos loquutos, ex affectibus naturalibus, & vocibus primis, quæ omnium auribus perſimiles proprio Idiomati apparebant, quoniam percipiebant affectus verborum illorum ſpiritu ſancto ignitos priuſquam figurationes & circulationes aeris diſtinguerentur in patientis ſenſu; Eaque ratione omnes audiebant, intelligebántque affectu præueniente ſermonem: Præterea videre licet quando aer ſerenus eſt, purúſque, nos eſſe naturaliter hilares iucundóſque; quando turbatur obſcuratúrque, mœſtos ac melancholicos; quando feruet nimis, iracundos & faſtidioſos; quando friget collectos, ſequeſtratóſque; quando craſſeſcit, ſomnolentos, ſtupidóſque: Quando tenue fit, acutos, celeres, ſubtiléſque. Quando ventis agitatur, colligimur, & conſilia inimus, ad penetralia; quando quieſcit, ad feneſtras; & ludos aggredimur. Quapropter palam eſt, ſimul cum eo nos pati affectus omnes: Idcirco Homerus canit, *talis eſt animus hominum, qualem quotidie ſummus fert Iupiter altus*, & Iouem intelligit cœlum: Ita & Virgilius: *At pater omnipotens fœcundis imbribus æther. Coniugis in gremium late deſcendit, & omnes Magnus alit magno commiſtos corpore fœtus.* Et alibi: *Iupiter humidus Auſtris Denſat,*

erant quæ rara modo & quæ denſa relaxat.

Hinc patet quod ſi mens immortalis humana ſpiritui aereo indita non eſſet, obuolutáque, nunquam pateretur ſimul cum aere: Veruntamen quando paſſionibus ingentioribus quis agitatur aliis ex cauſis, parum afficitur ab exteriori aere. Nam qui tripudiis & nuptiis operam dat, quando aer turbidus eſt, turbationem fere nihil ſentit, vel minus percipit ſe ſentire, ſed ſuas conſectatur delicias, ſed non ita vt in ſereno tempore; Confert enim multum cœlum noſtris actionibus conforme reperiri.

CAPVT VIII.

De Prophetia animalium, & hominum, & ex ipſarum differentia hominis diuinitatem agnoſci.

HInc facile intelligitur, qua ratione animalia pluuias præuident, ſicut corui, & pecudes: alia pugnas & bella, vt vultures & aquilæ; alia tempeſtates maris, ſicut Alcyones; alia amænitates regionum & eſcarum copiam, etiam trans mare ſentiunt, ſicut turtures & hirundines: Alia venationem intra ſyluas procul odorant, vt canes: Equi vero inſidias locatas olfaciunt, & bellum: nobis autem occultæ ſunt ipſorum prophetiæ iſthæc. Hoc antem non fit eo, quod ſint nobis ac fato prudentiora; ſed cum ſint dedita ventri, aliud enim bonum nihil agnoſcunt, perpetuóque actionibus ſuæ conſeruationis intendunt, ipſorum ſpiritus non agitantur paſſionibus internis, ingentibúſque curis, ſicut noſter.

Quapropter cum omnes res inferiores in aëre fiant, ſenſus brutorum per reſpirationis & tranſpirationis vias communicando cum aere, recipit paſſiones aeris, ergo & ſentit res eaſdem, cum ſentire ſit pati. Sed vnumquodque genus brutorum illa modo præſentiſcit, quæ ipſorum vitæ ac conſeruationis interſunt; aliud vero fere nihil. Igitur dum præparantur in aere imbres & craſſi eleuantur vapores, ſicut fœtor cloacarum, tunc præuius inſuetus oſtendit, & ſæuire incipiente frigore, quo in aquas ſtringuntur, aut aliter inchoata condenſatione ſub variis cœli plagis: ſentit coruus motiones præuias nobis occultas & condenſationes & vapores (quia vapor omnis odor eſt, non autem nobis ſtupido olfactu præditis, vnde non niſi præpotentes odores ſentimus) ſimiliter & pecus, idcircóque ſtudent conſulere ventri, ne

fame ſimul obruantur, & clamant mutuo ſeſe admonendo, ſicut & nos cum quippiam præſenſerimus, aut futuri euentus ingentis nuncium acceperimus. Atqui cum ianua aperitur, feneſtra domus clauditur impellente aere à ianua impulſo, & tamen latet nos iſta motio, quæ feneſtram non latet, vt hinc intelligamus, quam multa in aere latent nos aliis præpeditos curis.

Vultures ſagaci donatæ ſunt odoratu, quoniam cadaueribus veſcuntur, idcirco exhalationes ex mille miliaribus olfaciunt, propterea quod aer commotus affectúſque fertur ventis aliò, propriave fluctuatione. Notum quidem eſt in Phyſicis vniuerſum aerem perpetuo motu ab Oriente in Occidentem ferri, ſicut & mare; Aliis quoque conſimiliter inſuetis agitari. Hi autem affectus feris noti ſunt & piſcibus, nunciique. Sed cum adhuc pugnatum non eſt, & præparationes fiunt & conſilia, aer patitur voces illas militares & conſilia & negotia, quoniam in ipſo & ipſo fiunt. Itaque vultures ſentiunt aëris paſſiones, ſimiles his, quæ fieri ſolent, quando alias parantur bella, ergo accurrunt vbi occiſiones prætractantur, ſicut nos cum videmus bouem trahi ad macellum. Alcyones, qui in littoribus natura nidificant, paulo ante percipiunt maris turbationes & tranquillitates, quoniam ab aere incipiunt. Calor enim lunæ & ſtellarum & ſolis prius afficit aerem, deinde Pelagum. Quapropter affecti quiete vel turbatione aeris, cui ſpiritus ipſorum colligatus eſt, præuident euentus maris. Pariter hirundines diſcedunt ſemper inde vbi frigus ſentiunt, & proficiſcuntur cum ſole nunc ad auſtrum, nunc arcticum, inſequendo amicum calorem, quo palam trahuntur, ſicut & nos. Canes olfaciunt valde, quoniam poros narium prolixos habent, & graciliter adapertos; admittentes ad ſpiritum ſentientem facile, quia tenuis valde eſt, quemcunque vaporem. Omnis enim fera derelinquit vaporem, fumum & motum, quacunque tranſit; qui communicatur naribus & auribus canum: non autem noſtris obtuſioribus, ob cerebri copiam & magnitudinem & narium obtuſam breuitatem. At quidem plurimos vidi homines, qui aliquam intrantes domum, ſubito olfactu noſcunt, vbi oleum latet, aut vinum, aut caſeus; magis autem ignari, qui magis iſta attendunt. Equi nati ad bellum ſpiritu feruido odorantur hominis flatum; & modicum quoque motum audiunt, ſicut & lupi. Aeris enim paſſiones illis innoteſcunt magis, ſpiritu duntaxat aereo præditis. Equidem his exemplis hominis excellentiam & diuinitatem confirmo. Quippe qui omnibus imperat animalibus, quæ ſuperant ipſum acumine viſus, ſagacitate odoratus, tenuitate auditus, quin & tactu, quod negat Ariſtoteles, ſed vermiculi & aranea res minutas tactu norunt, quæ nos latent. Item diuinant ea, quæ pertinent ad corpoream conſeruationem longe melius vt dictum eſt. Nihilominus homo diuinatione longe eminentiori pollet, eo quod præſentiſcit &

olfacit Angelos, Deum, aliámque vitam poſt mortem. Profecto ſi natura dedit animalibus ſenſum neceſſarium ipſorum conſeruationi, ſagaciorem in quibuſdam quam in aliis, prout quibuſdam ſic opus eſt magis, aliis vero magis alter prodeſt: Neceſſario fatendum eſt, ſagacitatem ſtudiúmque ſciendi, quæ fiunt in cœlo, atque cognoſcendi Angelos, & Deum, & vitam immortalem, non fuiſſe fruſtra & ſuperfluo hominibus datum, ſed neceſſario & finis gratia ſibi conuenientis; Veluti neceſſarius eſt aquilæ viſus acutus, vt ex præaltis locis, vbi nidificat, à longe ſerpentes & cadauera, aliáſque eſcas conſpiciat; Et canibus ſagacitas odoratus; Et Alcyonibus prænotio tempeſtatum marinarum, vt dictum eſt. Si ergo prophetia tantummodo corporearum rerum data eſt animalibus; Homini vero incorporearum & æternarum, procul dubio Deus communicat cum hominibus, infundit ſe in animas eorum & facit Prophetas; ſicut aer infunditur brutis, aut etiam nobis. Ipſa tamen, res diuinas percipere non valent, quoniam ipſorum ſpiritui non eſt indita mens diuina, ſicut noſtro. Nec indigent Diuinam Entitatem ſentire, cum minime conueniat ipſis.

CAPVT IX.

Aerem affici rebus præſentibus futuriſque, atque nobis communicare.

VEruntamen & dormiens homo cognitionem rerum ab aere in ſpiritu captat mirificam, quam vigilando non ſentit: quoniam mens ſpiritúſque motionibus validioribus rerum, quas tractant, vident, audiúntque, incumbunt. At in ſomno ſpiritus totus in capite manet, nec niſi ſe reficere cogitat & quieſcere à paſſionibus, quas vigilando ſenſit, ideoque imminutus eſt. Quapropter quicunque effectus in aere fiunt, ei communicantur, qui cum alio non intendat, afficitur facile, ſentitque. Hinc eſt, quod in ſomnis multas videmus res, quæ nequeunt ab humoribus & vaporibus, & affectibus internis in nobis moueri. Etenim vt in opuſculo de inſomniis declarauimus ſuboriuntur inſomnia aut ab affectibus cauſiſque intrinſecis; aut ex motionibus vigiliæ tempore illatis, relictiſq; in ſpiritu, aut à Deo, aut ab intelligentiis, ſed & plurima ſunt quæ aeri tribuenda videntur. Veluti ſi hoc veſperi venerit amicus abſens in ciuitatem, de quo nil diu ſomniaueram, nec cogitaram, ſomniem de illo, ac cras mane videam illum ante ianuam. Et ſic nato inſtantem mortem per gladium mater ſomniat; & cum quid inaſpectatum negotium adeſt,

adeſt, ſomniare contingit de illo: imò vigilans mater ſenſit ſibi in pectore quaſi infigi pugionem, & ſtatim dixit: nunc filia mea pugione configitur, & ita fuit. etiam D. Saja dixit: *Oh! ſi quis me nunc ſclopeto feriat,* & conuerſus vidit hominem exonerantem contra ſe ſclopetum. Quapropter dicendum videtur, quod cum res omnes in aëre fiant, ipſe afficitur re facienda, ſicut nos ex præmiſſa aut conſulta re quid ſequi poſſit, prænouimus; Sicque aër inſpiratus nobis manifeſtat. Præterea comperimus timentes, amanteſque amicos, ſæpe vera ſomniare, & omnes de Arte propria bene ſomniare: Melancholicos vero plurima ſagaci ſomnio percipere, itidem & valde cogitantes. Nã qui timet aut amat, ſemper timoris amoriſque obiectum cogitat. Idcirco quacunque motione excita in ipſius dormientis ſpiritu, excitatur etiam quæ interna eſt ſecum. Cum enim quid attente ipſe cogito, ſi quiſpiam dicat; Ecce aliquid noui affero tibi, ſtatim puto de re, quam cogito, nuncium eſſe. Idcirco amantes & timentes decipiuntur, eo quod aliam pro alia motione accipiunt, & rem pro re; ſed cum res eſt, quam cogitant, verius illi ſomniant, aut prædicunt de illa, quam alij. Et miſtio quidem ita afficit; nam tetris acribuſue vaporibus cerebrum ſubeuntibus fiunt apparitiones tetræ & minaces, & pugnare videntur contra hoſtes aut fugere rei amatæ cauſa: dum ſpiritus vapores illos fugit, aut oppugnat, & affectio amoris ſimul inſtat. Videtur interdum ſibi natare aut volare, cum ſuper vapores molles aut tenues, ſpiritus fertur. At cum paſſio deforis aduenit, bene percipiunt, quoniam vera eſt. Scribunt Valerius & Cicero de duobus amicis hoſpitatis in diuerſorio, quod cum Caupo alterum occidere parat, alter in ſomnis vidit illum petentem auxilium. Qui experrectus, ſomno non credens, obdormiuit. At ſubito vidit quod caupo amicum occideret. Experrectuſque iterum, non credidit, & obdormiuit tertio. Viditque amicum rogantem vt vindicaret mortem ſuam: oſtenditque ſe ſub fimo in Carro componi à caupone efferendum mane extra ciuitatem.

Quapropter ſurgens mane nec inuento amico; comperit carrum fimo onuſtum, adiitque magiſtratus; qui reperto mortuo punierunt reum. Eiuſmodi quidem exempla plurima & ipſe vidi. Ergo veriſimile eſt aërem affectum, cum ſerenus eſt nullis imbribus ventiſque turbatus præſertim noctu, quoniam nec vocibus & opificiis agitatur, bene communicare motiones, vt & quales ipſe recepit. Itaque ſæpe inſueta video ipſe in ſomnis, quæ mane verificantur.

Nam qui ea negotiatur verbis, factiſque, communicat ſereno aëri, & iſte nobis, præſertim cum ſimilia cogitamus. Propterea qui tractat negotium, aut artem, facilius accipit paſſiones aëreas, quæ de illo fiunt. Itaque Reges prælia & fames præuidenr; nautæ tempeſtates; ſcholares minas præceptoris. Et quidam mei amicus, & vini, ægrota-

bat,& interliminio ſomni & vigiliæ, vidit vinum humi ſpargi fracto dolio in cella vinaria centum paſſibus à ſuo cubiculo diſtante; ſurrexit & inuenit fracto dolio vinum effuſum circa ſextam noctis horam. D. Lælius Vrſinus noſter vidit per ſomnium, quod amatus puer de equo in lapides caderet, & ſanguis vultum rigaret & moreretur. Idcirco mane facto dixit puero (quoniam erant in itinere) vt equitaret caute & ſuauiter, nihilominus cecidit puer, mortuus eſt & ſanguis rigauit faciem eius eiſdem omnino lineis, quas in ſomno viderat herus, & omnia vt vidit, contigerunt. Qua in re non videtur aër præſcire potuiſſe, quod à Deo ordinatum fuerat, niſi aut Angeli, aut dæmones, quibus malum illud facere permiſſum erat, ſignificaſſent in ſomnis D. Lælio. Sed forte ipſe hoc potuit aër. Licet enim tractatus non præceſſerit inter homines de morte illius modi, aliis tamen vicibus homines alij ea ſunt interfecti morte, omneſque interuenientes paſſiones remanent in aëre ſopitæ, ſicut in nobis quando non cogitamus. Sed cogitantibus illæ per aërem communicantur, ac potius in re amata repræſentantur, quam ſeorſum, ideoque ſæpe mendaciter apparent, rarò autem verificantur. Aut dicendum res futuras omnes in ſuis præeſſe cauſis, ſicut mors currentis in præcipitium non viſum, eo in curſu nota eſt alteri ex turri curſum & præcipitium ſpectanti. Item ſtellæ, à quibus calores omnes, & motus & paſſiones apud nos fiunt, ordinant quod futurum eſt, iuxta legem ipſis à Deo inditam. Ipſæ igitur calefacientes & mouentes, puerum oblectari equitatione accelerata fecerunt; Equumque faſtidire, & deiicere in faſtidij tempore in eo petrarum loco, noto ex menſura itineris, & tantæ taliſque paſſionis, quæ vſque ad locum illum, ac tempus, eum debebat parere effectum. Quoniam vero quæcunque futura ſunt, præparata ſunt in cauſis ab origine mundi, vſque ad hodiernum diem, ac continuo ad illa inceditur: Omniſque res antecedens eſt cauſa, aut concauſa, aut ſignum cōſequentis rei, atque coëtaneæ, ſicut in Metaphyſ. oſtendimus, affirmari poſſet proximum effectum notum eſſe in aëre, in quo ille calor & ſtimulus currendi & indignandi, & cadendi ſimul fieri debebant. Non modo enim præparationes humanæ interficientium cauſarum, ſed etiam aliarū cauſarum in Aëre fiunt, & cognoſcūtur. ſed nō certò, cū ſint cōtingētia: Ariſt. (lib. de inſo.) in hoc obſtupeſcens, poſtquā negaſſet Deū immittere ſomnia, quoniā ſapientioribus & optimis, non autē idiotis & aniculis immitterentur, aſſerit hæc mirifica immitti à natura, *quonia* (inquit) *natura dæmonia eſt*, hoc eſt, ſapiens. Igitur aëri concedat ſenſum oportet, cū alia non intret natura cōmunicans dormientibus. Quod autem Deus inſomnia immittat & Angeli, alibi oſtendi; argumentūque Ariſtotelis natum ex eo eſt quod Deus ſapientiam Ariſtotelicam, cum ſit ſtultitia ante ipſum, parum curaret. Sed quidem Ioſepho, Danieli plurimiſque talia immiſit ſomnia, qualia

nec aër, nec alia natura, nec Angelus abſque reuelatione potuiſſent percipere, prædicereque. Quod autem in aëre res præſentiantur, mille extant hiſtoriç, paulo ſcilicet ante prælia viſos eſſe homines in aëre bellantes & armorum auditum eſſe ſtrepitum, teſte Plinio, & in libro Machabæorum 2. & Ioſephi, homines armatos & loricatos, & equos & lonceas figuratas in aëre, aliaque monſtra præuiſa eſſe ſcribitur multo ante expugnationem Hieroſolymorum ſub Antiocho & Tito. In Calabriæ clade noſtro tempore conſimilia apparuerunt, & Cometę & terrę motus. Romæ autem ſępe monſtra talia ante clades apparuiſſe non ſemel ſcribit Liuius. Multa quoque accolis Americæ terrifica potenta ante Hiſpanorum ingreſſum in aëre facta eſſe narrant hiſtoriæ. Quoniam omnis præparatio in communi ſenſu aëris nota eſt, ipſaque afficitur ſimulachris rerum conſimilibus; ſicuti nos dormientes ſimulachra armatorum hominũ & colubrorum, aliarumque rerum videmus; dum in nobis excitantur à præſenti paſſione motiones ſopitæ talium rerum. Sic adfirmari poſſet ipſum aërem ſomniare & figurare quæ futura ſunt; cum ſit ipſe communis ſpiritus. At Angelos dæmoneſque plerumque motiones extra ordinem factas in aëre oſtentare, alibi à nobis declaratum eſt. Hic autem nõ eſt locus.

CAPVT X.

De ſagacitate melancholicorum purorum, & impurorum; & de dæmonoplexia, & conſenſu aëris nobiſcum.

MElancholia, quœ fex eſt tetra combuſti ſanguinis, non eſt ſagacitatis cauſa, & præuidendi, vt multi conantur oſtendere & docere, præſertim Ficinus in libro de vita cœlitus comparanda ipſam copulat ſanguini, educitque ex tali mixtura ſpiritus aureos, pulchros, robuſtos, cognitioni aptos. Spiritus enim ſanguinis floridi ſanique melior eſt ſolius, quam aſſociati illo atramento. Itidem lucidior aptiorque ad concipiendas motiones veras, diſcurſuſque puros, non perplexos, alteratoſque quales ſunt in melancholicis fuliginoſis, ideoque dæmonoplexiæ aptis. Propterea aſſero tetram bilem ſanguini mixtam, ſpiritus emittere horribiles fuliginibus inſperſos, & niſi cum ſanguine expurgetur efficere lycanthropiam & timores & cogitationes turpes, ita quod videntur homines furere & inſanire & delectari locis fœtidis, ſordidis, ſepulchretis, & cadauerib. Nam infectus ſpiritus appetit res ſibi ſimiles, vt

patet in citta laborantibus. Atque hi ſæpe dæmone vexantur. Vt enim docte ſcripſit Origenes, atrabilis ſedes eſt malignorum ſpirituum, & dæmoniorum; qui videns ſpiritum corporeum tetro vapore infectum mentemque horrore ſtupefactam non poſſe recte operari in eo, ipſe qui impurus eſt ſordiduſque oblectatur huiuſmodi fuliginibus & ingreditur corpus, vtiturque illis ad inferendum horrorem animæ frenandumque; atque ipſe interim aliena gaudet ſede. Quam ob rem nemo Philoſophus miretur, quod medicina purgatiua lienis, quæ ſedes eſt atræ bilis, & mundificatiua ſanguinis ſanantur interdum affecti dæmone. Vnde impia ſuborta eſt opinio dæmones nullos exiſtere, ſed ſolo humore atrabilioſo fieri eiuſmodi exorbitantias in infecto ſpiritu. Namque abſcedente humore tetro, qui illo vtebatur, diſcedit; ſic etiam moritur homo abſcedente ſpiritu, ac proinde mens, quæ illo vtebatur ad regendum corpus immanere amplius non poteſt, eo quod principale inſtrumentum ipſius deſit. Econtra affirmandum videtur, ſpiritus lucidos puroſque ſæpe ſedem eſſe Angelorum, qui in animo operantur, & docent & illuminant & perficiunt: Contra ac dæmones faciunt. Et quidem humanus ſpiritus lucidus, tenuis, mobilis, menſque in eo, ſicut lux in aëre reſidet: idcirco teter humor natiuo lumini inimicus metum incutit, & fuligines interrumpunt motiones ſpiritus, & diſcurſum interturbant; Conſimiliter afficiunt acres humores. Vnde imaginantur ſeſe eſſe lupos, & vlulant, amittuntque imaginationes veras ordinarias, ac vident motionibus interruptis & miſtis, accipiuntque ſignum pro ſigno, & rem pro re altera.

Quando vero melancholici bene ſenſati ſunt, fit, quoniam ſanguis bene concoctus eſt, fuligineſque foras tranſpirant per rimulas interfibrales, atraque bilis copioſa in lienem ſequeſtratur ne noceat, ipſaque indicium eſt caloris robuſti, quippe qui comburit, nigrefacitque ſanguinem. Ergo producit ſpiritus tenues ac paſſibiles valde; Veluti lignum quod comburitur in principio fumum emittit craſſum, tetrumque, deinde fumum mediocrem, puriorem que, in fine vero ſummum, tenuiſſimum, inuiſibilemque ex actione caloris valida: atque remanent carbones atri, ſic remanet atra bilis in calidioribus temperatura, ipſaque ſignum eſt ſagacium ſpirituum, ſed non cauſa: Cauſa enim eſt tenuitas ac paſſibilitas ſpirituum. Idcirco melancholici ſolitudinem appetunt, quoniam quacunque motione offenditur tenuis ſpiritus. Ideo recedunt à conſortio & cogitant multa, quoniam motus multi fiunt & excitantur in tenuitate. Igitur melancholicus præuidet in ſomniis pluſquam cæteri, eo quod aptior eſt ſpiritus tenuior ad recipiendos exiles inſenſibiles motiones aëris, quam craſſi ſpiritus, ſicuti facilius ſuſcipit motum aër, quam aqua, & motus lāguidiores in tenuioribus imprimūtur magis. Sic intuentes hominem intente, eius cogitationem intelligunt diuinantque ſuſcipiendo exi-

guum motum, quem cogitantis ſpiritus communicat aëri, promptique ſunt ad ſcientiam omnem, niſi fuligo impediat. At quoniam ipſorum tenuis ſpiritus exhalat facilè & repentè, memoriam exilem habent, niſi vaſa ſint grandia, apta multum ſpiritum continere, fontéſque ampli, aptique plurimum reficere: Quapropter ſi caput habeant grande & cerebrum multum frigidiuſculum eos continere aptum, & retiforme ſanguineum, fontéſque cordis ſpatioſos, memoria pollent magna, diſcurſu, ac ſagacitate. Sed Petrus P. noſter parui eſt capitis & feruentiſſimi caloris, & ſagaciter præuidet omnia, præſertim quibus operam dat; aſt minus recordatur, quoniam ſpiritus exhalat nec communicat præuiſiones ſpiritui ſuccedenti: Fuliginibus abundat eius diſcurſum interrumpentibus, & faſtidium in diſcendo afferentibus: mœſtus eſt valde cum ſolitarius eſt. Quod apparet quando eſt ieiunus, quoniam ſpiritus pugnat contra fulgines ex ſanguine in fine digeſtionis ambuſto exhalantes; Quando vero hilaris eſt, nimia hilaritate perfunditur, vt in ſcurrilitatem & facetias tranſcurrat: quoniam gaudet ſpiritus à pugna contra fuligines non infeſtari, aut feriari; & qui tenuis eſt valde, dilatatur in lætitias, diffunditurque adeo vt frenari non poſſit. Multoſque ita atrabilioſos vidi deditos ſcurrilitati paraſiticæ, dum quæritat ſpiritus requiem & lætitiam de foris, vt vacet, & quieſcat ab interna pugna. At Petrus eius eſt ſagacitatis, vt extemplo percipiat quicquid alter cogitat, & quando amicis parantur inſidiæ ab aliis, ipſe ſubito molimen percipit, & amicorum mala, ſicut venaticus canis odoratur & præuidet. Semel cum ſimul eſſemus, iuit ad hauriendam aquam frigidiuſculam de fonte procul à nobis 150. paſſibus pro communi amico. Qui noluit paulum morantem expectare: ſed dixit mihi recedens, ſaluta « meo nomine Petrum Preſteram, nequeo enim expectare. Tunc reuerſus Petrus dixit ad me: Receſſitne? Ego audiui vocem, quando « hauriebam de fonte aquam cogitabundus. Dic Petro vale; quoniam « expectare nequeo. Multáque huiuſmodi ſagacitatis exempla in eo vidi ſub aëre tranquillo. Conſonat exemplum Saiæ, & mulieris c.9. narrata.

Quapropter vere extat ſenſus in aëre, & communicatio cõmunis. Et quæ hiſtoriæ narrant de bello pharſalico percepto apud Abanum à quodam atrabilioſo, & voces quas Brutus audiebat, aliaque huiuſmodi non ſunt fabulæ. Aſt ego cum mali quidpiam mihi imminet, inter ſomnum & vigiliam audire ſoleo vocem clare loquentem mihi; Campanella, Campanella; & interdum alia verba addentem, & ego attendo, nec intelligo quis ſit. At profecto ſi Angelus non eſt, aut dæmon, ſicut Socrati aſſiſtebat, neceſſe eſt aërem ſic vociferari turbatum mea paſſione futura, aut affectum à præparante mihi malum, aut ex ſimili ſimilem alteram imaginantem. At quomodo format

voces? Agnouit S. Auguſtinus hunc aëris ſenſum in libro de diuin. dæm. vbi inter cæteras rationes aſſignat ob id dæmones diuinare. quia corpus habent tenue, aëreum, aptum pati facillime, hancque paſſionem eſſe ſenſum, & ſagacitatem, atque ex pauca præparatione in cauſis argumentari effectus, quam celeriter. Multaque ad rem adducit : tametſi ipſe credam dæmones natura incorporeos eſſe. Equidem longa experientia edoctus nunc ſubito diſcerno, num ſomnium ſit ab humoribus & fuliginibus, aut ab aere, aut ab intelligentiis abſtractis bonis vel malis.

CAPVT XI.

Prophetiam naturalem in ſpiritu, ſupernaturalem in mente fieri, & perperam ab Ariſtotele & Galeno confundi; & de Sybillis & Pythoniſsis.

AT prophetia, qua Deus homines donat, non in ſpiritu corporeo initiatur, ſicut in melancholicis & brutis naturales prophetiæ fiunt, ſed in mente perſe primum, ab ipſo hominibus immiſſa, & ea oſtentat res altiſſimas, in eaque reſidet ipſe ſolus, mouet, docet. in abſtractionibus adeo vehementibus, quæ trahunt vnà ſpiritum corpuſque conſequenter in cœlum. Vnde viſi ſunt multi in aerem eleuati ſæpiſſime. vt S. Catharina & S. Franciſcus vſque ad nubes; qui Dei amore feruentes corpulentiam vicerunt, non autem victi ſunt. Si magnes attrahit ferrum, ſurſumque eleuare facit & in ſublimi ſuſtineri, ſtultitia craſſa eſt Ariſtotelicorum negantium ecſtaſim diuinam. Colligitur ſpiritus craſſi ferri, propriamq; exuperat corpulentiam ad odorem ſui perfectiui Entis; & canis vt carne potiatur eo ſurſum attollitur, quo per ſe perueniret nunquam; & homo nymphæ amore feruens ardua aggreditur, ita vt exercitum vnus diſſipet homo in momento, quanto ergo magis credendum eſt, mentem attolli, quorſum aſpirat, ſurſum, ſpiritum que incaleſcere, & colligi ſecum, corpuſque ſimul in altum trahere, auxiliante diuino amore, illi etiam communicato, ac toto ſimul compoſito ex mentis vnitione? videmus quidem Ecſtaticos non ſentire ſi pungantur, quoniam totus ſpiritus ſurſum eleuatur collectus, reli-

quitque exteriores partes rigentes demortuas, ita vt in quibuſdam, ſi tangantur duriter, frangantur vt vitrum. Hoc naturaliter fieri nequit præſertim tanto tempore, qnanto hi Deo chari in ſublimi ſuſtinentur. Aliorum qui de regnorū mutationibus & diſtantiſſimis prophetant rebus, prophetiam eſſe naturalem tam falſo aſtruunt Peripatetici, quam falſo beſtias alii putarunt eſſe immortales æque ac homo, propterea quòd portant canes carnem in domum, ſicut illos iubemus; & bruta quædam eſſe Deos, à quibus aliquod beneficium acceperimus. Oportet ergo omnia prorſus metiri, ac deinde decernere. Verum eſt quidem, Prophetas loqui per ſigna, & per imagines, ac omnes fere præuidere per imagines opificiorum ſuorum quoniam prophetia incepit in ſpiritu imaginante ad mentes teminanda. Nam Amos videt vncinos, vaccas, plauſtrum onuſtum fœno ſtridens, trullam cæmentarii, quoniam ipſe ruſticus erat. Iſaias vero templum, ignem, animalia mobilia, fumum gloriæ, quoniam nobilis erat genere. Daniel autem Aulicus Regis, ſtatuam diuerſorum metallorum, animalia ſuperba, prælia ventorum, &c. & quilibet præuidet ſicuti ipſi naturale eſt ſentire. Vnus D. Ioannes non loquitur de piſcatione, ſed de equis, angelis canentibus, de phialis plagarum plenis, de meretrice magna, de Agno, de Filio hominis tot ſignificatibus veſtitum: ex quo colligimus Deum ſæpe vti motionibus naturalibus in ſpiritu corporeo impreſſis, in quo reſidet mens, eique reuelat res per eaſdem motiones, à Deo ordinatas alio pacto ad ſignificandum, in alia poſitione & ordine, & modulo. Secundum quod ipſa videre ſolet, & hæc eſt viſio imaginaria de qua loquitur S. Hieronymus & S. Thomas; Idcirco ſapienter Temperantiam Doctores requirunt in propheta quamuis Deus ſine diſpoſitione aliquando ſtatim prophetias inſpirat. nam ſicuti affectus eſt ſpiritus, ita eſt aptus videre; proptereaque Comedones & ebrii prophetæ non fiunt, quoniam ſpiritus ipſorum craſſus eſt ex fumis, ineptus ad ſuſcipiendas impreſſiones ſuperiores, & ad mutationem ordinis propriorum motuum. Sobrii autem ex ieiunio tenuitatem ſpiritus ſibi comparant, vt Helias & Daniel, qui menti ſuperiori ſubſeruit commodius, atque ſimulachra in ipſo figurāti vel ſopitas motiones ſuſcitanti, ordinantique. Nec homo peruerſus turbatus paſſionibus prophetiam diuinam ſuſcipere poteſt, motiones enim ipſius ineptæ ſunt vt componantur, niſi per vim Deus quod non ſolet, ſicuti in Aſina Balaam, componat. Sic Eliſæus dum ſpiritus eius turbatus eſſet incomptuſque, influentiam diuinam ſuſcipere non poterat: Ac cytharæ ſono ſedauit eum, purgauit fuligines, alioſque vapores, ac probe ventilatum, reddidit obedientem animæ. ipſo inuolutæ: ac Deus in illa fatalem ordinationem ſignificauit. Hic cauere potes ab Ariſtotele falſo dogmate in problem. Sect. 30. Quibus multa ineſt, & calida atra bilis perciti ſpiritu ſunt ad omnē motū prompti, & ſic fiūt Sybillæ &

Bacchæ, quæ diuino inſpiraculo afflari videntur, quod tamen non ſic eſt, ſed naturali accidit intemperie. Similia dicit Galen. loquens de morb. non vulg. Sybillæ enim de rebus prophetarunt ad quas non pertingit tenuitas ſpiritus pacto vllo; præſertim quæ Meſſiam prædixit Dominum orbis, quam Cicero citat, ac falſam eſſe cupit, ne Reſpubl. Romana in illius dominium caderet: nec putat eſſe veram prophetiam, propterea quod primæ ſingulorum verſuum literæ copulatæ nominant quendam Redemptorem per crucem. Hoc autem ſibi impoſſibile videtur, quoniam prophetæ poſt furorem neſciunt quid dixerint, nec in ipſo furore poſſunt componere verſus, tam accurate conditos, ſed alicuius induſtria (ait) aſtute concinnati ſunt. Ex quo colligere licet prophetiam melancholicorum & Pythoniſſarum in furore fieri, ac memoria non retineri, quoniam ſpiritus incaleſcens attenuatus exhalat ſucceſſoribus ſpiritibus non communicando paſſiones. At prophetæ diuini bene norunt quidquid prophetarũt, quoniam in mente immortali fiunt, non autem ſpiritu corporeo, ac diuina quadam arte ordinantur & excellentia. Vnde Diabolus in energumenis conatur pangere verſus, virtutemque primam ęmulari, ſed ſitatibus erroribúſq; replet, ſicut tot in hiſtoriis legimus, & ipſemet expert⁹ ſum in quodã à dæmone ludificato. Quę Ptolomęus dicit prophetiã ex Ioue, Venere ac Mercurio dæmonoplexia effecta à luna & Mercurio; afflictis de die à Marte, & de nocte à Saturno; In multis inueni vera eſſe. Et D.Tho. cõteſtatur 3. cont. Gen. quod Mercurius in domo Saturni bene diſpoſitus dat intelligentiã rerũ medullitus. Non tamẽ credo ſtellas aliud facere, quã inclinantes diſpoſitiones inducere. Nam Iupiter & Venus benefici, Mercurium ſpirituum Dominũ ob ſympathiam bene afficiendo, imprimunt in conceptione ſpiritus nobiles in nobis lucidos aptos ad diuinam influentiam, & viſiones Angelicas, vt dicebat Origen. Mars vero & Saturnus affligendo Lunam, Mercuriumque ſenſibus ac diſcurſiuæ præſidentibus ſymbolo, & influentia naturali, vt in Metaph. declarauimus, producunt ſpiritus acres, tetros, fuliginoſos & prauam temperiem, quapropter plebicula & fœmellæ prauis nutricib. aut ex menſtruo ſanguine, vel ex retentis excrementis, præſertim in vtero peruerſos vapores concipientes, perturbantur, fiuntque apti ad dæmonis illuſiones. Remedium dat Hippocrates virginibus coniungi viro, vt vterus generationis auidus & prauorum ideo vaporum cauſa, expurgetur. Senib. vero purgationes prouocare, & pingues brodios exhibere; vnde ſpiritus lucidos producant, atque vina generoſa, ſubdulcia ac firma. At abſq; religione non expellitur malum, ſi dæmon in dominatu confirmatus fuerit, vt ſequens libellus manifeſtabit. Sunt tamen quidam qui paſſione tantum naturali afficiuntur eiuſmodi maniæ, ſicut Socrates, Callimachus, Scotus, Hercules, & Mahomethus; cui tamen dæmonem perpetuo aſtitiſſe ex eius furioſis mendacibus fabuloſis, repentiniſ-

tiniſque reuelationibus, liquet. Atque hi ſæpe deliquio intermoriuntur ab Epilepſia vapore tetro caput infeſtante, quamuis acuti & ingenioſi ſanitatis tempore ſint. Alij vero adhuc ſani læduntur, vt aniculas vidi multas, alij ſimulant. Alij à Dæmone vexantur, ſicut Pythoniſſæ. Atque hi deceperunt Ariſtotelem & Galenum & Auicennam alioſque, vt crederent aliam non extare prophetiam niſi naturalem. Sed quidem res in mundo omnes conſimiles ſunt, & qui bene non diſtinguit, decipitur ſæpe. At Socrates, & Plato Prophetas ſanctos à prauis recte diſtinxerunt: & expectabant Reformatorem aliquem magnum diuini cultus, exhibiti impie creaturis & ſtatuis, vt patet apud Platonē in Alcib. & in Dial. de Voto, & de Sanctitate. Præter multas experientias vidi ſororem Æmiliam anno ſuæ vitæ 12. oppreſſam à dæmone quando ſol eius apheta, qui erat in Aquario per directionem ad Saturni diametrum peruenit in Leone, & ſimul à Marte oblæſus eſt Mercurius. Poſt annum conualuit ſignis mirificiſſimis oſtenſis, ac deinde nupſit viro probo, & vixit in magna ſanctitate vſque ad 35. annum; at anno 35. ſub benignis aſpectibus læſo Apheta tranſitu Saturni intermortua cecidit, & vidit viſiones Dei & mirabilia de ſeculo venturo narrauit, de inferis & cœliculis; & ſapientiſſima euaſit in Theologia ſine ſtudio. Prædicebat euentus quam plurimos, veroſque præmiſſa oratione ad Deum. Vnde agnoui diſpoſitionem naturalem à temperie & ſtellis conferre multum ad ſuperiores viſiones: vt & D. Thom. fatetur: licet Deus abſque his poſſit ſimul diſponere, & formam, & actum præſtare.

CAPVT XII.

Omnes aquas, liquoreſque ſentire, & de ſympathia & antipathia ipſorum.

AQuas etiam liquoreſque omnes ſenſitiuos eſſe neceſſe eſt, cum à calore, quem ſenſitiuum eſſe demonſtrauimus, generentur, & informentur. Quod ipſorum oſtendit conſtitutio in locis & temporibus calidis ex vapore calido, qui vt fiat aqua condenſationem patitur modo, aliud nihil, vt in Alembicis & operculis ollarum, & in fornicibus balneorum palam fit; vbi fumi abſque frigore ſed vltra progredi prohibiti in aquam denſantur; & ſapor ipſorum aut ſalſus, aut dulcis, aut inſipidus, noſtro videlicet calori ſimilis (Nam propterea ſaporem non oſtendit, quod ſimile à ſimili non patitur, vnde & oui albumen crudum inſipi-

dum apparet) teſtes ſunt natiui ipſorum caloris, quamuis à frigore extraneo perpetuo occupati ſint, ita quod nequeant nobis calorem manifeſtare præſertim calidioribus; nam & oleum & vinum percalida, frigida tamen apparent, ex frigore externo & comparatione noſtri. At motus quo gaudent, & quo priuati putreſcunt, oſtendit non modo eos calidos, quippe cum calor motu ſeruetur, ſed ſimul etiam ſentientes. Flumina omnia curruntad mare tanquam ad ſimile, principiumque à quo ſeruantur. Ipſumque mare perpetuo gyro ab ortu ad occaſum mouetur. (Vnde naues breuiori tempore ab Hiſpali in Peru, quam à Peru in Hiſpalim nauigant) ac motu gaudet ſua diffuſione ſicut aër, ſed non tantopere, quoniam non tantundem caloris habet, nec tenuitatem tantam, qua poſſit ita expandi; Nec ergo ſenſum tantundem, ſed minorem & paulo obtuſiorem. Sequitur mare Solis motum ac Lunæ non ea ratione prorſus, qua ferrum magnetem, ſed quia tumeſcit & rareſit ab eis. Tenuitas vero ingenerata compreſſionis inimica eſt, idcirco eleuatur, vbi calor adeſt, & deprimitur vbi abeſt. At ſingulis ſex horis in totum eleuatur ac deprimitur vbique: nam ſub quadrante, vbi ſol imminet, tumeſcit, ideoque aquæ eleuatæ currunt in oppoſitam partem hinc & inde, & in ea eleuantur propter obuiantem concurſum, ſicut in feruente olla palam fit, vbi pars igni expoſita tumeſcit, ac ſimul oppoſita, id eſt ad anſas ollæ; ſed in lateribus deprimuntur, quia nec ignis, nec concurſus ibi eas attollit. Sic in gyrum pergens Sol efficit, ſicut flamma ollam ſucceſſiue circumdans, vbi ipſe eſt, & in oppoſito tumeſcere, in lateribus vero decreſcere, ita vt quatuor vicibus in 24. horis aquæ totius ambitus Oceani terram cingentis creſcant ac decreſcant, ſed telluris ſitus hos motus variat: Alibi vero Luna, alibi diſpoſitio aquarum. Nam per tenuiores nequeunt in hyeme nauigare, ſicut Indum mare: per craſſiores nequeunt in æſtate, ſicut in Perſia; nam Sol hybernos vapores generat in tenuibus, nec poteſt educere, ergo mare interturbant: æſtiuus vero in craſſis; In æqualibus autem matutinus veſpertinuſque Sol tumores facit, eo quod obliquus eſt, ideoque impotens ingenitos educere vapores, quos tamen cum meridianus eſt, educit, æthesiaſque auras conſtituit in æſtate validus, perpendiculariſque. Atque pacatum mare videtur eo quod à vaporibus exitum nactis non agitatur ſicut mane & veſperi; licet in Parthenopæo oppoſitum verius ſit ex maris craſſedine pingui. Omnes autem huiuſmodi motus fiunt ex maiori, minorique ſenſu tenuitatis maioris, minoriſque. At in omnibus maribus & fluuiis generantur piſces, vermes & plantæ, quorum nullum abſque ſenſu & calore animari poſſe credibile eſt; quin mare ſuſcipit figuras cœli & terræ, ſicut aër, quando prædicit euentus, & ſic piſcibus ineſt præuiſio tempeſtatum, æſtus & gelu & belli inter ſe inuicem, & mutatio regionum & ſedium, ſicut terreſtria animalia con-

ſueuerunt. Nam hyeme ex ſubpolari ad noſtrum mare accedunt, æſtate vero recedunt turmatim. Præterea aquæ omnes ſurſum corpulentiam vincentes attolluntur, ad implendum vacuum, ergo illam ſentiunt imperfectionem vel amant ſui diffuſionem, ſicut in 1. lib. dictum eſt Eriguntur præterea aquæ de mari ſupra montes quaſi per ſpongiam, & panis attactus vna ex parte ab aquis totus perfunditur; & colantur per panni fruſtum liquores omnes vltro aſcendentes gutta poſt guttam ſimilis ſimilem inſectantes, & ita ſeſe impellentes, & vltra dilatantes, vt vbi altera erat, altera accedat, vt in ſpongia palam fit. Hoc autem abſque ſenſu exquiſito non facerent. Nam arena non aſcendit tangens panni extremum ad illius ſummum, vt aqua. Item aqua in patera conglobatur, ne cadat, diuidatur & pereat; & ſi quid craſſum imponas attollitur ſuper pateram & ſeſe continet, dum nolunt partes à partibus ſeparari: Omnis enim diuiſio mors eſt rebus conſimilibus cognatiſque. Præterea cadentes aqueæ guttæ ſuper frondes arborum, aſſumunt figuram ſphæricam, vniunturque ne diuidantur & moriantur; & gutta guttæ tactum appetit, & iuxta ſe inuicem vbi ſunt, ſtatim vniuntur & incorporantur, mutuo ſe iuuantes auxilio contra aduerſum aërem & contra corpus, in quod inciderunt, ne ab eo ſorbeantur; & ſuper tabulam guttæ multæ cadentes viſuntur tumidæ in ſe ipſas elatæ & contentę, & agitata tabula moueri nolunt, at ſi alia aqua eas prope tangat, ſtatim illi admouentur, vniunturque. Præterea ſaliunt de fonte aquę inſequentes vaporem craſſum, quo cum generantur, non ſecus ac ſanguis ſecta frontis vena ſalit inſequendo ſpiritum; Compreſſæ quoque diſſiliunt, tanquam compreſſionis inimicę, inſtar ventorum, aliarumque ſentientium rerum. Cum aërem craſſi calidique vapores occupant, pars tenuior ſulphurea compreſſa accenditur, foraſque erumpit in fulgura & tonitrua. Craſſior vero ne diuidatur, & veluti tenuem inſectando vnitur tanto impetu, quod in grandines induratur, qui propterea locis temporibuſque calidis fiunt, frigus autem in aëre extraneum colligitur ad conſpiſſatum vaporem, gelatque magis. Nec fulmina alia ratione fierent: niſi quia vapores exhorreſcentes diuiſionem, quam calor exiliens affert, in rem duram conſpiſſantur, quando ſecum multas fuligines habent, quæ ſunt portiones minutę ſiccitatis exhalantes vna cum tenuibus in magno æſtu terræ; ideoque aptæ ſunt compingi in ferrum, lapidem, aliaſque huiuſmodi conſiſtentias. Sanguinem ſentire priores ſermones docuerunt, ſimiliter & ſputum, quod coit in vnum, & dum extenditur, à corpulentia non vult ſeiungi, ſeiunctumque ad cognatum ſe contrahit & humi proiectum agglobatur vltro: & ſuper æs calidum aſſumit ſphæricam figuram, & reſilit fugiens mortem, in igne ſtridet, ſicut liquores cuncti, nolentes fieri aër, & fumus, niſi violenter. Præterea pugnare humores alterum contra alterum, in fe-

bribus patet. Vbi ſanguis fugit & redit ac ſuccurrit, vbi eſt opus, ſique de naribus affluat multus, perfuſis aqua pedibus aut teſticulis, reuocatur ad ipſorum auxilium, & fluere ceſſat. Sanguis occiſi præſentem occiſorem indicat. Liquores multos deſtillatos, & quos vocant aquas fortes, inuicem pugnare notum eſt Alchimiſtis. Maximè autem aqua vitæ contra oleum, & res vnctuoſas. Ipſe quoque vidi aquam in deſtillatorio extractam ex ſale & myrto rebuſque ſiccis, amariſque, fluori confecto ex roſis & ſaccaro impoſitam, mirifice altercari, fugere, reſilire, iraſci, feruere, ſicut ſpiritus animalis diuerſam ob qualitatem atque ſenſum. Omnes ſane liquores cum à calore liquefaciente generentur, aut ex calido condenſato fumo, calidos eſſe ſentienteſque neceſſe eſt. Præterea Reubarbarum videmus ex cunctis corporis partibus choleram in ventriculum attrahere; agaricum vero phlegma; ſenam, bilem atram; alioſque ſuccos herbarum, liquores alios; quibus ſtimulatus ſpiritus inteſtina ſtringit, expellitque excrementa, purgatque. Hoc autem ſimilitudinis vi fieri comperimus, cum prædictæ medicinæ omnes ſimiles ſint colore, odore & ſapore humoribus, quos attrahunt. Propptereaque caput aſpidis appoſitum loco in quo momordit hominem, attrahit ad ſe venenum homini inimicum, aſpidi vero amicum. Mus quoque naſcens in radicibus napelli deglutitus ſanat hominem à veneno napelli, trahendo ipſum totum in ventriculum, vnde ſimul à ſpiritu expellitur foras. At ſi bibatur alius napelli ſuccus non attrahit primò hauſtum, ſed ipſe permeat viſcera, cum ſit liquidus, ad alium liquorem napelli ſe conferens ſimilitudine. Mus autem odore trahit, & denſitate non it. Senſus quoque attractionis Antimonij, notus eſt cunctis medicis. Pari modo ad extrahendum oleum ex veſtibus eo perfuſis, requiritur aliud oleum, quod mollificet illud, ſibique incorporet, ſimilitudinis vi: Poſtea apponitur res arida ambobus contraria, vt bouis fel aut cinis, quo expellitur liquor vnctuoſus totus. Hac ratione magica ſaponis compoſitio inuenta eſt, ex calcis cineriſque lixiuio & oleo conglutinatis; Altero attrahendi gratia, altero vero expellendi. Sapon quoque ex vini fecibus itidem confici poteſt, ad vini maculas abſtergendas. Sic & Theriaca ex venenatis viperarum carnibus atque ſimplicibus rebus multis veneno inimicis componitur, vt aliud amicitia trahat, aliud attractum per inimicitiam expellat; aliud corroboret & in ſalutem aliud vertat.

CAPVT XIII.

De ſenſu lapidum & metallorum, & de amicitia & odio.

LApides quoque ac metalla ſenſu non carere licet obtuſiſſimo inter omnes, ipſorum conſtitutio declarat, cum ex terra liquida indureſcente fiant: At lapides ex craſſo fluore non admiſta viſcoſitate aut tenuitate, qua de re frangibiles ſunt, non autem flexibiles; ſicut metalla, quæ viſcoſitatem & quid tenuitatis inſuper continent. Propterea liquefacta imminuuntur pondere excepto auro, quod quia ſimilaribus prorſus partibus compoſitum eſt, ponderis nihil amittit; nam ſimul omnes eius portiones exhalarent, cum ſint conſimilares, ideoque altera non magis nec prius liqueſcit aut attenuatur quam altera, nec ergo exhalat, Omnia tamen in ſe calorem continent: quem contuſi percuſſique lapides laxati manifeſtant: ac confricata ſimiliter metalla; ac odorem ſulphureum & quidpiam cineris emittunt, dum percutiuntur, vt intelligas ipſos lapides, & non percuſſum aërem inflammari, & compeditum continere in denſitate calorem. Ergo omnia ſenſum habent, cum ſenſitiuus ſit calor.

Præterea metalla cuncta ac lapides nutriuntur & augentur tranſmutando ſolum, vbi primo adnaſcuntur ope ſolis, non ſecus ac plantæ, in fluorem, & imbibendo ipſum per venas, attrahendoque; qua de re cryſtalla creſcunt in cubicam figuram, Adamantes in Pyramidem; Et Appenninorum ſubſtantia lapidea in montes ſuperbiſſimos creuit; vbi videre licet paſſim tanquam ramos arboreos in figuram oblongam quadratam expandi multos. Nec quidem poteſt ſol ſubito erexiſſe ſubſtantiam hanc in montes Appeninos, & Alpes & Pyrenæos Hiſpanicos, & Acroceraunos Dalmatas & Libanum & Antilibanum Philiſtæos, & in Caucaſum & Gathim, & Riphæos, qui per milliaria plurima extenduntur, & in aëre tantopere attolluntur. Plinius teſtatur marmorum fodinas in Hiſpania creſcere in tantundem marmoris, quantum extrahi conſueuit. Ilba Hetruriæ inſula quantũ ferri regenerat continuo, notum eſt, & montes Styli & ſalinę Altimontis in Calabria ſal inſtaurantur vegetatione perenni. At quidem lapides metalláque non creſcunt, cum à ſua quaſi matrice ſeparantur, niſi fortè per additionem exteriorem non per vegetationem.

Sic & animalium oſſa infracta, ſeparatáque ab animali non amplius creſcunt; & ad certum tempus peruenietia non augentur, ſic & cornua & ouorum putamina, & dentes lapidib. ſimillimi, & maiori augmento oſtrea, conchilia, limaces, teſtudines lapideam habent veſtē, quæ in eis nutritur & creſcit ad determinatam quantitatem: Participatque ſenſum cum eis communem, ſed obtuſum, qualis ineſt vnguibus noſtris. Sed ſpinæ Echinorum palam flectuntur ad motum in radice membranoſa & ſentiente.

Quæcunque autem Entia nutriuntur, attrahunt introrſum alimentum, non cuiuſcunque ſubſtantiæ & qualitatis, ſed illius modo, quæ illis cognata eſt, ſimiliſque: Sic etiam renuunt contrarium; quare æs & ferrum euomunt excrementa paſſim, ac rubiginem, quod abſque ſenſu magno non fit. Sed magnes quæ polum ſpectat, excellentis ſenſus indicium affert, Sic & ferrum, quod ad ipſum fertur, & adhæret, vt in primo libro ſatis dictum eſt. De Mercurij ſenſu nemini dubium eſſe deberet, cum ſpiritalis liquidúſque vnà conſpiciatur perpetuò agitari, & ſeparatum vniri, vtque ſe defendat, fieri ſphæricum, & libenter ad metallum perfectius currere, eíque adhærere: nam intra arcam ex altero in alterum ſe cōfert angulum, vt perueniat ad argentum, magis autem aurum appetit, cui fortiter inhæret, & per vim ſeparatur. Quam ob rem aurifices cupientes auri minutias & limaturam colligere, ſuperinfundunt mercurium, qui fruſtula omnia complectitur, ſibiq; vnit, deinde apponitur igni, & Mercurius ſtatim exhalat, cum ſit mollis, tenuiſque ſubſtantiæ; facilè in fumum conuertibilis: Aurum verò in vaſe remanet. Sic circulatores decipere ſolent imperitos oſtentantes ſe ex mercurio aurum efficere poſſe.

Præterea inflexa vitra ac metalla, reuertuntur ad poſitionem ſuam rectam, vel ſphæricam, magis autem quæ ſunt frangibiliora, quibus pernicioſius eſt inflecti. Extant lapides Aſtrohites, & Trochites, vt teſtatur Plinius, ac nos vidimus, qui ſuper plana tabula perfusáque aceto aut limonis ſucco, à ſeipſis mouentur, ita & pumex. Sunt enim lapides poroſi ſpiritum & tenuitatem continentes: quæ acumine penetrantis aceti excitantur, & cum tota mole mouentur, ſicuti nos intermortui allij odore reuiuiſcimus. Extat ſenſus attractionis in eis: nam ſuccinum attrahit feſtucas; aurum & argentum, palmas oliuáſque, quibus vtuntur theſaurorum abſconditorum inueſtigatores ad loci agnitionem. Corallium arborem lapideam intra mare eſſe, nemo ignorat; quod ægrotis appoſitum colorē amittit, vbi febricitant; vbi ceſſat febris, iterum rubeſcit vti caro, cui eſt ſimilis; & eius affectiones compatitur. Porta narrauit mihi, argentum intra quaſdam ipſius aquas chymicas conuerſum fuiſſe in ſ arborem paruam frondoſam formoſamque, vt ex putrefactis planta & animalia generat Paracelſus. Iaſpis ob ſimilitudinem, quam cum ſanguine habet, eius

effluxum cohibet. Abinzoar contra malignas febres optimum eſt. Aliaque ad alios vſus: qui autem verſantur in fodinis lapidum ac metallorum longe plura experimenta habent, quæ conſenſioni & diſſenſioni rerum tribuenda ſunt. Quouis ex metallo aquæ chymicæ vi auri particula extrahitur, at ex auro metallum aliud minime. Ipſum omnia ad ſe trahit, quia perfectiſſimum. Nigredine tingit candidam chartam, ſed non quantum argentum. Aſt heracleum lapidem proprio maculant cuncta colore. Hic Sanct. Auguſtinus obſtupet, qua ratione candidum argentum nigrefaciat, quod poſſet infringere huius libri fundamentum, hoc eſt, nullum Ens dare quod non habet. Sed firmum ſtat, quoniam metallorum materia non eſt bene deuicta, ſicut in vitro; ideoque ſua tetra facie tingit albam chartam; licet ſimul tingat argentino eandem candore, qui tamen non apparet, quoniam candore chartæ confunditur. At in heracleo apparet candor, non autem nigredo, quoniam niger eſt, & nigredinem argenti ſecum occultat. Nec vnquam prorſus deuicta poteſt dici materia metallica, niſi fiat tranſpicua frangibiliſque: quando iam viſcoſus vultus materialis exuperatus eſt à caloris vultu. Quapropter vitrum eſt poſtremus actus ipſorum, & tenuitas vaporum, & aqua vitæ liquorum. Aiunt vnicornis exudare cornu ad veneni ſibi inimici conſpectum, & aquam ebullire eius ſpiritu, ſi illi imponatur. Aurifices lapides pretioſos ſcintillatione & vigore alterum alterum vincere notarunt. Muſchus amiſſo natiuo odore ſi ſuſpendatur in cloaca colligitur ab odio fœtoris infeſti, & augetur eius odor mirifice, ſicut omne contrarium intra contraria conſueuit augeri, niſi vbi penitus extinguitur in fine pugnæ. De magnetica attractione & conformatione dictum eſt in libr. primo: & quomodo ferrum poſituram etiam ab arte ſortiatur & ſuo ſenſu illam ſeruet, dum in aquam ſuper ſubere natat. Et D. Thom. hoc etiam notauit.

CAPVT XIV.

De Plantarum ſenſu, ſympathia & antipathia mutua, & alias ad res.

DE ſenſu plantarum, nemini dubitandum eſſet, cum veſcantur, nutriantur, creſcant, ſemina & natos producant, non ſecus ac animalia. Vnde diſputat Clem. Alex. num dici debeāt animalia à Platone enim animalia inuerſa, immobiliaque vocantur. Pythagoræ verò ſenſu præditæ videntur. At

Ariſt. in 2. de Anim. vegetatiua anima, non autem ſenſitiua præditæ ad parent, propterea, quod (ait) operationes ſenſus in eis & organa non reperiuntur, qui nihilominus non modo ſenſus ſed & rationis actus in eis agnouit alias, (2. Phyſ.) quando oſtendit operari propter finem, fructus videlicet vt æternentur, ſpinas ad defenſionem, & folia ad tegendum. At animam dat plantis, ſed quomodo animam abſque ſenſu? quia carent oculis & auribus? imo oſtendimus hæc non eſſe ſenſus, ſed vias feneſtraſque ad ſentientem ſpiritum, vt S. Chryſoſt. & S. Auguſt. docuerunt, Echinus enim caret. At vel tactũ non debuiſſet eis auferre, quippe cũ radices ori animalis ſimiles, terræ immerſas ad ſugendum nutrimentum in eis agnouerit: Quapropter & guſtum eis tribuere debuiſſet. Palam enim eſt, non omnem plantam omni in loco nutriri & gigni. Piper enim India producit non autem Italia. Arangia Italia nutrit non Germania. Nutritur ergo planta terreſtri ex fluore ſibi connaturali ac ſimili, eumque exugit, itaque in diſſimilem tranſplantata locum non exugit, quia conſimilem non inuenit, proptereáque moritur. Nec ex toto ſolo nutritur, at ex liquido. Idcirco circa fodimus, vt penetret ſol, & liquefaciat ſolum fermentétque ita, vt poſſit in alimentum conuerti. Ideóque fimum calidum pinguemque radicibus apponimus. Planta ergo ſecernit vtilem ab inutili ſucco. Ergo ſentit quid ſeruet, quidve non conſeruet. Hocque palam in æſtate faciunt, quando nimio ab æſtu ſunt ſqualidæ & demortuæ, comas demiſſæ, velut afflicta animalia: At ſuperueniente pluuia ſubito reuireſcunt, comas attollunt, viuificantur, formoſæque redduntur, ac manifeſtæ lętitiæ ſenſum oſtentant & refectionis, ſicut poſt inediam ac laborem homines inuenientes cibum: Nec hoc Virgilium latuit.

Præterea quo pacto diſtribui poſſet nutrimentum per totum corpus, tanto ordine, tranſmittendo partes ſolidiores ad oſſa, lentas ad carnes, pingues ad medullam, viſcoſas ad neruos, & corticem, lubricas ad folia, vnctuoſas ad ſemina, leuem benéque digeſtam ſubſtantiam ad flores; niſi pars omnis ſenſum attrahendi ſimile haberet, & ſpiritus non intermaneret, qui coqueret, & partiretur alimentum? Patent inſuper in planta nerui & venę adhærentes oſſi, & in his animam inhabitare neceſſe eſt, nam detecta vndique cortice moriuntur. At ſi vltra dimidium oſſis ſecentur, dummodo relinquatur cortex ex oppoſita parte, non moriuntur; quoniam ſpiritus ipſarum craſſus eſt, nec ita facilè exhalat per ſectiones alterius partis; Sed trahit adhuc ipſe rectis vaſibus, quem exſucta terra ſubminiſtrat ſuccum, reficitúrque.

Præterea ergo ſi plantis inſunt oſſa, medulla, nerui, venę fibrę, corium, os, veſtes, arma, & prolificatio, ne moriantur penitus, fatendum eſt animalia eſſe, ſenſúque abundare. Hoc quidem argumen-

mentum imperitis & ſtupidis quoque ſuadeat, qui ſenſum non norunt, niſi per organa: Sapientiores enim certius ipſum agnoſcunt in aëre & cœlo rebúſque ſpiritualibus, organo carentibus. Veluti idiotæ imaginantur Deum corporeum ſimilem homini, putántque ipſum non ſentire nec ſapere, nec gaudere, niſi vultum habeat, corpúſque inſtar hominis. Qua de cauſa damnauerunt Magnum Origenem in Ægypto Monachi rudes, & Patriarcha Theophilus, quia Deum incorporeum fecerat. At ſapientes nouerunt hęc organa & corporeitatem eſſe Deo imperfectionem, non autem excellentiam. Pręterea ſi hoc non ſufficit, inueniemus in plantis ſexum maſculinum & fœmininum, vt in animalibus, & fœminam non fructificare ſine maſculi congreſſu. Hoc patet in ſiliquis & in palmis, quarum mas fœmináque inclinantur mutuo alter in alterum, & ſeſe oſculantur, & fœmina imprægnatur, nec fructificat abſque mare; imo conſpicitur dolens, ſqualida mortuáque; at puluere illius & odore reuiuiſcit. Pręterea extant plantæ in Scandinauia, quarum fructus vertuntur in animalia volatilia. In omnibus quoque plantis innaſcuntur vermiculi; quorum ſenſus ex nihilo non oritur. Ergo calor ipſarum ſenſitiuus molem attenuando & liquefaciendo, & deforis indurando, producit vermes in eis, quin & in arefactis tabulis. Præterea eſt amicitia, inimicitiáque inter Plantas. Braſſicæ enim vitibus inimicæ, & mutuò deſtruuntur, ſi ſimul plantentur, & qui inebriari non vult, braſſicarum ſucco bibito vincit, obtunditque vaporem & vires vini; Lupini ſycomoris infeſti ſunt: Oliuæ amicæ myrtis, ac vna bene ſe habent; vt & vites vlmis; vbi mirum quanto artificio plantæ flexibiles manus quaſi ſibi parant, funiculóſve quibus amicæ robuſtiori colligantur & fulciantur. Sic hedera quaſi clauos parat, quibus infigitur corticibus quercuũ ſtabiliumque corporum.

Præterea quidam fungi naſcuntur gregatim in Biſiniani territorio, olentes moſchum; at ſi quis cacauerit in loco vbi naſcuntur, fugiunt, & paulò diſtantius naſcuntur, viſcoſo vapore benigno, ex quo naſcuntur repente ac fugiente inimicum fœtorem. Habent & plantæ Antipathiam & Sympathiam cum metallis, vt dictum eſt. Porta quoque multiplices adnotauit amicitias inimicitiáſque quas cum partibus animalis habent: vt Cucurbita cum capite, Iecoraria cum iecore, teſticularia cum teſticulis, dentaria cum dentibus; exque figuris earum multa indagauit, ſed ſi non in omnibus diuipat. Nihilominus res mirificas induſtria propalauit latentes. Vidi etiam cucurbitas vbicunque ſecantur, eo ſerpere, vbi poſſint inniti, præſertim in arboribus frigidiuſculis; & eo ſe dilatare, vbi aquam ſentiunt. Sique ſupponas vas aquæ plenum pendenti cucurbitæ ipſa creſcit in longum, mirificè vſque ad aquam ſeſe effundendo. Si verò olei vas ſupponas, aliorſum planta ramos expandit, reuoluitque: Cucurbita verò contrahitur, minuitúrque abominans oleum. Sic & Roſa fugit

à cæpa. Quare & odoratum habet per poros exhalationem admittendo. At ſenſus omnis, tactus eſt: & Ens hunc habens, dici inſenſatum non poteſt. Vinum in doleo floret, quando vites florent vt dixit S. Athan. in def.

In lignis aridis ſenſus quoque reperitur, ſed modicus, qui non niſi vermium generatione manifeſtatur: Dum calor actiuus nunquam agendi oblitus, agitat viuificatque particulam aliquam diſpoſitam magis. At in Foro Iulii ſæuo gelu exſiccantur oliuæ; ac deinde germinare ſtipites ſicci viſi ſunt; quod admiratur Virgilius. Verum trabes palmea cui pondus ſuperponitur, quaſi dolens etiam ſurſum arcuatur, contra moleſtiam ponderis. Præterea omne lignum vi inflexum relictum ſibi, redit ad poſitum ſuum; ergo ſentit contrariam poſitionem inimicam ſicut animal, euitatque. Si enim inſenſata foret, remaneret ſicuti ponitur: Lignum igni appoſitum ſtridet, ploratque manifeſte, quia deſtruitur; & quidem modo ſuo, non noſtro has oſtentant paſſiones. Lauri folia effugiunt ignem & reſiſtunt, inflectunturque quaſi ſerpentes contra calorem infeſtum. Cum cœlo etiam habent conſenſum plantæ.

Heliotropia quidem perpetuo ſolem inſpectat, vertitque comas ab Orienre in Occidentem ſecum, & noctu ſimul conuoluitur, ita quod mane ad Orientem couerſa apparet. Heliotropiarum genera ſunt multa; aliæ humiles, quæ florem longum habent, granoſumque; aliæ vnicum florem figuram ſolis referentem; alia in Euphrate naſcitur ſub aquis, quæ mane oriente ſole educit comas ſuper aquas, & eleuatur ſemper magis cum ipſo ſole vſque ad meridiem, & deinde demittit paulatim faſtigium vſque ad veſperam: Et ſole ſub horizontem meante, ſub aquas ipſa immergitur, & ad circulos ſuos reuertitur. Plane hæc indicia mirabilia ſunt conſenſus rerum omnium cum omnibus.

Tiliæ quoque, vlmi, ſalices, populi, & oliuæ, dum ſol ab æquatore in Cancrũ declinat, ſemper comas ad Boream flectunt; & ſole à Cancro recedente vertuntur iterum in auſtrum latitudinis motum inſequentes: vti heliotropiæ & lupini longitudinis. Dicere quis poſſet, ita euenire, quoniam ſol ex ipſarum neruis rectis attrahit continuo vaporem recta extrorſum, propterea ad ſe herbas iſtas perpetuo ſpectare cogit; at abſque ſenſu hoc non fit: nam fœnicula euidentibus, rectiſque donata neruis ſic non vertuntur; & illæ ſectantur motum latitudinis, iſtæ longitudinis, quapropter ſenſum conſenſumque inter cœleſtia terreſtriaque Entia ponere decet; nam non modo Leo & Gallus ſolaria ſunt animalia, ſed herbæ ac metalla cum cœlo conſenſum habent, vt magnes comprobat; & lapis pleiadas numero & diſpoſitione in ſe notatas habens; & alius lunam, alii alias ſtellas. Et animal in India pennatum reperitur fuſci coloris, quod tamen creſcente Luna augetur colore; ita vt in plenilunio purpureum ſit pror-

ſus. Ac tunc Coloni obſeruant illud, occiduntque vt pennis potiantur ad vſus proprios, quæ ſtabilem poſtea retinent colorem puniceum prorſus. Eſt etiam herba quæ in primo die Lunæ vnum emittit folium in ſecundo alterum vſque ad 15. quæ ſtatim incipiente decreſcere Luna cadunt, ſingulis diebus vnum, ordine quo creuerunt & num. Aliaque plura exempla idem docent, ex quibus veritas logiæ comprobatur, & virtus occultæ ſapientiæ, quam veteres Magiam appellarunt.

APPENDIX.

De remora detinente nauim.

HIc adnotare libuit non modo res naturales conſentire fini, cuius gratia factæ ſunt, ſed etiam artificiales. Eadem enim mundi anima artem naturamque regit; quapropter ſimillimæ ſunt, vt diximus de ferro ab arte poſituram ad mundum ſortiente: & in mari reperitur piſcis catena, Lorica, Epiſcopus, & alii referentes res arte humana conditas. nedum naturali. Quapropter cum nauis facta ſit, vt perambulet mare, conſenſum habet aliquem ad huiuſmodi finem. Videmus enim alteram nauem eiuſdem ponderis & formæ, ineptiorem & renitentiorem eſſe nauigationi & curſui, quoniam minus conſenſionis habet. Hac eadem de re & horologiorum fabri atteſtantur, & ignari cauſæ conqueruntur, & veluti mox declarabimus, domus & veſtes afficiuntur lepra, quæ in eis multiplicatur non per vaporem, ſed per maculas contagioſas ſicut in nobis. Nec ſufficiunt odores aut ignes eas purgare, quin ſerpant leproſæ maculæ: ſicut ſapientiſſimus docet Moyſes, & in ſequenti libro palam fiet. Sic affirmandum videtur, & magis ineſſe ligno nauigationis ſenſum, qui à Remora illi aufertur, inducente ſtupiditatem, quæ amplificatur, totamque ſtupefacit nauim, repugnantemque reddit naturali ipſius motui. Vt alius piſcis piſcatoris manum: Et veluti ſenſus rabidi canis multiplicatur in nobis, & reddit nos caninos, & Aranea Tarantina temperiem morſu immutat totam: Sic remora facit in ligno idoneo, proportionatoque ipſius paſſioni: Sicut leo aptus eſt pati à Gallo, tympanum pecudis à lupino. Quapropter Moyſes quoque prohibet, fieri veſtes ex lana & lino; nam vt compertum eſt, parum durant, quoniam diſſentientes res ſunt. Vetat quoque diuerſa ſemina in eadem terra ſeminari, quoniam interuenit antipathia, ſicut inter vites & braſſicas, minimeque coaleſcunt, perficiunturque; & poſtquam colliguntur, remanet qualitas & odor, qui officit ſuperuenienti aduerſæ naturæ ſemini. Senſus enim remanet poſt multas quoque mutationes; vt ſequens liber indicabit.

DE SENSV RERVM LIBER QVARTVS.

Qui eſt de MAGIA.

CAPVT I.

De Magia in communi, eiuſque diuiſione.

MAGI nuncupati ſunt antiqui ſapientes Orientales præſertim Perſæ: Qui res latentes Dei inueſtigarunt & naturæ, Illius Artis, ac deinde mirifica operabantur, vſibus humanis ipſas applicando, teſte S. Auguſtino. Hodierno autem tempore adeò deiectum exoſumque hoc nomen eſt, quod ſuperſtitioſis modo dæmonumque amicis tribuitur. Imperiti namque ac ſordidi homines tædio inueſtigationis rerum affecti, à Dæmonibus breui negotio petierunt ea, quæ præſtare nequeunt; ſed poſſe ſe fingunt. Sic Aſtrologia obtuſorum & nebulonum ingenio expoſita, atque tractata, in abominationem incidit. Quin & prophetæ nunc temporis barbātes & ſtolidi & ſæpè impij ab imperito ac praue educato ſeculo noſtro appellātur. Conatus eſt bis nihilominus ſtudioſiſſimus Porta hanc ſcientiā reuocare. Sed hiſtoricè tantum, nullas præclaras primáſque reddendo dictorum ſuorum cauſas. Non enim ad ſenſum rerum ac primalitates aſcendit, ſed ad qualitates elementares & vulgarem Aſtrologiam & ſympathias occultas & ſignaturas omnia refert. Et Imperati Neapolitani ſtudium ſeu technotehca baſis eſſe inuentionis eiuſmodi artis poſſet. Ex tribus ſcientiis, teſte Plinio, Magia conflabatur, Religione, Medicina, & Aſtrologia; prima prodeſt expurgando animo, vt fiat aptus cogni-

tionibus occultis, & primæ cauſæ amicus, vtque timorē magus indat & reuerentiam & fiduciam illorum animis, quibus applicatur actio; Secunda ad cognoſcendum vires herbarum & lapidum & metallorum & antipathiam & ſympathiam inter ſe & ad nos, & complexionem, & aptitudinem ad patiendum & operandum illius hominis, qui indiget ipſa, requiritur; Tertia verò ad cognoſcendum tempus operandi, & ſymbolum inter res noſtras & ſtellas, errantes & fixas, & luminaria, quæ manifeſtè ſunt cauſæ mutationum & virium omnium rerum.

Quapropter in Euangelio S. Matthæi, illi collaudantur Magi, qui ex Cometa natiuitatem Monarchæ vniuerſalis cognouerunt. Deus enim inueſtigatoribus & admiratoribus operum ſuorum oſtendit, non modo quod quæritant, ſed inſuper auxilium præbet perueniendi ad ſupernaturales res, cum purgati fuerint diſpoſitique naturalibus virtutibus & ſtudio. Adeo benignus blanduſque eſt auctor noſter, & Pater. Vt ibi teſtatur Chryſoſtomus & Auguſtin. & Leo.

Hæc igitur ſapientia ſpeculatiua eſt, ac ſimul practica. Applicat enim quæ pernoſcit vſibus generis humani. Arbitratus eſt Plinius (lib.27.) hanc ſapientiam omnibus naturalem eſſe, ac facere miracula, eius eſſe muneris. Idcirco putat Moyſen fuiſſe magum præſtantiſſimum veluti Ægyptij alij, Iamnes & Mambres, qui cum eo pugnarunt coram Pharaone. Et tandem nouiſſimam eſſe dicit Magiam Cypriam: Quoniam in Cypro coram proconſule Sergio Apoſtolus Paulus in virtute I E S V, vt Elimas Magus cœcaretur, iuſſit; quem deinde ſanauit. Nec putat extare dæmones, quoniam Nero inquiſiuit diligenter & non inuenit, nec fuit qui oſtenderet illi dæmones. Quapropter putat naturam eſſe Deum omnibus rebus infuſum, ac in nobis operari prout ſapientia noſtra eius operibus vti nouit. At Triſmegiſtus arbitratur hominem eſſe miraculum mundi, & Diis nobiliorem vel æqualem: Ideoque tantum valere in ſapientia ſua, quod poſſit facere Deos marmoreos & æreos, illiſque animas infundere ſub quibuſdam conſtellationibus, ab eiſque reſponſa habere. Hoc idem ſenſit Porphyrius ac Plotinus, addentes reperiri Angelos bonos ac prauos, vt quotidiana experientia docet; & ego quoque manifeſta experientia cognoui; non quando inueſtigatione auida id tentaui, ſed quando aliud intendebam; idcirco nil mirum, ſi curioſo Neroni non comparuerunt. Atque Simonis Magi volatum putauit eſſe ludum naturalem tanquam funambulorum. Quippe cum Suetonius narret, Neronem renouaſſe Icari caſum. Quapropter ipſe aſſero, exiſtere primo Magiam diuinam, quam homo abſque Dei auxilio vix intelligit, & nil operatur. Hanc calluit Moyſes, aliique Deo chari, qui nulla ſcientia naturali tot miracula patrarunt, obediente ipſis creatura tanquam Dei legatis; & qui credit Deum exiſtere & curare mortalia, id

quoque credat, oportet.

Datur & Magia naturalis ſicut hæc ex ſtellarum & Medicinæ notitia; addita tamen religione, vt fiducia ingeneretur in eo, qui huius ſcientiæ fauorem expetit. Datur & Magia Diabolica, qua multi dæmonis arte efficiunt mirabilia apud minus intelligentes, quæ etiam abſque dæmone fieri ſolent à circulatoribus in frequentia plebis imperitæ. Sed res ad aſtutiam pertinentes non ad ſcientiam. Naturalis ergo in medio verſatur, ac qui ipſam probe exercet cum pietate ac reuerentia erga creatorem, meretur ſæpe ad ſupranaturalem erigi & cum ſuperis participare. Qui autem abutuntur in maleficiis & venenis propinandis, & rabiem procurando, & ludicra inferendo, merentur à dæmone ludificari, & ad perditionem trahi, qui ſeſe ingerit, vbi inania & praua captantes reperit. Quod & Sanctus Thomas in libro de ſortibus ex Auguſtino deducit rectiſſime.

Capvt II.

Ad Magiam cœleſtem requiri amicitiam Dei & fidem, & quomodo, & qualem, & in quibus, vnde miracula fiant ſupra naturam.

PRimi homines Deum manifeſte pene agnoſcebant, quoniam creationis opus recens erat, & continua beneficia ac apparitiones illius habebant. Quapropter qui Deo familiariſſimus erat, ſapientiſſimus omnium erat. Cum ſapientia ſit ipſe cultus diuinus, hoc eſt, religio, teſte Iob. Qui ergo purius ac obedientius colebat Deum, illi magis obediebant creaturæ, operaque miraculoſa patrabat. Quoniam vero renuerunt homines ſeruire ſapientiſſimo cuique, ſchiſmata fecerunt. Ne autem religio cogeret eos ſubdit Socerdoti magno amico Dei iure naturæ omnium principi, nouos introduxerunt Deos politica ratione prudentiæ carnis, promulgantes Deum, qui comparebat ſub quacunque forma, eſſe quempiam ex eis. Appellabant communi nomenclatura Deum, Iouem, quapropter lingua Hebraica dependens à Chaldaica, quæ prima fuit; nuncupat adhuc Deum Iehouam. Primus qui nomen Iouis vſurpauit, fuit Belus, proximus Nembrot, caput Monarchiæ Aſſyriorum, & pater Nini. Qua ex ratione annos poſt quinquaginta ſegregatus eſt Abraham & ſeminauit in orbe cultum Iehouæ. Ideoque à Deo promiſſa illi eſt hæreditas totius mundi, teſte Paulo, eo quod eſſet Au-

ctoris mundi cultor & cognitor; & ita in veritate factum eſt. Nulla enim natio reperitur, quæ non glorietur ſe ab Abraham deſcendere. Mahumetani per Iſmael, Hebræi per Iſaac, Chriſtiani per Dauid, ex cuius ſtirpe eſt Chriſtus, qui inſeruit nos ſtipiti ſancto, ſicut oleaſtros oliuæ; ac tempus prope eſt, vt ex diſpoſitionibus cœli & terræ conſidero, in quo totus mundus reuertetur ad cultum veri Dei, eritque filius Abrahæ non ſpurius, vt Macon, nec carnalis vt Hebræi, ſed ſpiritualis, quoniam Abrahæ promiſit Deus, vt hæres eſſet mundi, teſte S. Paulo. Homo intra pugillum cerebri interclusus videre & cognoſcere infinitum Deum non poteſt; ſed Deus benignus condeſcendit nobis, notitiamque præbet exterioribus organis ſcientiæ noſtræ. At interior ſenſus melius intelligit per ſimilitudines ad infinitum ſeſe eleuando, quo circumdamur & ſumus. Si piſcis vnus totum mare inhabitare ſimul non poteſt, nec videre, nec homo totum occupare aerem, ita ac longe minus anima noſtra poteſt extendi ad infiniti comprehenſionem. At credere Deum eſſe, ac bonum eſſe, ſanctum, iuſtumque, & ſcire ac poſſe, & velle nobis benefacere longe magis quam pater carnalis, qui ignorat, quomodo nos genuit, ſed tantummodo Veneream voluptatem ſecutus eſt ſtimulo ſecreto incitatus, quem Deus cunctis ſuis inſtrumentis appoſuit; neceſſarium ac rationabile eſt. Porro hæc fides tantam vim obtinet, quod immutat res creatas in id quod cupimus, non quia fides eſt, ſed fides in Deum cauſam omnium rerum.

Quapropter quicunque vult ac poteſt tam præſtantiſſime creatori ſeruire, quod etiam poſſit confidere de amicitia eius penitus & omnino, & nolit aut velit quidpiam, niſi vt vult & non vult Deus, nec contra Deum operatur vnquam, ſed ea modo quæ Deus illi, & communitati hominum præcipit, hic poteſt in eius amicitia ita confidere, quod res creatas, prout opus eſt immutare queat per miraculum, & veluti homo præcipiens homini ſuper quem habet poteſtatem & fiduciam, ab eo officium conſequitur, ita aliis præcipiendo rebus mouet ipſarum ſopitum ſenſum; ac ſibi obedientem reddit: Vt videmus lictorem imperare ſtrenuiſſimis & nobiliſſimis nomine Regis, & omnes obedire. Ita putandum quod ei qui Dei nomine præcipere poteſt iuxta Dei voluntatem, obedientia non negetur; Et hic eſt modus, quo cauſa ignobilis nobilioribus imperare poteſt & miracula facere, niſi hæſitauerit in fide, quam habet in Domino ſuo. Bene Petrarca cecinit de Ioſua loquendo;

O fidanza gentil, chi Dio ben cole, Tutto quanto ha creato hauer ſoggetto; El ſol fermar con ſemplici parole.

Secundo requiritur fides in eo pro quo miraculum fit; cum in eius beneficium, non autem in maleficium fit; tunc enim potius timor neceſſarius eſt. Non enim aptus eſt à Deo beneficia accipere, qui diſpo-

ſitus non eſt; diſpoſitio autem abſque fide non fit. Quapropter Chriſtus cum curaſſet tot gentes variis ex infirmitatibus, ſubdebat omnibus: *Fides tua te ſaluum fecit*, & in Patria eius dicit Marcus Euangeliſta, *mirabatur Ieſus, quod non poſſet miracula facere*; & ſubdit, hoc eueniſſe *ex incredulitate eorum*; qua reddebantur inhabiles ad diuinam gratiam, ſicut qui ſoli obicem præponit, videre nequit. Et ſemel dixit, *fiat tibi ſecundum credulitatem tuam*, & ad alios, *ſi potes credere, curabo eam. Omnia enim poſſibilia ſunt credenti.* Hoc autem intelligimus juxta conſuetum modum miraculorum. Nam Deus poteſt per ſceleratum hominem alium ſceleratum incredulum ſanare; vel qui ſolam hiſtoricam habet fidem, poteſt quoque ſanare non credentem Deo, & Elementa mutare, omniaque facere, quæ contradictionem non implicant, quando opus eſt in gloriam ſuam: & miraculoſa maleficia exhibet non credentibus, vt Pharaoni. Sæpe quoque fides erit in operante tantummodo, ſicut Apoſtoli ad incredulos miracula multa fecerunt. Sæpe vero in eo, cui fiunt, vt quæ fecit Iudas, & increduli Hypocritæ ad credentes conſueuerunt. Immò narrat C. Tacitus de quibuſdam mendicis languentibus, claudis aridis luxatis: qui neſcio quo numine moniti conuenerunt Veſpaſianum venientem de Iudæa Romam ad imperium occupandum, rogantes, vt ſua virtute curaret eos: Cumque Imperator reſponderet ſe talem non habere virtutem, tamen cum precibus vrgeretur, imprecatus eſt illis ſanitatem, & ſicut petebant, curati ſunt rectè prorſus. Et virgo veſtalis in tutamen & ſignum propriæ pudicitiæ, cuius violatæ inſimulabatur, portauit aquam in cribro de flumine in Templum: Poteſt quidem in multis interueniſſe dæmon, poteſt quoque exiſtimari Deum eiuſmodi miracula feciſſe, in ſalutem ipſorum, qui pie credebant in eum, aut in rem, quam ſimplici animo imaginabantur eſſe Deum verum. Et fidem reſpicit Deus, & ignorantiæ non procuratæ ignoſcit: Qui deceptores non autem deceptos execratur. Hic ipſe loquor de magia, quā homo acquirere poteſt, non de his quæ extra ordinem Deus facere poteſt. Itaque aſſero fidem requiri non hæſitantem, & cordis puritatem, non hiſtoricam fidem, ſed intrinſecam, quæ cum Deo vnanimes nos faciat vnumque ſpiritum, atque velle & nolle, ad voluntatē eius, & longe magis, quàm qua vulgares amatores amatæ rei cōformātur, pro quibus nihil non aggrediuntur, Hæc eſt fides, quæ in Deum hominem transformat, diuinumque facit, teſte S. Bernardo. & D. Franciſcus adeo amauit Dominum ſuum, quod factus eſt inſtar crucifixi; & licet iſte actus ſupernaturalis ſit, nihilominus procedit ſecundum naturam, quæ amantem in amatum transformat, vt mox declarabimus. Nec multùm rerum ſcientiam hæc prima Magia requirit, ſed amorem ac fidem, quæ nos primæ cauſæ conciliet, vnumque faciat: Ipſi enim obediunt creaturæ omnes, ipſaque ſcit qua ratione ad noſtram

ſtram

ſtram eas immutet iuſſionem. Nec miraculum alia creata cauſa facere poteſt, niſi quatenus eſt amica primæ cauſæ, ipſiuſque auctoritate & nutu interiori. Creare enim atque intrinſecus tranſmutare abſque violentia, munus eſt proprium duntaxat Primæ Potentiæ, Primæ Sapientiæ, Primi Amoris: Quo res cunctæ conſtant & cui intrinſecus obediunt. Hanc autem Magiam non eſſe naturalem, vt Plinio & Auicen. & Pomponatio videtur, palam eſt in eo, quod nemo valeat mortuos reſuſcitare, aridos ſolidare, maria exſiccare, flumina in ſanguinem conuertere, virgulta in aurum, cœlo & ventis imperare, ſimplicibus tantum verbis, vt amici Dei fecerunt. Vnde falſo de Deo queruntur homines quod hanc ſcientiam inuideat nobis, vt Symonides; vel quod cum ſit Pater noſter non comparet ad docendum nos ea, quorum auidiſſimam appetentiam nobis indidit. Non enim defuit nobis vnquam Deus, ſed nos nobis. Nam cum ſeſe reuelaſſet factus homo, ne quereremur quod eſſet inacceſſibilis, & iuxta deſiderium noſtrum quæcunque cupiri poſſunt, docuiſſet; non tamen credimus, propterea quod non docet nos, vti nos volumus, ſed vt ipſe vult; & cum vix diſcipuli ſimus, legem præceptori damus, & ægroti medico conſulimus. Porphyrius, vt miracula faceret, ſcientias nos Deo copulantes inquiſiuit, abiecta ſapientia Chriſtianiſmi; nec tamen ipſe patrauit vnum ex his miraculis, quæ minimus Chriſtianorum fecit.

Quapropter nec modus nec res deſunt ad tantam ſapientiam cœlitus comparandam. Nam Chriſti myſteria Magiam diuinam continent, vt expertis patet; at qui bonitatem Dei condocentis laudare debemus, fruſtra & pernicioſe modum quærimus, quo ſit factus homo, vt Deificemur, & quid, & quomodo virtutes in Sacramentis eſſe poſſint, & quod cupimus, reſpuimus. Quod autem Pomponatius Auic. & alij impietate imbuti putant, miracula vera ab hominis fide naturali proficiſci, mendacium eſt. Non enim ſuſcitatur Lazarus, neque in ſanguinem fluuius vertitur, quamuis mille homines ita firmiter credant & precentur inaniter. Quod ſæpe vidimus, vt in illis qui falſo Moyſi nouo credebant Iudæis: qui ſumma fiducia Creticum mare intrantes, necati ſunt. Sic & qui Dulcino tanquam Prophetæ adhæſerunt, & Io. Leidenſi. Solam animi proprij paſſionem fides naturalis mutat, ſicut amor & cæteri affectus faciunt. Exteriora vero nequaquam niſi ad quæ operatio animæ per corpus pertingit, vt qui per vapores ex oculis egreſſos praue tenellos pueros afficiunt.

Quapropter imaginatio non tantum valet, quantum Auic. & ſequaces credunt. Vide Metaph. noſtram. At Pomponatius cum cæteris huius farinæ putant miraculorum patratores temperamenti virtute puriſſima Elementorum, & cæleſti influxu præditos miracula efficere: Sicut pes Pyrrhi Regis liene laborantes ſanabat; & manus Regis

Galli Scrofulas : & Marſi Itali, & Pſylli Africani à ſerpentibus lædi non poterant. Hinc ſequitur Chriſtum & Prophetas temperamenti virtute miracula feciſſe, vt & magnes trahit ferrum. Sed impie falluntur. Quæ enim naturalem vim ſequuntur virtutes; ſemper & abſque precibus & religione opus ſuum per ſe conſequuntur, vt magnes ſemper ferrum trahit. Neque virtutem ſuam abſque vi propria communicant, vt magnes ferro vim attrahendi dat, quia affricato proprium odorem & atomos impingit. At ſancti & quicunque miracula fecerunt vera, non niſi Dei nomine inuocato, miracula faciunt, etiam incredulis ægris conferendo ſanitatem in teſtimonium Cæleſtis doctrinę. Neque ſemper: Item, nec ſi vis illa indiuidualis eſt, poteſt aliis communicari. Chriſtus autem virtutem miracula faciendi Apoſtolis communicauit, & ex illis vſque ad nos peruenit: & quocunque temperamento etiam prauo donati, illam exercent. Neque illis aliquid ex indiuiduo communicante adiicitur, vt ex Magnete ferro ſed ex virtute Dei cunctis communicabili, ſicut palam eſt volentibus veritatem inuenire, non calumniari. Profectò ſi vis temperamenti in S. Paulo faciebat miracula, etiam antequam Chriſtianus fieret, feciſſet. De Pyrrho puto fabuloſum ex parte. Sed neque ſympathias & antipathias nego, & ſi lienem tantum ſanabat, ergo modificata erat virtus in indiuiduo, ſicut & in temperie Marſorum & Pſyllorum. Paulus autem omnes curabat morbos non per pollicem pedis, ſed ſolo verbo Dei. Rex Gallus ex diuina gratia: qui primum regum Chriſtianorum decorare voluit. Nam antequam Rex ſit, nõ ſanat. De his in Metaph.

CAPVT III.

Miracula facta abſque Deo, non verè eſſe miracula, ſed naturalis magiæ opera, aut Diaboli, aut aſtutiæ, imperitos ludificantis.

SEd contra narrat Plinius, Aſclepiadem Medicum Romæ mortuum reſuſcitaſſe cum deferretur ad ſepulcrum. Item Iamnes & Mambre magi Pharaonis virgam in ſerpentem conuerterunt, huncque mox in virgam. Et Dædalus de Creta in Aſiam volauit, & Romulo floruit haſta, & quot miracula referunt ſcriptores de Apollonio Thyanęo, & Baccho, & Ioue & Mercurio, & qui excantant ſegetes, & ſiccari ac tranſponi faciunt, vt Lex Romana confirmat in 12. tabulis. Alij vero immutarũt animos & viſum, faciuntque videre quod non eſt, & quidem ſceleſti

multi hæc fecerunt, ſine fide in creatorem. Hæc argumenta cogunt de tertia magia nunc loqui. In multis quidem actionibus eiuſmodi interuenit dæmon, in multis vero naturalis ordo tantum, & vis: at miraculum verum ſine Deo nullū fuit vnquam. Qui efferebatur in ſepulturam nō vere mortuus erat, ſed ſpiritus abditus erat in cerebri penetralibus & viſcerum, occupatus pugna contra morbificos humores: Itaque corpus totū abſque ſenſu & motu remanſit ſicut in Apoplexia euenit, vbi ceſſat pulſus & arbitrarij motus; ac reſpiratio tam languēs eſt, quod non agnoſcitur, niſi forte naribus admouendo pilū, vt ex eius exili agitatione innoteſcat. Hanc ob cauſam mortuus videbatur, qui Romæ efferebant. Aſclepiades autem ſagax ſiſtere fecit eos, quo tempore pugna cum morbo ceſſabat, ac ſpiritus ad peripheriā reuocauit, vt in 2. lib. declarauimus. At Romani Medicorum inimici, quos ab vrbe etiam expulerunt, ſicut & Mathematicos, parum id intellexerūt; ideoque miraculum arbitrati ſunt. Idem narrat Abenragel de quodā, qui ex mortuis reſurrexit poſt aliquas horas, quando Aphetæ directio iam tranſierat ex maleficæ ſtellæ occurſu in beneficam. De Scoto & Mahumeto & Enarco & de Papa Innocentio VIII. & aliis, huiuſmodi deliquia & mortes interpoſitas legimus in hiſtoriis, & quotidie palam ſunt. At nunquam naturæ induſtria reſurrexit quatriduanus defunctus, vt Lazarus iubente Chriſto; aut quis vere mortuus, vt ad preces Heliſæi & aliorum ſanctorum viuentium, & poſt mortem. Actiones mirabiles Iamnes & Mambre S. Augu. adſcribit dæmoni; qui virtutem creandi aut immutandi res per ſe non habet, ſed ſapiens eſt, diuque peritus, vtiturque viribus naturalium rerum nobis ignotis.

Quapropter aliquid virgę appoſuiſſe poteſt quo ſtatim putreſcens in ſerpentem conuerſa eſt. Sicut videmus guttas pluuiæ in æſtate cadentes in calidum puluerem, efficere extemplò ranas. Similiter artificioſe coquunt in oleo eſcaram vini tartarum, & claudunt in arcula, quę ſimul atque aperitur, retūditur ab aëre calorincoctę eſcaræ, eamque accendit, ita vt videatur miraculum. Poteſt dæmon cito virgam ſubripere & ſerpentem loco eius ponere, vt fallat viſum; ſicut fallitur cum circulo actum ignem in toto ſimul circulo videt, cum ſit in vno puncto. Profecto naturę arcana tanta ſunt, vt quibus ignota ſunt, miracula appareant. Conſpiciuntur ſuper tabula ferri limaturæ contra arenam currere, & ſeparati, accedere & recedere ad ſubterpoſiti magnetis odorem; aliaque tot ſimiliter facta, adeò quod non inepte exiſtimare liceat, doctiſſimos magos ſic oſtentare potuiſſe & Pharaoni mirabilia, magis autem ſi Dæmonum commercio vtebantur. Aſt vbi Moyſes alia facit mirabilia plurima abſque interuallo ad cogitandum & moliendum quæ opus erant, ipſi obſtupuerunt dicentes; *Digitus Dei eſt hic*; eo quod agnouerunt, quod Moyſes non vteretur eorum Magia, quæ & Moyſi notiſſima erat, quoniam eruditus fuerat, vt fi-

lius Regius in omni doctrina Ægyptiorum, teſte Eccleſiaſtico & S. Stephano, & Philone & Ioſepho; Hæc autem potiſſima extabat apud Ægyptios. Verumtamen pugnauit contra eos in fide & virtute auctoris rerum. Veram eſſe fatemur excantationem frugum aliarumque rerum. Et ex parte naturalis eſt, quando res apta eſt pati ac ſentire quę imprecantur mala, vt vidimus fœmellas ſic repentè affici: Ex parte vero ingeritur Dęmon, qui res comportat idoneas ad exſiccandum, & venenandum; cum videamus poſſe menſtruum ſanguinem plantas exſiccare, & tabefacere; quoniam & oculos infectos id poſſe facere ſequentes docebunt ſermones. Miracula Bacchi, Apollonij, Mercurij, aliorumque Deorum, partim naturalia fuerunt, at imperito populo miracula videbantur. Sic Americani dicebant Hiſpanos nouiter comparentes in terra eorum, eſſe Deos, & filios nubium Cæli, quoniam archibugiis tonitrua imitabantur: & chartam loqui faciebant, per ſcripturam ipſis ignotam; & campanas horologiorum per ſe ſonare, & naues de cælo deſcendiſſe putabant. Et ſane omnis natio, quæ noua ac portentifica primo vidit, numinibus adſcripſit: Et inuentores artium Deificarunt. Attamen ſapientiores quique contra ſentiebant. Nam Socrates Græcorum Deos irridebat, & cum Alcibiades vellet ſui Dei ſtatuam coronare, ſuaſit ei Socrates potius eſſe Deum Philoſophum viuum hominem, quam ſtatuā illā: & credendum eſſe quod verus Deus miſſurus eſſet in mundum quam cito virum, qui veri Dei cultum inſtauraret. Ergo expectabat Chriſtum ex conuenientia, quoniam ſi Deus eſt, non deſpicit opera ſua. Hoc Plato ſcribit in libro de voto. Socrates quoque iurabat per canem & ne à Sacerdotibus vexaretur & inquiſitoribus (qui & mortem illi poſtea intulerunt) eo quod canem magis quam Deos eorum in iuramento coleret, dicere ſolebat, ſe iurare per Canem Deum Ægyptiorum; Et in Epinomide Plato dicit Philoſophos non credere niſi vnum Deum: Veruntamen ſi plures adorandi ſunt, melius eſſe adorare ſtellas, quam ſtatuas & homines mortuos. Triſmegiſtus vnum verum ſolumque Deum ſacrificiis & laudibus dignum exiſtimauit: Deoſque Ægyptios non dignificat. Cato vero admirari ſe aiebat, cur ſacerdotes obuiantes alter alteri, non riderent mutuis nutibus & riſu, ex eo quod populis illudunt prædicando Deos & ſacrificia, vt ipſi fruantur reuerentia & victu per colluſionem & iocum. Ac Lucanus introducit eundem Catonem nolentem in Lybia oraculum Dei Ammonis conſulere, cauſando quod non illa ſtatua ſit Dei ſedes; ſed cælum, terra, pontus, & aër, & virtus; *ſuperos quid quærimus vltra! Iupiter eſt quodcunque vides; quodcunq; mouetur.* Diogen. Cynicus hecatōbas pediculorū in altari Dianę per irriſionē faciebat, dicēs ſe pauperē nō poſſe grādiora animalia ſacrificare. Eādē opinionem ſapientes omnes ſectatos legimus apud Poëtas & hiſtoricos. Quapropter Varro, teſte D. Aug. diſtinguit inter Deos phyſicos, Poë-

ticos & ciuiles; illos à ſapientibus, hos à vulgò adoratos. Anaxagoras mortui adiudicatus eſt, quod negaret Solis Deitatē. Quapropter hi cognouerunt, non fuiſſe aſtutos homines, ſicut Macon, Romulus, Pompilius, Pythagoras, Minos, qui per ſapientiam Politicam, vt Varro putat, aut etiam per Dæmonis inſtructionem, populos deceperunt; cuius actus digni non ſunt, qui miracula credantur apud ſapientes Magiam veram. At & plurimæ adduntur fabulæ, quæ nunquam fuerunt. Cæterùm Diabolos interfuiſſe ex Homero & Ouidio colligimus: qui Iouem introducunt dicentem ad cæteros Deos ſe non poſſe omnia facere, eo quod fato ſubiectus eſſet; vtque æqui bonique conſulant, ſi petitionibus ipſorum minimè ſatisfaceret. In quo reſponſo Lucianus irridet omnes Deos, ego autem experimento didici dæmones fingere ſolitos, Deum ſubdi fato, vt ipſi interrogationibus ac petitionibus ſatisfacere cunctis non valentes, cauſam excuſationis inde arripiant. Ego tamen in Metaph. oſtendi, quod cum fatum ſit concordia ac nexus cauſarum omnium agentium, ac patientium ſimul ordinatè, opus ſit dare cauſam primam ordinantem, vt Senec. etiam infert; propriis ordinibus non ſubditam coactitia vi: ſed quia optimi ſunt à ſe optima; ſicque dictum ab ea, errare non potente, vt ita perpetuò eueniant, ſuccedantque ſaluà libertate humana, ſicut ab æterno voluit atque præfixit. Floruiſſe Romulo haſtam: Suborta eſſe cornua Cippo, Cinghim ſicco pede cum exercitu ſuo tranſiiſſe Caſpium mare, ſicut Moyſes Erythæum, poſſibile eſt quidem diuina virtute; quæ voluit eos ita magnificare, vt ad mundi regimen congruebat; ſicut inuocantibus Dæmonem, ſæpè ab hoc reſpondet ipſe Deus, teſte D. Thoma, vel vt decipiātur teſte Ezechiele: potuit quoque fieri diaboli interuentu, qui paſſiuis actiuas res applicauit; potuit & naturaliter ex parte. Sicut Scipio refluxum in Carthagine noua obſeruauit, & Amilcar apud Tunetum conſimilem tranando canalem maris; quod imperitis miraculum apparuit. Sic è contrà tranſitum Moyſis non fuiſſe miraculum Iuſtinus & Tacitus exiſtimant. Veruntamen ex aliis Moyſis miraculis & prophetia & doctrina cœleſti, quibus totus mundus fidem hodie præbet, & ex illius maris profunditate, & nullorum fluuiorum aut pluuiarum ingreſſu, vt Iuſtinus comminiſcitur, & ex mendaciis iſtorum contra cæteras Moyſis hiſtorias, conuincitur omnino fuiſſe miraculum verum. Non negem Deum ſæpè naturæ viribus à ſe inditis vti, ſicuti Raphaël piſcis felle vtitur, ad ſanandos Tobiæ oculos; Iecore verò ad expellendum Dæmonem; Et Eſaias ficuum emplaſtro curat Ezechiam: Heliſæus Naaman aqua Iordanis; & Moyſes ligno aquas reddit dulces. Equidem arbitror Deum non vti miraculis, vbi natura ſufficit; ſed miraculum tunc eſt, ſcire, quæ res cui vſui

ſit idonea, & qua ratione applicanda. Et ad iſta ex parte Diabolus quoque pertingit, non vt author, ſed vt diſcipulus naturæ. Sed miracula altiſſima ſunt, vbi abſque re naturali præſtat ſuis ſeruis facere, quæ nulla poſſet natura. At verò quo nos impelleret atque inſtrueret vt inueſtigaremus effectus ſuos mirificos, & ad noſtram vtilitatem verteremus in gloriam Dei, docuit amicos ſuos tot naturalia arcana, ipſéque addidit naturæ plus virium, quo ex voto nobis ſuccederent, atque ad Dei cognitionem ſtimularemur in operibus ſuis.

Soli Deo tota natura paret ad nutum: facit, creat & mutat propria virtute omnia. Diabolis aut Angelis natura non paret, ſed tantùm localiter mouere poſſunt naturalia. Igitur Cartham iſtam comburere non poſſunt, niſi adducant ignem, quoniam ipſorum natura particularis eſt, modificatáque: & ſicut calor non poteſt per ſe frigefacere, ſed ſolum calefacere: ſic res omnes. At Deus cuius natura eſt omnis natura eminenter poteſt calefacere ſine calore, quoniam idea & vis caloris ſunt in eo, & entitates omnes. Propterea ſolus Deus miracula vera facit ſecundum ſubſtantiam & ſecundum modum. Diabolus verò applicando tantùm per motum localem actiua paſſiuis: & ſicut Agricola & Medicus ad frumenti, & ſanitatis confectionem. & Metaphyſica ratio ſic dicere nos cogit.

CAPVT IV.

Miracula circulatorum ludos eſſe aſtutiâ confictos, multáque ſapientiam continere: & diſcrimen inter vera apparentiáque miracula.

MIrabilia vulgarium non ſunt magię Cæleſtis effectus, neque naturalis, ſed aſtutiæ, & Dęmon fortaſſe inuentor eorum fuit, vt fides diuinorum labaſceret. Fabricantur annulum inauratum, ſimilem illi, quem in digito geſtas: accipiunt tuum & in puteum proiiciunt, at non quidem tuum, ſed alterum, quem ſimilèm paratum habent, oſtentando tuũ ſe proiicere, celeritate manus oſtentationiſque viſum, ne probe percipias, ludificando: poſteà verò inueniunt, vbicunque tu vis annulum, quem tu putas eſſe in puteo, ſed ponunt illum dexteritate quadam in loco, in quo ſcrutantur vt iubes. Conſuunt prius intra di-

ploïdis tui tunicas aleam, cui alteram ſimilem cremant: ac deinde ſuper te eſſe contendunt, inueniúntque. At quidem paulò antè vel multò has præparant aſtutias. Procul à te manentes, vel noctu trahunt aleam, cera vel viſco alligatam capillo, quem tu non vides eo loci vel temporis, vocantes eam inter multas. Atque tu ipſam ſponte moueri putas. Signant aleas inuiſibili ſtigmate, & deinde ex pondere illam noſſe ſe iactant. Ponunt faſciculum alearum ſibi à tergo in manibus conuerſis & dicunt ſe illas ex tactu noſſe ſigillatim: at quãdocumque ex eis vnam proferunt, quam diuinant, proferunt quoque ſub illa alteram: ac priorem celeriter proiiciunt dicentes: eſtne hæc? dumque tu ſtupeſcens aſpicis hanc, ipſe aliam videt, & reponit ad tergum, & ſic omnes ſigillatim proiicit & contuetur & diuinat Circulator: Idem moliuntur in aperto faſciculo. Aleas quoque ferro illinitas moueri moto magnete faciunt. Oſtendant tibi in ſpeculo imaginem cuiuſuis. Ipſi verò in manica ampla, aut à tergo imaginem tenent paratam, & dicunt; inſpice recte; dumque tu attente in ſpeculum figis oculos, ipſi præſentant imaginem paulò retrorſum: tuque obſtupeſcis, & ipſi nil reïterant ludum: Et hoc ad lucem candelæ, vt melius fallant & in altari. Conficiunt ſibi crus ſtuppeum, veſtiuntque cothurno; ac ſuum ſub ſella abſcondunt: iubéntque ſeruum extrahere cothurnum; tunc crus appoſitum geniculo, vbi & veſica ſanguinis plena ſuturæ interponitur, ſeparatur à genu, & ſanguis funditur. Dumque tu ſtupes crus verum exerunt. Alligant viſco pedes auiculæ in ramo arboris. Cumque cum eis fueris animi gratia in viridario, aiunt; Iubeo aui, ne moueatur ex ramo. Mittuntque diſcipulum qui capiat eam non tangendo, ſed totum ramum auulſum ſimul; ipſi vero dum tu admiraris liberant auiculam antequam videas aſtum. Ponunt ſibi inter inferiorem palpebram & oculum, plumbeum clauum alteri ſimilem, quem ore abſcondunt: Deinde ſimulant ſe illum extrahere ex oculo. Pilulas inter digitos abſcondunt, ſimulántque eas de manu in manum tranſire. Ligulas graciles ſericeas multas inter gingiuas & genas abſcondunt finguntque ex naribus illas promere. Tranſmittunt filum ex naſo in os. Hoc verum eſt, quoniam foramen interiacet. Lignum ingens dentibus inferioribus geſtant, quod poſſibile eſt; enſemque in pectore ſuper mucronato oſſe accommodant ita quod fixus interius apparet. Transfigunt brachium gladiolo falſo, qui caret media craſſitie quantum eſt brachium, & continetur tantùm filo ferreo intrinſecus, vbi non vides. Alij ſaltus mirificos edunt, quoniam à pueritia aſſuefiunt; oſſa ac neruos benè flexibiles habent, ſpiritus liberos & carnem modicam. Perambulantes humi ſuper lignum aſſueſcunt ſemper paulò eleuatiori ſuperferri ligno, quoúſque ſuper funem facilè ambulare diſcunt: Flectendo ſemper corpus in alteram

partem ſuper illum pedem, qui funi innititur, ne moles corporis decidat in alteram cuius eleuant pedem: vtque commodius fulciantur, librant ſe longa ac graui haſta, quam opportunè vtrinque eleuant, deprimuntque vtraque manu; & mirificas oſtentationes ita efficiunt. Dædalus autem volauit appoſitis alis imitantibus auium alas. Ita & quidam Calaber paucis ante annis: Sed dum ſiſtere volatum cupit, crus ſibi confregit. Archimedes rapiebat naues de mari ad mœnia Syracuſana vncinis artificioſis. Hæc omnia reducuntur ad artificia ſapientiæ, aut aſtutiæ; vulgúſque putat eſſe miracula: aut miracula his ſimilia ludis æſtimat, qui parum ſupra vulgus ſapit. Prætermitto mille alias factiones inutiles. At ſi interroges quonam pacto ipſe vera à falſis miraculis dignoſcam? Reſpondeo miracula quæuis inutilia hominibus, falſa eſſe, ſicut quæ circulatores edunt. Vtilia verò eſſe naturalia artificia, nota ſapientibus. At ſupernaturalia ſemper vtilia eſſe, non tamen inimicis Dei, ſicut Pharaoni. Hanc regulam D. Petrus profert apud S. Clemen. Idcirco miracula Chriſti hoc ſigillum habent, curare dæmoniacos, aridos, leproſos, ſuſcitare mortuos, capere piſces & ſimilia. Ficulneam duntaxat exſiccari fecit quod inutile apparet; nihilominus ad ſignificandum fuit, quod qui in ipſo fructum non faceret dignum Deo, conſimiliter arefaciendus fuiſſet. Aliam differentiam aſſignat S. Iuſtinus, quod diuina ſolo verbo exercetur: Naturalis & dæmoniaca pręparatur rebus actiuis paſſiuiſque, & temporibus. Sed de his alibi: Namque ad Magiam hinc naturalem properamus:

CAPVT V.

De Magia Diaboli ſilendum eſſe, & æmulam eſſe diuinæ, & naturæ viribus occultis inniti.

MAgiam Diabolicam non eſſe docendam ſentimus. Eſt enim palam æmulatrix diuinæ & cultum illius imitatur, ſed reuera in naturali ſuas operationes fundant dęmones. At ſæpè iubent conſtellationes obſeruare, & cæremonias quæ ad rem non conferunt, ſed vt ſibi cultum arrogent, aut quia eo tempore nouit rem perfici iuuante cœlo, quod ipſe per ſe non poteſt; aut quia diuiniſſimas Dei creaturas operibus ſuis

ſuis ſordidis in noſtra opinione labefactare ſtudet, & impietatem ſuggerere paſſim, & ſcientiarũ abominationem, vt ignorantia creſcente ſapientiam ab hominibus eradicet, & ſuas falſitates perſuadeat. Miracula, quæ in Braſilia ſuper prunas ambulantes ſacerdotes oſtendũt, vt olim in Soracte latini, & ſicut in Africa propè Monopotapam ventos & tempeſtates & pluuias, & famem proinde atque abundantiam facere profitentur, Luſitani & Hiſpani vanitatis & impietatis arguerunt: à quibus Dij non potuere tutari cultores ſuos, & miraculis noſtrorum ceſſerunt; & de his alibi.

CAPVT VI.

Scientias arteſque omnes naturali magiæ ſeruire, ſed quaſdam magis.

QVidquid ſapientes faciunt imitando naturam aut ipſam adiuuando per artem non modo plebi ignotam, ſed communitati hominum, opus magicum dicimus. Quapropter non modo iam dictæ ſcientiæ, ſed omnes magiæ prȩſtant vſum. Magicum opus Architæ fuit, columbam fabricari, quæ cum aliis volabat columbis. Et ſub Ferdinando Imperatore Auſtriaco, quidam Germanus (ſcribunt) Aquilam fabrefecit, & muſcam, mirifica arte, quæ per ſe volabant; at priuſquam ars vulgetur, ſemper magia dicitur: Cum verò palàm fit ſcientia vulgaris eſt. Inuentio pulueris bellici Archibugiorum, Typographiæ & magnetis vſus, res magicæ fuerunt, vel numine præeunte inuentæ: nunc autem artes vulgares ſunt, vbi notuere vulgò. Sic & horologiorum, ſignificantium per campanam, figmentum: & profectò mechanicæ artes facilè venerationem amittunt, quoniam in corporibus exercentur vulgò manifeſtis. Phyſicæ autem Aſtrologicæ & religioſæ, rariſſimè vulgantur, idcircò veteres ad iſtas magiam contraxerunt.

CAPVT VII.

De naturalibus affectibus, quos mouet Magus, vt perficiat opus ſuum.

SPiritus animalis quoniam natura mobilis, tenuis, paſſiuúſque eſt, aptus eſt omnibus ab rebus pati, illiſque affici multum, aut purum, modis omnibus. Animáque in eo inuoluta ſecum afficitur: Principales paſſiones ſunt dolor & voluptas; hi præcipui ſenſus ſunt mali vel boni obiecti, coniuncti præſentéſque ſentienti animæ. Amor & odium tendentia ſunt ad bonum, aut contra malum; quæ ſenſui vnita non ſunt; vnita enim aut delectant, aut contriſtant, voluptate, & dolore; ſpes & timor ſunt fuga mali aut ſequela boni abſentium in ſimili præſenti cognitorum. Fiducia eſt ſenſus rei, ex qua argumentamur certitudinem alicuius boni; Contrarium eſt diffidentia. Fides eſt mater fiduciarum, quoniam ſenſus eſt illius rei bonæ, non dico præſentis ſed diſtantis; & quod ex illa ſenſatione bona ſperatur, fiducia eſt. Imaginatio vera eſt, quando ſpiritus afficitur re aliqua, eamque exiſtimat ſicuti eſt, non accipiendo alteram loco illius: praua eſt, quod ita afficitur ſpiritus re quapiam quod non poteſt ab alia affici, niſi per illam: & quauis ex motione noua, illa quoque vetus excitatur, alias occultans. Qui ergo hos effectus omnes ingenerare nouit per herbas & actiones & res alias oportunas, non ineptè Magus nuncupabitur. Spiritus quidem eſt tenuis, lucidus, mobilis, calidus, ſenſitiuus; oportet ergo vel tenuitatem vel mobilitatem vel luciditatem vel calorem eius immutare contrariis vel conſimilibus vel vehementibus vel blandis rebus agendo in ipſum; aut omnes, aut quaſdam qui introſpiciet benè operabitur; at ſenſibilitatem adducendo paſſiones prædictas immutare oportet: & quia qualitas ex qualitate pendet, ad hanc qualitatem ex aliis procedemus quatuor, & ad illas ab hac.

CAPVT VIII.

Magia naturalis ad prolatandam & breuiandam vitam in vniuerſali.

SIcut homo homini mortem vitamque afferre poteſt, multò facilius alias paſſiones ad has extremas non peruenientes inducere poterit. Omnibus palam eſt venena mortem, antidota vitam ingerere. Phyſicus ergo qui venenoſas res, contrariáſque intelligit, occidere poteſt, & ſanare. Quidquid occidit, exhibetur, vel in cibo vel in potu, vel in clyſtere, vel in fiſtula vel applicatur deforis per reſpirationem, vel tranſpirationem. Certum eſt continuò ſpiritum exhalare, indigeréque refectione; non ipſum modo, ſed corpus totum. Cum enim calidum ſit totum, attenuatur ſemper & præcipuè minùs craſſæ particulæ, poroſque in cute efficit, exhalatque in aërem. Vt ergo, quod continuo perditur inſtauretur, continuò opus eſt cibo, atque potu, non modo vt elixetur & concoquatur cibus, & tranſmittatur per venas in atomos tritus alteratúſque, ſed vt humiditas per corpus diffuſa, quæ facilius exhalat, inſtauretur. Omnis enim particula indiget humiditate vt adnatæ melius coniungatur, & facilius attrahat nutrimentum, & ne frangatur, dum motus fit, & vt ſpiritus loci peculiaris reficiatur celeriter. Nunc, inquam, quod prout cibi & potus conueniunt, aut repugnant temperiei animalis, producunt aut abbreuiant vitam. Præſentaneum remedium ad viuificandum aut mortificandum eſt illud quod benè aut malè afficit ſpiritum. Vir laſſus debiliſque extemplò à vino robur ſumit. Strenuus verò ac benè nutritus à fœtore vel cicuta ſubitò aggrauatur & cadit & moritur; hoc autem à frigore non fieri palam eſt, cum nix & glacies, res frigidiores, eiuſmodi paſſionem non inducant: Fungi verò & napellus & helleborus aliáque huiuſmodi calida maximè inducant. Quapropter exiſtimandnm eſt eſſe in cauſa fumum viſcoſum fœtidumque, qui ex his exhalat rebus & replet vaſa, quibus inambulat ſpiritus, mortemque inducit, ſuffocando aut condenſando. Idem efficit Antrum Agnanæ; & foſſa veteris frumenti plena; & carbo accenſus intra cubiculum, vnde exſpirare non poſſit: qui ſua craſſitie aggrauat ſpiritus tenuitatem, nigredine fœdat ſpiritus luciditatem, & calore ſuperat ſpiritus caliditatem. Sic ergo occidit venenum omne. Sed alia ſunt percalida, acria & corroſiua ſicut li-

thargyrium, Antimonium, Calx, gypſum, & mineralia id genus, quæ corrodunt vlcerantque inteſtina, & in cerebrum emittunt exhalationem acrem, percalidam, amaram; ſpiritumque mordent, lacerāt, vehementia & amaritudine afficiunt; atque à ſui remouent ſymmetria & temperie: ideóque moritur. Vniuerſale igitur dogma ponere licet; Res omnes quę emittunt exhalationem craſſam, tetram, acrem, viſcoſam, fœtidas eſſe ſpiritui humano ac venenoſas. Fœtor enim vapor eſt craſſior, calidiórque ſpiritu noſtro.

Phyſicus autem hæc à calore, ſapore, odore, conſiſtentia craſſa, lentáue cognoſcit. Atque vbi concurrere videt totam prauitatem, nil de veneno dubitandum eſt. Vbi color niger tantùm apparet, cætera verò non noxia, melancholiam modo generat, vt malum inſanum. Vbi color eſt teter & odor fœtidus prauúſque vt cadauer, generat peſtem, putrefactionem in ſanguine, grauedinem in ſpiritu. Vbi autem cum his ſapor quoque prauus linguæ videtur, conſiſtentiáque non lenta eſt, ſed denſa, ſicut in helleboro & cicuta, magis autem ſi ſucco abundat, certum eſt venenum: Verum ſi conditiones prauæ non concurrunt omnes: prauam tamen faciunt nutritionem, ac paulatim diſponūt ad mortem, & temperiem ſpiritumque vitiant. Hinc argumentum elicio; Res omnes putentes, eſſe noxias. Similiter omnia morticinia & fruges natas in ſtercore, in fimo, & arte cogente, nō autem natura, cùm arbores, tum frumentum, oleráque, omniáque animalia quæ veſcuntur morticiniis & herbis & fructibus breuis vitæ, inducere in nobis quoque vitam breuem. Nam etſi alitum conuertat in ſe alimentum, non tamen penitus immutat, quin qualitas aliqua remaneat. Qua de re videmus carnes bouis, qui comedit rapas, redolere rapam, & porcum caſtaneis nutritum, caſtaneas; vinique amatores vinum ſapere. Igitur paulatim alimentum alterat alitum inſenſibiliter. Quia ergo ea conſtitutum erat temperie, quæ durare diu apta non erat, nunc alteratum & tranſmutatum in nos, retinet adhuc atomos & particulas, quæ eam temperiem ac poſitum intrinſecus faciebant, & ſenſu ac qualitate caduca conflabantur; itaque diſponit nos ad natiuam ſui conditionem. Eadem ratione putrentes vitare oportet aquas, ac vina citò aceſcentia, magis autem, quæ in vnctuoſum liquorem & graueolentem facilè transferuntur. Sapientiſſimus diuina ac naturali magia Moyſes, prohibet carnes morticinas omnes, & omnia non ruminantia animalia, quoniam craſſo cibo replentur feſtinanter, nec ſatis digerunt: idcirco plena ſunt vaporibus viſcoſis, craſſis, prauis, ex carne cruda, non bene cocta à natiuo calore. Vetat etiam quæ vngulas non findunt, ſicut aſinum, equum, Camelum, ob craſſitiem nimiam, breuemque vitam, & mores noxios. Porcinam quoque carnē, quæ in Paleſtina & Ægypto lepram generat: carnes quoque animalium rapacium, vt Aquilæ,

corui, lupi &c. quoniam prauos ſuccos & mores in nobis nutriunt, vt mox docebimus; piſces etiam carentes ſquāmis; quoniam fæculenta ex putredine naſcuntur, vt anguillæ, ſuntque breuis vitæ; eo quod non tantum caloris habeant, qui foras excrementa educat, induretque in ſquammas. Porrò carnes aridæ, ſiccæque quid corroſiui habent, ſicuti corui & aquilæ, & animalium ſeneſcentium; ideo in humores ſalſos funduntur, & exſiccant temperamentum, & ad hecticam diſponunt, & ſenectutem, & omnia ſeneſcentia, quoniam morti propinquant, hecticam conciliant, & ad mortem vocant. Quæ autem diuturnioris adhuc vitæ potitura erant, nobis ipſam communicant, relinquuntque. His in rebus nil, vel modicum, ſalis ponendum eſt. Sal enim inuentum eſt, ad attenuandos, incidendoſque liquores vnctuoſos, & partem putridam, quæ in cibo omni ineſt, expellere, & ſalubrem facere; & quia ipſum putet nunquam, omnemque expellit fœtorem, contra putredinem prodeſt naturalem. Ac in cibis corpulentis conuenit ſalubrius meliuſque: in ſiccis vero graciſibuſque oleum & pinguedo: & in me periculum feci, qui cum phlegmate abundo, dies aliquos ſale modico vtor, vel nullo; Deinde vero multum ſalis adſumo, & phlegma inciditur & maceratur, & tunc euacuo ſuperflua plura deorſum, quam ſi agarico vterer. Cum vero extenuatus & exſiccatus mihi videor, oleis & pinguedine vtor ſalubriter, ſi licet. Ergo omphacium agreſtum quoque incidendo purgat, & omne acetoſum aut corroſiuum aut abſterſiuum pharmacum: & hæc omnia contra pituitam & viſcoſa venena proſunt.

Per vomitum, aut ſeceſſum venena expellenda ſunt antequam per venas in corpus expandantur. Oleum ſupernatat ventriculo, dilatat fibras & ſpiritus, viamque per Oeſophagum parat; ideo aptum eſt vomitum prouocare. Similiter aqua tepens, quæ addito aceto modico citius operatur. Licet enim ſtringat acetum, tamen cum modicum eſt, excitat ſpiritum, ab aqua tepenti dilatatum, vigoremque præbet expellendi noxium venenum, vel dilatationi iter parat acumine ſuo. Animaduertendum eſt denuo, quod pharmaca quæcunque choleræ odorem & ſaporem & colorem habent, ad choleram purgandam idonea ſunt per ſimilitudinis actionem: Sicut Reubarbarum & Reupōticum & helleborum album. At in cibum exhibita praua ſunt, quoniam choleram nutriunt. Sic & res, quæ cito amareſcunt, veluti Appiana mala, mel, ſaccharum, aliaque dulcia, magis autem combuſta; inter dulce etenim, amarumque, ſapores non intermediant, vt putat Ariſt. At mordentia dulcia, quæ ad acrimoniam vergunt, vt vina Foroiuliana quædam, vtilia ſunt ſalubriaque. Sed temperies & anni tempus conſiderare oportet. Dulcia enim pinguia ſiccis hominibus & temporibus, & ſi cholericis non nocent; & quæ atram bilem generant ſub vere, & ſanguineis forte congruunt: indigent enim fuliginum tu-

more, vt in ſe colligantur ſpiritus. Et melancholia contemplationis eſt ſtimulus; Cholera vero iræ; ergo in bello conueniunt, quæ iram acuant; phlegma vero pigritiæ cauſa acribus & abſterſiuis eſt comprimenda, & phlegmaticis iſta dabimus. Cholericis vero anxiiſque celeritate nimia vtentibus, frigida & humida, phlegmatis nutritiua. Melancholicis autem pinguia alba, calidaque; ſed pro tempore & fine, quam intendimus. Ergo in cibum contraria dabis quæ vitioſum humorem aut ſuperfluum minuant: in medicinam vero ſimilia, vt attrahant. Hoc bene conſideres, oportet; & omnis humoris ſimilitudo & diſſimilitudo cum cibo & potu & pharmaco non te lateant.

Corroſiua venena, quoniam ſicca, tenaciaque ſunt attractione non purgantur, ſed vomitu; niſi in clyſtere propinata ſint. Sunt venena quædam extrinſecus lædentia, quæ vnctuoſitatem quandam habent, ſicut aſpidis & viperæ venenum; quod tanti eſt vehementiſque caloris, vt conuertat in ſe humorem carnis commorſæ; idcirco attenuat, tumefacitque; & omnia mordentia quæ tenuitatem & ardentem habent humorem ſic afficiunt, ſicut pediculus, apis, & aranea. Hoc autem fit, quia venenum inſpargitur in loco ſibi inimico: Caro enim noſtra illi prorſus aduerſatur: idcirco ſe contrahit venenum, roboratur accenditur, conuertitque in ſe adiacentia, præſertim humores. Itaque tutum certumque remedium eſt in morſuræ loco, apponere caput mordentis beſtiolæ, aut pilum, vel perſimiles eidem: Libentius enim regreditur ad ſimile imbibitum venenũ, quam remanet intra carnem ſibi diſſimilem. Nam veluti ſerpens eſt venenoſus homini, ita homo ſerpenti, quippe quem ſolo ſputo occidit, præſertim ieiunus, quando adhuc naturalem retinet conditionem & non alienam à potu & cibo. Rationabile quoque eſt ligamine præcludere ingreſſum ad viſcera; & cucurbitulis & ſectionibus foras extrahere, & minuere; & ſpiritus odoribus corroborare, & cor aliaque viſcera antidotis, vt ſi progrediatur interius ſeſe dilatando venenum, inueniat robur in ſpiritibus, & viſceribus repugnantiam & impedimentum. At theriaca, quæ attrahit carne colubri, & expellit admiſtarum rerum vi, ſicut ſapo oleo trahit oleum, & calce cinereque educit, laudatur valde. Hinc patet res omnes alteratas tranſmutataſque adhuc ſenſus qualitatiſque innatæ quid retinere: Vt ſyrupi & pharmaca omnia fidem faciunt. Aduerſus venena, quæ inſpirationem lædunt, aut ad cerebrum exhalationem mittunt, aut per poros totius carnis ſubeunt (& hæc quid vehementia ſunt) neceſſe eſt primo odoribus blandis ac reficientibus ſpiritum roborare, deinde ventriculum ac viſcera corroboratiuis armare, vt cinnamomo, vino, macis, aliiſque aromatis; vt prauus odor repens expugnetur. Extrinſecus vero Cucurbitulas attrahentes applicare, ſanguinem & vaporem educere: & vino firmiſſimo confirmare. Sed quidem ſudor prodeſt mirifice. Hæc omnia proſunt timentibus à

Venerea lue; quæ nimirum fœtida gignitur exhalatione inficiente ſpiritus & ſanguinem deinde, ac tandem totum temperamentum. Quapropter labor & ſudor prauos attenuat, imminuit, educitque ſuccos; lauacra vero tanquam ſimilia roborant ſpiritus, qui ſunt in cute, & membra ne inficiantur aliaque intrinſecus corroboratiua, partes interiores: ac ita victoria paritur. Eadem remedia conferunt contra peſtem, quæ vapor eſt fœtidus: primo ſpiritum lædens, deinde ſanguinem & tandem temperiem; ergo prius eſt ſubueniendum ſpiritui per odores, corpori per ſapores, extrinſecus vero cucurbitulis & lauacris; aëri tandem ignibus & combuſtis aromatis, & rumoribus tympanorum & Campanarum attenuantibus & ventilantibus.

Hinc planum fit, eas res omnes producere vitam quæ venenis contrariæ ſunt, nobis vero ſimiles, præſertim primordiali temperamento ſeminis & ſanguinis puri (non menſtrui) ex quibus conſtituti ſumus. Oportet ergo eligere primo aërem tenuem, mobilem, lucidum, apertum leuiter agitatum, vaporibus aggrauari non ſolitum, procul à paludibus & cadaueribus, & herbis belluiſque venenoſis: at mirtis lauris iuniperis thimo &c. id genus conſitum. Secundo aquam leuem per tophum aut cryptam dulcem purgatam, tenuem, ſapidam, mobilem, agitatam; tertio vinum album aut rubicundum, vel aureum, leue; tranſpicuum, odoriferum, ſuaue, ſubdulce, non ſemper ſubaſperum, ſapidum, & quaſi ſtipticitate exſiccans, ſicut vinum Amarinum, quod caliditate ſua ſtiptica & ſorbinis atomis humores exſiccat, humectat partes corporis ſiccas, ſua penetrante tenui humiditate; Calefacit neruos parteſque frigidas; incidit phlegmata, & excreari & excerni efficit. Refrigerat partes aridas humectatque penetrando duritiem illarum ac ſpongioſas reddendo nutririque aptas. Quarto cibos facile in ſubſtantiam cibati tranſeuntes; non craſſos viſcoſoſque, niſi medicinæ gratia; non molles nimis, nec acres; albos potius quam nigros; ſapidos, odoriferos ex herbis & arboribus & animalibus vitam longam viuentibus; non natis ex putredine; nec ægritudine mortuis; in terra ſalubri ac robuſta naſcentibus ſponte, non ingenerantibus fuligines nec excrementa multa. Moritur homo quoniam aucto calore partes corporis indureſcunt, nec belle nutriri poſſunt, ſpirituſque pauci fiūt: quoniam iecur induratur, & ſanguinem generat ſemiuſtum, paucorum ſpirituum, & multarum fuliginum materiam. Magnopere igitur curandum eſt, vt iecur perpetuo molle ſeruetur, quale ineſt pueris, caroque humida mediocriter, ſanguis floridus & copioſi ſpiritus. Ad molliendum iecur lac confert, ac res molles & parum excrementi habentes. At ſuſpendere vas aquæ; ex cuius canali interpolatim guttæ aquæ cadant ſuper Iecur, optimum eſt remedium. Timore enim flammam exhalantis caloris indurantiſque Iecur abſceſſu tenuitatis, reprimit retruditque interius; itaque relaxat, emollitque iecur:

& duras partes per admiſtam tenuitatem diſponit ad mollitiem. Sicuti cothurnix ab accipitre interfecta tenera eſt magis, quam aliæ cothurnices, quoniam timore collecti ſpiritus introrſum relaxarunt ac mollierunt carnem: Omnis enim fibra propriam duritiem relaxat. Sanguis quoque deſtillatus ex vitula, capreolo, pullis gallinaceis, aliiſque confert multum: nutrimentumque candidum & leue radicali humido conuenit mirifice, vt conditio ciborum ex odoriferis ſpiritui: & omnia animalia adoleſcentia, & olera teneriora comprobantur. Sapienter Fl. Ioſephus ſcribit priſcos ſeculi patres per phyſicam & Aſtrologiam vitam diuturnam vixiſſe. Palam quidem eſt, magum poſſe vitam artibus præfatis producere. Quibus adde purgationes excrementorum neceſſarias purgatiuis interdum cibis, & lenibus pharmacis interius mundantibus ſpiritum & carnem & ſanguinem. Exterius vero per ſudores & vnctiones pretioſorum oleorum & vina & blanda aromata interius exteriuſque ita vt tota temperies immutetur iuxta arcanum quod hic ſcribere non datur, ſemper habita ratione temperiei: Siccis enim calidiſque cibus conuenit multus & craſſiuſculus: Phlegmaticis pinguibus, ſiccus, leuis, ſubacidus: melancholicis albus ſubdulcis pinguis faciliſque vt dictum eſt. At vero exercitium vitæ omnino maximeque prodeſt. Non enim purgantur excrementa, nec roborantur membra, nec ventilantur ſpiritus abſque ipſo. Otium producit cruditatem, vnde diſtillatio & inflatio, ex quibus oritur podagra, chiragra, gonagra, ſciatica, ſomnolentia, ſpaſmus, palliditas, dolores colici, tumores &, ſæpe hydropiſis: nimius labor inflammationem, ariditatem, diſſolutionem membrorum, luxationem, acrimonias, corroſiones; exercitio ergo inter vtrumque vitium medio vtendum. Nec niſi eo, quo omnia membra ſimul laborant, & roborantur, ſicut ludus pilæ & armorum: nam curſus crura tantum roborat; ferraria ars brachia, & aliæ aliud. Quæ autem membra exercitio vacant trahunt ad ſe aliorum morbos. Sed nunquam corpus ſine ingenio exercebis & ne fias præda hæreſiarcharum, & Sophiſtarum & Empiricorum medicorum: nec animam ſine corpore, ne ſis præda medicorum & athletarum & armatorum. Tandem victoria ſpiritus ſuper corpus vitam ſeruat diutinam; proptereaque temperati moribus antiqui monachi modico contenti cibo digeſtioni apto, paſſionibus vehementibus liberi, vitam vixere diuturnam. Poſt hunc librum ſcripſi ſeptem Medicinales. ibi vide.

CAPVT IX.

Capvt IX.

In Cadaueribus ſenſum reperiri, & de putredine.

PAſſim ad manifeſtationem falſitatis vulgaris argumenti deuenimus; quo putant nequaquam omnia ſentire cum mortua corpora propterea mortua dicantur, quod ſenſu penitus priuata ſunt, quandoquidem videmus viui qualitates in mortuo vel exiguas remanere. Quoniam vero id per noſſe dogmati noſtro toti neceſſarium eſt, veniam ad demonſtrationes; primo tamen aduertens, mortem animalium ſolo abſceſſu fieri ſpiritus, qui habitat in capite, intercurrit per neruoſum genus, & ſenſum motumque exquiſitum toti præſtat animali; & quamuis non deſtruatur Corpus, ſed integrum remaneat, vt in ſuffocationibus patuit, nihilominus moritur animal. At mors rerum ſimplicium eſt mutatio in aliud Ens, ſicut ſpiritus in aërem, aqua in terram, aut ignem, quoniam ſimilaria ſunt & vniformia, idcirco ſola mutatione formæ alienantur à proprio eſſe. Animalia vero multiformia ſunt & compoſita, ſolaque ſeparatione deſinunt eſſe. Igitur ſpiritus in aëre ſentit poſtea ſenſu quidem aëreo, amittitque memoriam corporis in quo fuit interclusus, quoniam magnæ mutationis paſſio aufert paſſiones motioneſque antecedentes, & ipſa eſt fluuius lethæus. Corpus autem remanet cum ſenſu proprio obtuſo, naturæ ipſius conueniente; ſique ſpiritus in neruis relinquitur, ſentit adhuc, vt palam fit in caudis anguillarum & lacertorum. Quæ ideo poſtremò moriuntur ſicut & cor, quia vaſa ſpiritus anguſta ſunt nec facile permittunt illi exitum; pariter cum lanij decoriant boues, quibuſdam in partibus caro tremit & mouetur & contrahitur manifeſto ſenſu. Interfecti quoque homines in cõſpectu mox interfectoris, ſanguinem emittunt & feruent irâ, vel timore ſentientes per affectum aëris communem adeſſe odioſum hoſtem. Et hoc indicio vtuntur legiſperiti, ad agnoſcendum homicidam. Quidam Nucerinus occidit hominem & obruit humo; poſituſque eſt in carcerem aliam ob cauſam, poſt 20. dies pluuiæ illuuio cadauer detexit, detulitque vſque in plateam ciuitatis, vbi erant carceres. Cumque cadauer inſpectaret proximus de feneſtra interfector, cepit ebullire cadauer, & ſanguinem mittere ex vulneribus non ſine terrore illius conſcij ſceleris. Quo abeunte ebullitio ceſſauit, & redeunte rediit. Ac ille homo ſeorſum confeſſus eſt mihi hoc poſt 29. annos. Quapropter remanet affectus non modo in exhalante ſpiritu, ſed etiam in corpulentia, in qua ſanguis eſt, & tenuitas: Sic & nos inimicum obuiam habentes, aut ebullimus

ira,aut tremimus metu. At cum corpus diſſoluitur penitus in ſubſtantiam alteram,amittit illum ſentiendi modum,aliumque ſortitur. Præterea generantur vermes in cadauere:quorum ſenſus ex nihilo manare potis non eſt,nec ex materiæ potentia,vel ſinu,quæ ſuſcipit duntaxat & non dat,ſicut in 2.lib.oſtendimus. Ergo inerat cadaueri ſenſus, calorque nobis occultus,qui natura actiuus cum ſit, nunquam agere ceſſat,aut obliuiſcitur,propterea que creſcit & liquefacit, & attenuat molem,& fœtere facit: fœtor enim craſſus eſt, calidusque nimis vapor,qui ſpiritus noſtri tenuitatem grauat, & vires exuperat, alienat que à ſymmetria ſua. Idcirco diſplicet nobis: non autem brutis illis,quibus ſpiritus ineſt calidior,craſſiorque. Qua de re,quod alteri eſt fœtor,alteri odor eſt. Dum ergo agitatur calor & ex portione viſcoſa tenuem ſegregare non valet,ingenerat ſpiritum,& fit vermis, vel aliud animal,cui magis cognata eſt temperies illius caloris, & illius ſic effictæ molis. Præterea in cadaueribus conſpiciuntur vngues, & capilli creſcere: Humor enim caloris innati reliquiis continuo agẽtis incaleſcit, foraſque effluit, nutritque portiones extremas, præſertim ipſi excrementitio ſimiles. At temporis mora exhalat attenuatus, remanetque cadauer ſiccum,cum ſolo ſenſu obtuſiſſimo oſſium, donec tranſmutetur in terram, aliudue in corpus. At nutritionem abſque ſenſu fieri non poſſe iam dudum oſtendimus. Sal quidem à putredine ſeruat, aliaque aromatica, quoniam exhalare faciunt calorem quam primum: reliquaque moles remanet ſicca,duraq; illius abſceſſu in tenuitate: ex quo intelligimus calorem debilem plus valere ad putrefaciendum,eo quod nequit exhalare cum attenuata mole, emollitaque, ſed ea vtitur ad diſponendum cæteras duriores, ad relaxationem,ad emollitionem & ad euaporationem: ita quod vnà omnes putreſcunt. Non enim aliud putrefactio eſt, quam relaxatio partium ſolidarum & euaporatio mollium,acta ſimul à calore blando, qui in eis augetur & exire non poteſt. Non ergo eſt amiſſio caloris natiui, vt Ariſt. opinatur, ſed augmentum. A quo ſuboritur tandem amiſſio ex viribus nactis ad exhalandum, cum fuerit à ſe paulatim auctus aut à calore externo adiuuante. Porrò cum S. Auguſt. de cur. pro mort. affirmat nullum ineſſe cadaueribus ſenſum,intelligitur de ſenſu humano, & viui ſpiritus,& animæ,quam gentiles etiam ad comedendum in ſepultura redire,vel oberrare putabant,vnde epulas ſepulcretis apponebant: Non autem de ſenſu obtuſo materiali & communi, quam ipſe quoque in aëre agnouit,vt dictum eſt: imò in lib. impert. ſuper Gen. docet quod in tota materia rerum eſt lux ſenſitiua,ex qua fiunt animæ brutorum. Et in Gen. 5. cap. 8. ponit præſeminatam vim in cunctis elementis,vnde fiunt animæ brutorum. & in cap. 14. lib. 3. ex cadaueribus fieri animas vermium,docet,quoniam eſt vis illa animaſtica,idemque dicit S. Bona. dixiſſe Aug. quod Ariſt. 5. quodammodo omnia animæ eſſe plena. Vide Defenſ.

CAPVT X.

In rebus diu conſumptis remanere ſenſum antecedentem, & recentem; experimenta mirifica ad magiam.

AT quidem non obtuſum modo ſenſum, quem in cadaueribus remanere narrauimus, experimur, ſed etiam paſſiones affectuſque proprios & peculiares ſentientis naturæ. Vnde magia negotiationem nacta eſt multam. Profectò ſi tympanum conficias ex lupina pelle, aliudque tympanum ex pelle agni vel pecudis, illiuſque magis, quæ à lupo vim aut terrorem pertulit; videbis dum ſimul pulſaueris tympanum lupinum, frangi ac diſrumpi ouinum. Euidens indicium, quod paſſio conſueta in rebus ſopita excitatur, ac renouatur reminiſcentia quadam, propter quod pellis contrahitur, patiturque ſicut & nos inimicum obuiam habentes declinamus; ſique nominetur is, à quo timemus valde timemus, & comæ eriguntur refugientis ſpiritus abſceſſu pelle conſtipata; & quando dæmon nominatur timidi quoque præſertim pueri expaueſcunt & crines ſtant, quoniam metum apprehendunt illis incuti conſuetum. Porrò eadem res alios lætitia afficit, qui ex ea bene ſperant, alios vero timore, qui male. Timent Turcæ in triremi à Chriſtianis impetita; at mancipia lætantur. Illi enim mortem, hi vero libertatem præſentiſcunt. Nec infortunium cuipiam imminet quod nō præſentiatur in ſpontanea quadam laſſitudine, aut in diffidentia, aut pauore occulto: aut à vate per veritatem, vel per iocum. Amicus cui per archibugium inſtabat mors, dixit negotiando in via, animo attacto: num quis me nunc impetat archibugio? & dum conuertitur retrorſum per ipſum pila ignita tranſiluit & bombus à latrone: & quidē nemini hæc nota nō ſunt. Quoniam aëris, in quo fit paſſio inſtans, adeſt ſenſus nobiſque cōmunicat. Quapropter redeuntes, palam eſſe dicimus ita remanere affectum in pelle ouis à lupo quid paſſæ, ac deinde tympanizando excitari, ſicuti nauſea ſpectanti cibum, quā alias euomuit. Idcirco quidam dux Bohemus moriens præcepit ex propria pelle tympanum fieri, quo terrerentur hoſtes aſſueti ab eo timere in bello. Credo etiam tympana lupina equos fugare poſſe; & ex pelle Draconis Elephantes. Nam ſi conficias, chordas ex inteſtinis vulpis pulſando eas in lyra, fugiunt gallinæ: & ex lupinis, fugit ouis; & ex neruis viperæ abſterrentur mulieres ab hac beſtia pauere ſolitæ; & contrariorum animalium chordæ in duobus inſtrumentis pulſatæ ob-

ſtrepunt & rumpuntur. Præterea ſi concordes Cytharas ad ſymphoniam quis vnus reddere velit, pulſando chordam, quam dicunt primam in altera cythara, tunc alterius cytharæ prima, ſi concordis eſt, hoc eſt eodem prorſus tenſa tractaque modo, mouetur ſponte nullo tangente; vtque id certo agnoſcas, ſuperponito illi paleam aut plumam aut chartulam, nam videbis reſilire, & excuti paleam, dum pulſas alteram conſimilem chordam, & tunc fidicen intelligit iam concordes eſſe ambas, & vniſonas. Nec quidem excutitur ab aëre agitato, qui violenter deinde moueat paleam. Nam ſi tabulas inter duas cytharas erigas, ne ventulus communicetur idem euenit. Præterea nec vnquam palea mouetur, licet nimis pulſes, antequam hæc, quam pulſas, omnino reddita eſt illi, cui paleam ſuperpoſuiſti, vniſona, eodem, tenſa modulo. Præterea ſi hoc motus efficeret abſque ſenſu, omnes aliæ chordæ mouerentur & ſuperpoſitas excuterent feſtucas; quod quidem non faciunt; nec ſi cytharas propinques magis. Mouerentur quoque & magis chordæ minus tractæ, minuſque tenſæ, quæ molliores ſunt & flexibiliores. At vero nulla quidem mouetur, niſi quæ eiuſdem eſt craſſitudinis, & tenſa in cythara æque prorſus, vt ſit vniſona. Hoc autem fateri cogit, ſimilem gaudere ſimili, & ſentire & conſentire ſimul per motum, non quidem tanquam violentum, ſed tanquam portitorem ſenſus & affectionis ſenſatæ ſymbolæque. Porro aiunt colubrum occiſum poſitumque ſub vmbra fraxini, ſibi natura inimici, adeo agitari donec recedat ab ea. Multaque alia ſunt experimenta ſenſus conſenſuſque in rebus, quæ nobis ſenſus expertes videntur. Si patiens lienis tumorem ipſe vel alius ſuo nomine, alterius animalis lienem camino ſuſpendat ad fumum, compertum eſt, quod dum exſiccatur ſuſpenſus lien, exſiccatur & tumor patientis & lien. Hoc diabolus non facit, quoniam intra noſtra viſcera non operatur, ſed patientis affectio pauorem ingenerat in proprio ſplene, qui contrahitur, ſtringitur, vomitque humorem compatiendo cum ſuo ſimili, & recipiendo per aëris communionem illius affectum. Aſt hoc contingit, hac fide affectis magis, vt mox declarabimus. Singula membra ſenſum habent peculiarem, quo communicant in toto: idcirco metus jecori per aquam incuſſus mollitiem eidem affert. Vidi quoque acuta ſecuri lienem incidi ſuperpoſita charta in loco lienis, & percutiendo contra ipſam nihil læſa charta, nec ventre: lien vero contremiſcebat, diffugiebat, ac per os & per aluum ſanguis fæculentus atrabilioſus mox exibat. Affirmant multi curari vulnera medendo enſem, quo vulneratus eſt quiſpiam. Hoc non ſum expertus; ſed fieri poteſt, quod vulnus ſentiat affectum eius, qui nocuit, verſum ad auxilium dũ medicatur, ſicque fiduciam arripiat ſpiritus in eius fibris, & ſpem auxilij, aut gaudium de vindicta, ſicque curetur, vt multa mox exempla

ſuadebunt. Si ſenſus magnetis vſque ad polum extenditur, quis dubitet de ſenſu cæterarum rerum in aëre communicantium. At quoniam ſuperſtitioſa plebs, quæ rerum cauſas non intelligit, falſa admiſcet multa, & dæmon ad decipiendum ingeritur, perpetuò ſacerdotes huiuſmodi occultas artes perſecuti ſunt, modicumque ſcitur. Cæterùm qui ſenſum conſenſumque & diſſenſum rerum norunt, Duce Deo perſcrutari & inuenire non diffidant.

CAPVT XI.

Non modò remanere ſenſum abſente aut conſumpto ſentiente, vnde deciditur: ſed etiam multiplicari & alia in ſe conuertere: comprobatur in morſu Appulæ Araneæ, & canis rabidi, aperitúrque mirabilis quædam latens Magia, nulli hucuſque nota.

IStſhæc autem omnia veritate comprobantur euidenti in morſibus aranearum Appularum, & rabidorum canum. Naſcuntur eiuſmodi araneæ (quas Tarentini, tarantulas vulgò à loco nominant) ſub feruentiſſimo cœlo æſtiuo: nucis magnitudinem adæquant plus minúſve: ſimiles cæteris araneis pedes habent, manus, figuramque Colore croceo, viridi, rubro, nigro, pauonaceo & miſto ſparſæ ſunt. Mordent ruſticos dum metunt aut triturant. Qui aliquo tempore paruo dolore, ſed quodam ardore in cicatrice afficiuntur. Deinde languent, obſtupeſcunt, & cadunt interdum ſemianimes, ſenſu motúque ex parte amiſſo: Inſuper vt furentes in motum aguntur, vbi viderint veſtem, aut quippiam eo colore coloratū, quo aranea, quæ momordit eos, inſequuntur auide hominem, aut beſtiam ſic coloratam. Sono gaudent, alij fidis, alij cytharæ, alij Barbiti, alij pſalterij: Quiſque ſuo: & ſono agitantur, ſaltant, vt in tripudiis, ſed furentius, nulli tamen nocentes. At ſi ceſſet ſonus cadunt languentes humi & quaſi exanimes, cupiuntque ſemper ſaltare ad ſonum; adeòque exſudant, quod laſſati decidunt, & conualeſcunt repetitis ſudoribus & laboribus eiuſmodi tripudij: Nihilominus poſt vbi conualuerint, cum vident alios commorſos ſaltare ad ſonum, ipſi quoque reuertuntur ad eandem affe-

ctionem, & ſaltant cum eis. Et ſingulis annis eodem in tempore, quo morſi fuerint, redeunt ad eandem paſſionem & tripudium, ſed non perpetuò. At dicunt ruſtici, donec ſuperuixerit Tarantula, punctum ab ea reïterare annuas ſaltationes. Dicunt Philoſophi vulgares conterranei, nihil ruſticos lædi, ſed ex ignauia & dolo ſic ſimulare. Alij dicunt ſecretam eſſe vim nulli notam. Equidem haud credam eiuſmodi pauperculos cupere pecuniam anno quolibet per ſimulationem fidicinibus, & cytharædis ſoluere fruſtrà. Nec quia ignoratur cauſa, ſenſus tot confirmatus ſeculis abnegandus eſt. Quapropter inquam eiuſmodi Tarantulam peracutiſſimo calidiſſimóque veneno donatam eſſe, ac prauiſſimæ qualitatis ad nos. Itaque dum mordet, modicus ille vapor & humor ardens, quē in plaga relinquit, augmentatur paulatim, quoniā eius ardor vehemētior eſt, quā noſter in particula illa plagæ; conuertitque humorem noſtrum in ſui conditionem: ac deinde ſpiritus noſtri illa afficiuntur paſſim, adeò quod omnes ferè immutantur in ardorem inimicum; quoniam ex humoribus reficiuntur & nutriuntur; & iuxta humoris conditionem ipſi qualitatem ſortiuntur. Quoniam verò multa exhalatio æſtuoſa ſimilis Tarantulæ fit in corpore ſerpendo paſſim, ſpiritus ipſi amittunt ordinarios motus ſuſcipiuntque paſſionem illam vehementem, & fiunt ſimiles ſpiritibus tarantulæ, ſicuti paulò ante dicebamus vaporibus tetris infici ſpiritū, fierique obſcurum & ſordidum, poſteáque cupere ſepulchreta, cadauera, & cloacas, quoniam ſimile ad ſimile fertur. Itaque amiſſo proprio eſſendi modo, ac in alium verſo, quando videt ſpiritus colorem ſimilem Tarantulæ, vnde ipſe habet originem iſtam, currit ad illum tanquam ad ſimilem, ſi iam penitùs aut nimis propria temperies immutata eſt in Tarantulæ temperiem: Sin minus, currit ad colorem illius ſicut ad rem hoſtilem, diuinando ex intrinſeca paſſione ſua, ſe paſſum eſſe à re, quæ eiuſmodi eſt coloris; neque enim diſcurſu, ſed ſagacitate & natura hoc fit, vt in 2. li. dictum eſt. Propterea autem proſternuntur & languent, quoniam calor & prauitas Tarantulæ iam vicit, quapropter ipſi victi ſpiritus neſciunt ſicut ante corpus regere, nec poſſunt; nempè à vehementia alienati in tantam paſſionem nouam, ita quod obliuiſcuntur, aut dediſcunt quod fuerunt, & quod & quomodo operabantur. At ſonum audientes gaudent illo, quoniam res omnis calida mobilis tenuiſque inuitatur à motu ad propriam operationem, qua ſeruatur. Nec omnes eodem oblectantur ſono: Quoniam Tarantulæ variæ ſunt, varióſque induunt affectus: & temperies hominum variæ varios affectus ab eadem re quoque contrahunt. Delectantur autem, aut quia venenum ipſum eſt illius ſoni amicum, cum ſit ſimiliter tenue ac mobile; aut quia ſpiritus natura mobilis appetit ſonum, quo ab illa paſſione infecta in aliam meliorem transfertur, ſibique con-

uenientiorem; & quod per ſe facere non poterat, ſoni impellentis auxilio remedium captat. Saneſcunt verò quoniam ſpiritus praue affectus exhalat partim, prauúſque humor per corpus ſparſus, quo vtérque nutriebatur ſimiliter praue, attenuatur, egreditúrque per tranſpirationem, aut per ſudorem ſolidum temperamentum mundatur. Deinde probi exhibiti cibi in nouum meliorem ſuccum funduntur, & non conuertuntur in ſui ſimilitudinem à ſucco priori: hic enim iam debilitatus, eſt per ſudorem imminutus, ergo & ineptus ad conuertendum in ſe alimentum, cum iam exhalauerit, exſudaueritque magna ſui pars, & vehementia. Itaque paulatim repetitis ſudationibus liberatur morbo, generatque ſpiritus puriores & blandiores, diræ illius affectionis minus participes. Idem accidit in febribus, quæ ſunt feruores ſpiritus contra prauum humorem intra vaſa aggregatum, aut iuxta ipſa, & cum ſpiritus partem illius humoris expulerit in ſudorem & vaporem actam, imminuitur afflictio ſequentis paroxiſmi: aut non mouetur eodem in tempore, ſed tardius. Si verò ſpiritus parum præualuit in primo prælio, humor creſcit, ſpiritumq; ad prælium prouocat paulò antè. Sed propinquior comparatio eſt inter hunc & venereum morbum: qui nimirũ totum ſimiliter Temperamentum immutat. Ideóque ſudoribus oportet ipſum expellere & ſuccos probos intus generare & emollire carnem & oſſa & viſcera, ac purgare continuò, donec omnis prauitas exhalet, ſudet & excernatur, totáque Temperies innouetur. Poſtquam videmus hominem complexione mutatum, pingueſcere magis, quoniam ad pueritiam corpus redactum eſt. Hac ratione ars reiuueneſcendi inueniri poteſt. Nam aquilæ & cerui ſerpentibus venenoſis paſti, & ab illis commorſi, poſt longum curſum ſudorémque immerguntur aquis tepentibus, & in aquas exit venenum iam exſudans; ipſorúmque carnes molliuntur; & viſcera, redduntúrque aptiora ad nutrimentum primæ ætatis. Vehementia enim veneni apta eſt in ſpongiam omnem duritiem intermutare. Magia id imitatur in theriaca & purgationibus ſecretis, & vnctionibus exterioribus. Ad rem reuerſi, dicimus, quod quando poſteà vident quempiam à morſu affectum, expergiſcitur in eis eadẽ paſſio in ſpiritus ſopitis motionibus, redeuntque ad furorem: Sic quando nauſeam in mari paſſi ſumus reminiſcentes poſteà ex viſione maris aut nauigij, in eandem ferimur nauſeam. Memoria enim eſt ſopitus quidam motus remanens, quaſi vetus cicatrix: ſpiritúſque patitur ſecundum illum quoties aliundè repræſentatur. Idcircò ſi ridere alios conſpicimus ridemus & ipſi ſæpè neſcientes propter quid: Si plorare ploramus, & mortem amici ſtatim recordamur alios mori videntes; omniſque paſſio memoriam reuocat. Tempus quoque atque locus apti ſunt memoriam reficere: Idcircò eodem in tempore anni patiuntur. Sicuti nobis quocunque

die aut tempore, quid mali ingentis aut lætitiæ accidit, cum reuertatur, renouat paſſionem dolorificam aut lætam. Et quidam amicus, aſſuetus per pietatem tergum verberare funiculis, & ſtimulis ferreis in hebdomade ſancta, quotannis pruritum ibidem patitur & ampullas, ita, vt ſi ſe non verberet, in infirmitatem incurrat. Natura quoque eandem ſeruat memoriam, quoniam eiſdem in temporibus quotannis renouat poma, ceraſa, vuas, ventos, pluuias: & in Rep. feſtiuitates & funeralia repetere natura nos docuit. Et magus ſi hoc percipit, ſcit quando ex voto opificium ſuccedet.

Fieri quoque poteſt, vt paſſio reuertatur quamdiu Tarantula viuit, fons cauſáque damni. Quoniam viuente cauſa effectus viuidior eſt, quãuis abſens, ex natura, & aëris cõmunione, & mũdi conſenſu. Eadem enim influentia quæ opitulatur illi, opitulatur & iſti, & moriente cauſa effectus ruit, aut malis premitur magnis. Quoniam influxus inimicus interficiens cauſam, eſt quoque effectui contrarius, loquor communi ratione. Noui enim particulari ratione ob circunſtantias hoc falſum eſſe. Nam mortuo patre, non moritur filius, eo quod robuſtior eſt iam patre ex noua in ipſo virtute aucta perfectus. At ego expertus ſum, quotieſcunque amicus quid aduerſi patitur, amicos conſimiliter pati licet abſentes: Sic & in bonis communicare vidi: Amicitia enim ex ſimilitudine oritur: & quæ cauſæ rem quampiã ſeruant, ſeruãt & illius ſimiles. Hoc autem nemini non perſuadeat, vir Neapolitanus, cui amputatus fuerat naſus, emit mancipium promittendo illi libertatem ſi ſineret naſum refici ſibi ex carne brachij illius ſecundum Magiã Calab. Tropienſium, quæ in 40. diebus hoc opus explet. Refectus eſt naſus, liberatus eſt ſeruus, ſed poſt tres annos mortuus eſt morbo conſueto, & ſimul particula naſi in hero cœpit languere, & mortua eſt & computruit eodem tempore & ordine, quo ſeruus. Quærit ad me amicus cuiuſnam anima viuebat naſi particula, ſeruine an Domini? Si Domini, quare mortua eſt, mortuo ſeruo? ſi ſerui quare viuebat ab eo ſeparatim? cum quæcunque reciſa membra intereant? Prætereà quare ſurculus inſertus non moritur, mortua arbore vnde reciditur, & quare filius non moritur mortuo patre; cuius eſt ſemen? Reſpondeo quod ſecundum animam à Deo immiſſam viuebat anima heri, quæ eſt in toto, quod viuificatur in ſuo ſubiecto. Non enim particula naſi erat ſegregata ſicut vermis in ventriculo, ſed coalita toti. Sed de hac non eſt quæſtio, quandoquidem idem eueniſſet inter cætera animalia, de altrice & ſenſitiua eſt ſermo. Dicimus ergo ad vniuſcuiuſque rei conſtitutionem concurrere totam rerum vniuerſitatem, & harmoniam, omniáque certò ordine currere, qui præteriri nequaquam poteſt: & vitas cunctis rebus à Deo ſtatutas omnes, & ſimul à conſenſu omnium cauſarum ſecundarum, & rerum, quæ in virtute primæ ſunt & operantur. Quapropter

pter fatendum eſt vitam illius particulæ dependere à prima conſtitutione quam habuit in ſuo toto contractam ex tota rerum vniuerſitate. Sed quia à ſuo toto ſeiuncta erat, quoad radicalem ſubſtantiam pertinuiſſe ad vitam ſerui, quoad verò conſeruationem nutrimentalem ad vitam heri. Sicut funiculus lucernæ habet ſubſtantiam à goſſipio, & nutrimentũ ab oleo & viuit vita lucernæ & goſſipij; Et ramulus inſertus de pomo in pyro, viuit vita pomi radicali & pyri nutrimentali. Quapropter ſi deficit nutrimentum moritur, ſi ſubſtantia nutrita etiam moritur. Cum ergo cælum & vniuerſitas rerum terminaſſent vitam ſerui nutu Dei, neceſſe erat particulam ab eo abſtractam ſimul commori, quoniam cauſæ fauentes & aduerſantes communes erant illis. Et quidem mortua eſt ſubſtantia radicalis, ergo fruſtra accurrit nutrimentum cui res nutribilis defecerat. At in plantarum inſertione non forte ſimiliter euenit, quoniam ramulus decerptus aptus eſt per ſe aliquid eſſe & fieri. Videmus namque plantarum ramos humi plantatos germinare, & fieri nouas arbores. Similiter & ſemen aptum eſt fieri animal, & nouo addito nutrimento augeri totum in multas partes, quapropter non ſeruant radicalem ſubſtantiam, ſed in rem aliam mutantur & mutant, & augentur; Particula vero naſi non exceſſit primam quantitatem, nec ex ea aliquid per ſe fieri natum erat, ſed tantum poterat cum alio nutriri ergo perdita ſubſtantia primæ conſtitutionis, ipſam perdi oportuit, cum quia aliud facta non erat, vt ſurculus & ſemen, nec nouam virtutem & eſſe acquiſiuit, nec in rem nouam per ſe exiſtentem tranſiuit; ſed alteri adhæſit: tum quia per ſe aliquid eſſe & fieri apta non erat, ſicut planta & ſemen, & periit cum ſuo toto, quæ eſſe totum aut fieri apta non fuit. Viuebat autem extra totum, quia conſimile nutrimentum nacta erat. Subſtantia ergo baſilaris nunquam prorſus mutatur, & ſic venenum viuit viuente Tarantula. Qui autem mordentur, à cane, vel feli rabidis, moleſtiam vix ſentiunt vſque ad 40. diem. De hinc languent, & latrant vt canes, aut feles, mordentque alios homines, ſicuti ipſi morſi fuerunt. In aquam claram introſpiſcere abominantur & fugiunt, tandem quaſi canes aut feles vociferantur rabidòque furore pereunt; & emittunt ex genitalibus ſemen inſtar catulorum canis, aut felis; & tandem in canes transformantur, licet non in figura exteriori & miſerè pereunt latrando, & imaginando ſe eſſe canes. Vnde palam fit ardentem ſpiritum humoremque in vulnere à cane derelictum paſſim augeri, & temperamentum vincere; ſicut modicum coagulum lac multum; Inque ſeipſum conuertit. Quapropter ſpiritus adeo afficitur, quod obliuiſcitur eſſe humanus, imaginaturque eſſe caninus. Motiones enim paſſioneſque caninæ in eo præualent, imaginantemque vim caninam faciunt. Sicut furioſus quidam ſe eſſe Papam credebat. Et veluti modicum ſemen frumenti terram multam mutat in

frumentum, ſic caninus ille ſpiritus modicus operatur vehementia ſua immutando temperiem ſenſumque in ſe. Itaque patiens credit ſe eſſe canem, & iam canis eſt intrinſecus non autem in figura: nam ſicuti mutatur in corpore canis cibus & ſanguis in ſpiritum caninum: ita & in corpore noſtro, dum caninum ſemen ſic potens eſt. Mens autem à Deo nobis indita patitur eadem paſſione & credulitate, quia eſt inuoluta ſpiritu patiente, & credente ſe canem eſſe.

Quod ſi propriam operationem haberet, ſpiritum corrigeret: vt videas non poſſe ſuſtineri eius immortalitatem, niſi mortalis ſpiritus hæ paſſiones agnoſcantur. Introſpicere aquam reluctantur quoniam vident in aqua propriam figuram humanam & non caninam, quam vellent. Aut forte ſi prorſus caninus non eſt factus ſpiritus, putat ſe videre in aqua caninam figuram inimicam, cauſam ſuæ paſſionis, refugitque. Hoc agnoſci poſſet ex amore vel odio, quo proſequuntur canes. Nam transformati amant; affecti verò oderunt. Ex parua delineatione vident praue imaginantes quidquid in animo obuerſatur vt dictum eſt, in lib. 2. Multi quidem ægritudine dira mutati credunt ſe eſſe gallos, aut vrnas: vidi etiam iuuenem, qui cum ſanus eſſet omnino, nihilominus à calore æſtiuo infeſtatus in ſudores liqueſcens cogitatione dixit, ita eſſe pepones putreſcẽtes; & ita vehementer id imaginatus eſt, quod in ſequente paſſione omnino credidit, ſe eſſe peponem putridum, & ſic affirmabat prorſus. Hoc euenit ex magna imbecillitate exilis ſpiritus: qui ordinariis non poteſt moueri motibus ad ſuam paſſionem conſiderandam, ſed paſſionem propriam penſiculando, vt primum in mentem venit quippiam ſimile ſuæ paſſioni; quoniam alias illam rem nouit, imaginatur ſe eſſe illud. Hoc autem in ſomno contingit magis, quando intumeſcentibus teſticulis communicatur motio ipſorum vſque ad caput. Spiritus autem putat ſubitò extrinſece coitum exerceri quoniam ipſe non eſt in ſenſoriis oculorum, & aurium ad videndum & cuius imago mulieris primum in eo expergiſcitur per motionem illi conuenientem aut procedentem cogitationem, illam ſubagitare ſe imaginatur; & ſæpe matrem, ac mox ait, peccatum eſt hoc, quoniam ſimul in eo cogitatio peccati cum matre mouetur. Videturque ſibi cogi illud committere ſcelus, propterea quod calorem genitalis corrigere non valet, quoniam non intelligit, qua ratione vectandum eſt corpus fugiendumque, cum hoc non niſi in ſenſoriis facere conſueuerit: excitãtur quoque in eo ſimilitudines variæ, quas vt res ſuſcipit, vt conſueuit. Sic & languens multa videt vana quæ vera iudicat, quia ſpiritus exilis non poteſt diſcurrere, & inquirere, num vera ſint, præſenti paſſione occupatus & victus; ſic ex delineatione modica ſe in muro draconem putat videre ob exilitatem; E contra ob robur alij, nec quod vident, credunt, quoniam non poteſt proprium motum impreſſione

magna ſuſceptum dimittere, vt moueatur alienis. Potentius enim non admittit debilius, ſed è contrà. Et huiuſmodi genus hominum non mutat opinionem abſque magna euidentia melioris, impreſſionem faciente multam in ſenſu. Rabidi autem vehementi motu præoccupati non diſcurrunt vt dictum eſt. Generant quidam catulos, quoniam caninus factus eſt ſpiritus ipſorum, ergo ex ſemine canes format; ſicut ſemen hominis in vtero format hominem, quoniam eius ſpiritus retinet in ſe ideam genitoris, & veluti nutriebat & viuificabat & ſentiebat & operabatur in genitore, ſic agit & operatur in vtero, ergo & ſimilem genitori fabricatur. Sic etiam ſpiritus caninus operatur quod & ſicut in cane operabatur, & nutrit & generat, & latrat, & omnia agit iuxta ideam ſuam, Granum frumenti de terra ſibi diſſimillima frumentum facit; quoniam adepto vigore agit quod & ſicut agebat in frumento innata vis illius, & ſicut fecerat herbam ſpicam & grana, ita nunc facit in terra: & quocunque idea transfertur, ibi ſimile producit, & gallinæ ouum ſub fimo, & ſub columba, facit gallinam, cuius ideam habet; ſic ſpiritus caninus conuertit alienum in caninum, & deinde canes generat. Mulier prægnans recocti nimio affecta appetitu, tangit ſibi vultum, naſciturque recocti ſimilitudo in vultu fœtus; quoniam communis eſt appetitus vtriſque; at in carne mulieris duriuſcula non exprimitur imago cupitæ rei, ſed in tenellulo fœtu ſpiritus appetens affectus eiuſmodi imagine, quoniam ſicut affectus eſt ita agit, eam proinde agendo producit. Producere enim & agere eſt ſimilitudinem ſuam effundere. Sæpè monſtra & tetra mancipia candidæ formoſæque mulieres pepererunt ſola imaginatione præeunte vehementi: Tametſi ſoleat alias ex ſeminis vitio, aut menſtrui infectione, aut ſuperfluitate, vel defectu materiæ, aut vis actiuæ, temperari & formari fœtus temperie formaque monſtri aut beſtiæ, præſertim cum ſtellæ calore conſimili illi temperiei fauerint, vt mox dicemus. At canes & feles quando rabie non aguntur, ſi momorderint, non inducunt iam dictas paſſiones. Quoniam temperies hominis exuperat modicum humorem, quem in vulnere relinquunt, cum non ſit ita vehemens, quod noſtrum vincere & immutare valeat; ſic & ſemen maſculi filios facit ſimiles maſculo, quando robuſtius eſt ſemine muliebri; quando autem muliebre potentius eſt, mulieribus nati eduntur ſimiles licet maſculi. Granumque in terra apta ſibi & facile vincibili facit frumentum: in alia vero lolium, quoniam in huius temperiem ipſum mutatur. Vinum vincit noſtrum ſpiritum, inebriat & calefacit, aqua vero vincitur à noſtro ſpiritu, calefit & immutatur, & in omnibus hæc doctrina comprobatur. Credam corium canis rabidi, & Tarantulam mortuam ſuper plagis ab eis inflictis appoſita poſſe ad ſe venenum trahere, ea ratione amicitiæ

quam cum ipſis habent, & odii nobiſcum venena ipſorum. Quas ob res qui ſciret ex auro ſpiritalem vehementiam educere, qualis eſt in cane rabido, & non ordinariam, qualis in ſano, poſſet eius miſtione alia metalla in aurum conuertere. Poteſt habere aurum eiuſmodi virtutem ſopitam in denſitate, (vt patet in magnete, & in ſilice ignem continente) & per ignem excitari, roborari & vehementia donari ſicuti æſtiui ardor ſolis ipſam in cane excitat; & naturaliter dat Tarantulæ. At neſcio num aurum ſpiritus nobilis expers, fieri tale poſſit, & non exhalare, & verti aliud in Ens.

CAPVT XII.

In lege lepræ Moyſem docere ſenſum affectumque communicari & multiplicari in res diſsimillimas & diſtantes, conſenſumque comprobare.

TAndem ſapientiſſimus Moyſes docet, non modo animal animali proprias communicare paſſiones & contagia, ſed rebus quoque, quas inſenſatiſſimas vulgus exiſtimat. Ex quo intelliges, quod retulimus de medicamine enſis & lienis non omnino à veritate aberrare. Nam & huius experientiam vidimus. Dicit igitur in Leuitico, lepram ab homine in hominem contagione tranſire & in animalia. Deinde verò in veſtimenta & in parietes domus conſimili ſerpendo modo. Dat legem, vt ſi apparuerit lepræ macula in homine, ſeparetur ſeptem dies, & quando macula apparet humilior carne reliqua, & quando ſerpit poſt primam probationem iubet dies quadraginta extra caſtra manere & curari oportunis remediis: ac deinde ſacerdotis iudicio ſupponi, an rectè curatus ſit; qui hoc quibuſdã indiciis in carne & puſtulis ex colore & plagæ cicatrice agnoſcebat. Eadem ratione iubet, ſi in veſte apparuerit plaga lepræ ſeparandã eſſe, ac deinde pluries lauari; ſique macula ſtaret, amputari à reliqua veſte, ſi vero ſerpat comburi; quoniam volatilis (ait) lepra eſt. Idem de arculis & pannis abſconditis docet. Tandẽ ait, ſi apparuerit plaga lepræ in parietibus domus quæ ſit lucens & humilior reliquo pariete, abradendum eſſe locum plagæ & lauandum & habitatores diſcedere

à domo donec probetur ad ſacerdotis iudicium. At ſi poſtea redeuntes viderint maculam ſerpere ſæpius, demoliri iubet domum & comburi, quoniam lepra eſt volatilis & vaga: & pulueres illius & lapides extra ciuitatem proiici ad ſacerdotis Imperium. Ex quo declarat, veſtibus ineſſe ſenſum paſſiuum, qualis homini in partibus ſui ſtupidius ſentientibus; ſic etiam parietibus. Hæc quidem morbi multiplicatio & contagium non fieret conſimili modo in illis, vt in nobis, niſi conſimiliter paterentur. Nec macula & plaga multiplicabilis, volatiliſque in ipſis fieret, ſed vapor duntaxat in eis fieret & inhæreret, qui ad ignis conſpectum euaneſceret, & ſanaretur. Nec Moyſes hoc ex Dei ore docuiſſet, niſi euenire iſthæc contagia ibi conſueuiſſent. Nec mirum ſi noſtris domibus non fiunt, quoniam procul ab æſtu ſolis & ab illa ſumus vehementi temperie. Nec enim lepra niſi mitis & raro apud nos extat. Sed in Ægypto tunc temporis dira fuit, ſicut peſtis apud nos, quod & ſcriptores profani teſtantur. Hoc autem dixi ad minus credentes. Præterea experientia docet, domum, quæ non habitatur ab hominibus, quamuis bene conſolidata & ornata ſit tota, munitaque, citius ſeneſcere & corruere, quam domum male concinnatam, & exiliter munitam, ſed habitatam. Homo enim eſt cauſa eius efficiens, & idealis & finalis. Effectus autem omnis præſentia ſuæ cauſæ viuificatur & entificatur magis. Ac veluti corpus hominis à ſpiritu inhabitatum viuit, & ſpiritu abeunte, remanet cadauer mortuum: Sic domus habitatore viuificatur & ſine ipſo remanet ipſa cadauer. Præterquam quod naſcuntur herbæ, puluere necatur, madefit, vermiculis ſcatet; impletur muribus, non ſecus ac cadauer, cui creſcunt pili & vngues; puluere obruitur, madefit, vermibus ſcatet, muribus perforatur. Credo etiam lepram ac rabiem plantis communicari. At parietibus rabiem non intelligo: Carent enim ſpiritu ſoluto in quo rabies primo reſidet, non tantū in ſoliditate, ſubiecto nimirum lepræ, quale os & caro: Peſtes & contagia communicari aquis & aëri, veſtibus, & cunctis vſualibus rebus, palam eſt. Eademque ratione remora nauim ſtupefacere poteſt; vt in l. 3. dictum eſt.

CAPVT XIII.

Vniuerſales Canones ad inueniendum introductionem & immutationem affectuum.

HOc experimentis, rationibuſque compertum eſt remanere paſſionem & ſenſum propriæ originis non modo in ſemine, ſed etiam in vapore & humore & neruoſitate, omnique in re coniuncta; & tangentem rem, niſi potentior fuerit res, quæ tangitur, multiplicari, creſcere & in ſe attactam conuertere. Vnde Magus doctrinam elicere queat, inducendi quamlibet affectionem, atque ſanandi: Sicut humi ſeminantur & euelluntur ſemina. Contrarium expellit contrarium, magis autem ſi applicetur interius quam exterius; ſimile educit ſimile, magis quidem applicatum deforis, quam intrinſecus. Simul commixta duplicem pariunt effectum, vel dupliciter aut vtroque modo operari poſſunt. Qui poteſt capere capiat.

Quoniam ſummum bonum eſt conſeruatio, ſummumque malum deſtructio, illa res plus voluptatis, lætitię, amoris ſpei, fidei ingenerat, quæ conſeruat magis aut diſponit od conſeruationem, vel ipſam oſtēdit. Illa autem plus doloris, odij, mœroris, diffidentiæ, incredulitatis, quæ magis deſtruit, aut conſeruationem impedit. Nam (vt melius dicam) quæ diſponit ad conſeruationem aut ad deſtructionem, ſecundum habet gradum in introductione affectuum prædictorum. Res conſeruatur aut in ſe, aut in prole ſimili ſibi, aut in opinione, fama & honore. Maximam ergo poteſtatem habent exhilarandi hominem & paſſiones lætas inducendi, cibus, potus, habitatio, aër, libertas, dominatus, diuitiæ, ſecuritas, quæ nimirum hominem in ſeipſo conſeruant: adde lucem, ſonos Muſicos, ſcientiam, robur, & quæcunque ſpiritus ſunt conſeruatiua & ſimilia. Oppoſita his dolorifica ſunt, quoniam deſtructiua. Secundo loco potentiam hilariter afficiendi habent, formoſa mulier, iuuentus, venuſtas, vigor fæmineus, & denique filij, & omnia Entia generationem concernentia. Et hæc mutant animum in lætitiam, confidentiam, robur, venuſtatem, facetias, amorem; Contraria vero in odium tantum: Quod ſi quis impedit equo, aut colubro actum venereum, inſiliunt viribus immenſis, nunquam in eis viſis, ad vindictam. Tertio Reſpub. dignitas, ſtatuæ, libri, laudes populares, Hiſtorici, Poëtæ, potentiſſimi ſunt ad ingenerandam lætitiam, fiduciam, amorem &c. Contraria autem contrarios effectus. Verum enim verò promiſſio vitæ æternæ in cælo poſt mortem indit probe creden-

tibus quemcunque magnum, nobilem, charitate ſapidum affectum, omniſque mali contemptum; quin & omnis boni, quoniam comparatum illi, nullum eſt. Magia vulgaris ad ſeminandum odium, vel amorem inter homines cunctis eſt nota: oſtendendo alteri quod alter impediat directè, vel indirecte per ſe aut per accidens, diſponendo vel efficiendo, rem quampiam, aut modum prædictarum conſeruationum & deſtructionum. Inſuper exiſtimat homo ſeruari ſe rebus quandoque noxiis, eo quod ſuo ſunt humori & ſpiritui ſimiles. Sicut placet atrabilioſo obſcuritas, affecto Tarantula eius color, febricitanti aqua; ignoranti ineptiæ; Libidinoſo Venus præpoſtera. Idcirco his cunctis tanquam ægris inducitur paſſio quam cupit Magus eorum plaudendo moribus; aut obliuione procurata. Et propinando malum tanquam bonum & bonum tanquam malum. Si aut ſaneſcere illos cupis, oportet temperiem ſpiritus immutare; hoc eſt tenuitatem, lucem, mobilitatem, calorem, vt dictum eſt. Maximè Magus Legiſlator eſſe debet, vt iubeat res, quæ proſint placeantque omnibus, & paucis repugnantibus vt ſolet, perſuadeat eſſe vtiles neceſſariaſque cælitus & humanitus: Oratores ac Poëtæ ſecundè Magia indigent, qui affectus immutant, ſed ad propriam laudem vel vtilitatem torquent non ſine impietate. Cum enim ſint Legis inſtrumentum contra legem populos docent. Præſtantiſſimus eſt, qui vtile & commodum miſcet. Sique addas phyſicam & Aſtrologiam, quæ certis rebus & temporibus mouent & mutant, perfectus es.

CAPVT XIV.

Canones, quibus animalia, plantæ & mineralia ad magicum vſum applicantur.

NVnc ergo generatim proponere liceat, animalia, plantas ac mineralia propterea quod proprias paſſiones nobis communicant non vincibiles niſi vi mentis & vſus, ingredi omnia magiæ vſum. Itaque animalia ſomnolenta ſicut glires & taxi vim habere inducendi ſomnum, ſi applicentur, magis autem ſi comedantur; præſertim cerebrum, ac cor ipſorum, quibus immanet vis ſpiritalis, eò quod ſpiritus ſedes ſunt; quapropter eam nobis affectionem conciliant, quam habent, cum iam compertum ſit in eis retineri etſi non vehementem, ſicut in humore rabidi canis & Tarantulæ, ſaltem taliter, quod continuata manducatione ad ſui ingenium

trahant. Animalia vigilantia, ſicut grus, noctua, gallus, canis, vigilantiam indere, ſi geſtentur continuo, vel comedantur viſcera, ſicut Iaſpis ſymbolo ſanguinis cohibet fluxum: & inſpiratio & tranſpiratio & auiditas hominis erga affectum quæſitum, communicant afficientium rerum vim. Igitur qui carnibus leonum & vrſorum & Luporum, magis autem viſceribus veſcuntur, fiunt audaces, ſtrenuique; hinc oſſium medulla laudatur. Homerus canit, Achillem ex his nutritum euaſiſſe audaciſſimum, & robuſtiſſimum Græcorum. Idem Virgilius de Camilla. E contra animalia timida, ſicut lepus, ceruus, hominem efficiunt timidum fugacemque. Aſtuta vero vt vulpes, coruus, apis, ſimia, hiena, polypus, aſtutos; ſtolida, ſicut aſinus, phaſianus, gallina ignorantes. Quæ noctu loquuntur, vt luſcinia, gallus, bubo, dormientes loqui. Memoriæ expertia, vt ſtruthio; muſca, Oſtrea, obeſſe memoriæ; Sic de cæteris iudicabis, quod proprias inferunt paſſiones: & ſicut calida calefaciunt, frigida frigefaciunt, humida humectant, ſicca exſiccant, vel ſui miſtione, ita paſſiones alias communicare. Ergo ſeneſcentia ſeneſcere faciunt, iuuenia iuueneſcere, venenoſa veneneſcere, crudelia immiteſcere, rabida rabire. Præterea arbitror animalium partes humanis conſimilibus partibus conuenire, & prodeſſe vel obeſſe. Itaque ad roborandos neruos humanos portionem neruoſam animalium maceratam contritamque valere: ad oſſa vero medullas oſſium: ad carnes, carnes, ad iecur, iecora, ad ſplenem ſplenes; ſed quia augeri lienem & vaſa immunda obeſt nobis, idcirco ad nocendum lieni, & fouendam atram bilem, lien animalium valet, ad felleam veſicam ipſorum fel; & quidem ad augendos humores, qui excrementa ſanguinis ſunt, conferunt vaſa ipſorum & humores conſimiles: Sanguis quoque ad ſanguinem ſed iuuenis & conſimilis animalis; alioquin facile tranſit in ſpiritus nutrimentum prauum. Poteſt quoque Magia inter homines producere affectiones odij, amoris, fiduciæ, faſtidij, vtendo animalibus inimicis & amicis, & applicando. Quapropter ad laſciuum amorem augendum, aut imprimendum, maſculum palumbum mulieri, fœminam palumbam viro exhibere in cibum confert multum. Præſertim ſi columba vxor fuerit columbi: idem de paſſeribus cæteriſque laſciuis animalibus, vt cõcilient amorem, ſed repetitis vicibus. Ad pium amorem valet Pelicanus, aut ciconia, alteri matrem, alteri filium Ciconiæ præbendo. Ad odiũ alterius canis, alteri felis detur in cibum; omniaque mutuo ſe ſe odio proſequentia. Ad iram excitandam iracunda animalia, ad velocitatem velocia, ad pigritiam pigra, ad luxuriam luxurioſa. Sed quidem quando præualent paſſiones iam dictæ, exhibenda videntur magis, vt luxurioſa in Vere, & quando coeunt; & cum belligerant, ſubito præbenda videntur corda vtriuſque perſonis duabus, quibus rixam aut odium mutuum procuras. Quando coturnices certant duello, vt

Neapoli

Neapoli conſueuerunt, ſunt ad rem. Similiter herbis & mineralibus vtemur. Namque non modo calefaciunt, lubricant, infrigidant, humectant; ſed dum has operantur actiones, inducunt iam dictas affectiones. Quapropter vaporoſæ & viſcoſæ ſomniferæ ſunt, vt oppium, lactuca; lentæ, & acuti ſaporis, & montanæ vigiliam procurant, vt ſinapes. Aromaticæ, vires & ſollicitudinem. Acres ſalſæque luxuriam, acetoſæ vel frigidę caſtitatem. Nigræ & feculentæ atram bilem & mœrorem & ſomnia dira. Albæ acutæque lætitiam. Albæ corpulentęque phlegma & pigritiam. Succiplenæ, rubræque ſanguinem, vt ceraſa & vua, ac proinde hilaritatem. Habent quoque ſymbolum cum partibus corporis humani, quibus etiam proſunt. Pulpoſæ carnibus vt pyrum, frumentum, pepo: Neruoſæ neruis, vt caſtaneę, glandes, cardui; ſiccæ oſſibus vt myrtus. Porta autem ex figura putat argumentandum, vt cucurbita capiti; ſed melius, ſi addas calorem, colorem & conſiſtentiam, vt rubrę & ſucculentæ proſint ſanguini: albæ duræque oſſibus: croceæ choleram augent, non expellunt, vt putant magi Empyrici, niſi per ſimilitudinem attrahentem, vt dictum eſt. Vidi apud Neocaſtrum. Citria & limones grandes, quorum alia formantur à natura inſtar manus hominis cum digitis, & brachiali prorſus, & planta; alia ſicut cor, alia ſicut veretrum cum præputio & teſtibus: alia ſicut cunnus omnino, vt rideas ac mireris ſimul. Atque exiſtimanda ſunt prædictis membris per ſymbolum prodeſſe. At in mari Parthenopeo vidimus de genere imperfectorum piſcium, quendam prorſus ſimilem veretro humano. Et alium cunno muliebri. Ipſorum ſemina humano ſemini prodeſſe palam eſt; pręcipue alba pinguiaque illi ſimilia, vt nuclei pinearum & piſtaciorum & oua. Quoniam vero inter plantas eſt amicitia, & inimicitia & mas & fœmina, eadem ratione qua de animalibus diximus, applicari ad vſum poſſunt. Exiſtimabimus inſuper res omnes attractiuas ad amorem valere, ſicuti magnes, cornu cerui trahentis colubros naſo, ſuccinum trahens paleam & caratoblepharon, quem geſtabant Ægyptiæ appetentes maritum. Quidam pilos & ſemen conficiunt miſturis, vt fœmina in illis eorum paſſionem hauriat, & ſenſum, & auiditatem. Et quamuis hæc non attrahant plerumque & per ſe, applicata tamen affectum attrahendi habenti mixtionem, & vires addunt. Econtra res expulſiuæ ac fætidæ conciliant odium, ſicut ſtercus amaſiæ, menſtruum, ſputum, crepitus; & quando res vna non ſufficit, multæ ac multoties ſufficiunt. Addit Ouidius remedia contra amorem venationem & bellum & alia exercitia, quæ paſſionem validiorem indant, & hoc verum eſt. Iuſſit Moyſes ne coquas hædum in lacte matris ſuæ. Credo equidem, & vt charitatem etiam erga beſtias doceret; quo tenacius erga homines eam coleremus; Et quia remanet ſopitus in cadaueribus ſenſus, & alterius alter & proprio malo dolet, malamque coctionem efficiunt. Haud

dubium quin ſi mortuus aſpis ab vmbra fraxini recedit, inter matrem & filium paſſio ingentior ſymbolumque remaneat. Poſſemus quoque operari, vt oculus Aquilæ viſum noſtrum acuat, aures lupi auditum, canis odoratus noſtrum iuuet. Et quidam appetitus modicii, inteſtini lupini fruſtum edens, factus eſt vorax. & ſane qui bene Philoſophatur, ex coloribus, ſaporibus, conſiſtentia, figuris, actionibus, vſibus, & proprietatibus rerum, inueniet arcana innumera ad quemcumque cupierit vſum.

CAPVT XV.

Ex oculis manare vim immutatiuam, & per conſenſum actiuam.

OCulus multa oſtendit magica. Siquidem homine homini obuiam facto, pupilla contra pupillam, alterius lux viuacior hebetat demittitque alterum vt ſuſtinere intuitum nequeat; ſæpeque quam ipſe habet paſſionem indit patienti, vt amantes amorem, irati iracundiam, turbati mœrorem: Sed parum perſeuerant, quoniam amouetur nec pergit mutuus intuitus, aut paſſio aliunde nequaquam fouetur. Ferunt Regulum intuitu occidere, quoniam ardentes ac venenoſi ſpiritus ab eo egrediuntur, quos inſpiratione, & oculis imbibimus. Exiſtimatur oculo fœcundare oua ſua Teſtudo: Ego tamen credo anhelitu: At faſcinum vim eius patefacit. Inſpectantes enim attentione & affectu nimio tenellam arborem, aut infantulum, morte afficiunt. Qui aliquid admiratur erigit ſupercilia, vt oculi aperiantur, adeo quod intret res quam admiratur, poſſitque illam cognoſcere, vel frui: & in ea apertione emittit foras ſpiritus multos auidos rei deſideratæ, vel quam admiratur: qui ſubitò communicantur tenellulæ rei per poros & ſimul affectus aër, ac proinde operantur ſicut in generante, ea quidem ratione, qua rabidi canis venenum conuertere conatur noſtros humores, ſpiritusque in ſe. Quapropter exuperati hebetatique ſpiritus arbuſculi aut infantis, cedunt, nec opera vitæ exercere poſſunt. Ergo eo moriuntur. Id aniculę efficiunt magis, quibus obſtructæ ſunt purgationes menſtruæ; ideoque fœtidis abundant exhalationibus in ore, & oculis, itaque ſpeculum inſpectantes obnubilant maculantque: Frigidiuſculum enim tranſpicuumque ſpeculum colligit vaporem craſſum ſua frigiditate ac reſiſtentia illum denſando, ſicut marmor auſtrinum vaporem: vel interius inſpergitur, quia perſpicuum. Filum quoque vetu-

larum ſputo netum putreſcit. Cubare cum aniculis noxium eſt pueris, breuiatur vita, & languida fit: illis vero proficuum valde. Dormire enim & conuerſari cum pueris eſt ſibi ſpiritus multiplicare, viuificare & reiuueneſcere. Tuum enim ſiccum paſcitur ipſorum blando humido. Quapropter ſiccis aridiſque coitu pinguium ſucciplenarum mulierum vti plurimum prodeſt; phlegmaticis vero gracilium ſiccarumque, & hac ratione proles optima quoque generatur. Si coniugia philoſophicè curentur. Viſio lupi te raucum facit; quoniam craſſi ipſius vapores in nos ingredientes replent fauces: ac timor, ipſarum conſtrictioni præſtat auxilium: quoniam eſt contractio ad interiora. Iam diximus de timore, quo gallus leonem afficit, & mus Elephantem & porcus: quod accidit vel quia ſtridula vox penetrat, ſicut ſuberis ſectio nobis horrorem indens, aut quia ſpiritus acumen aptius eſt ad penetrandum hæc quam alia animalia ex temperiei proportione. Vide Med. & Metaph.

Capvt XVI.

Mirificas apparentias per artem fieri, vtentem natura in viſione.

PLerique ſcribunt quod accenſa lucerna ex pinguedine anguillarum alteriuſue piſcis obſeratis feneſtris, ita vt aliud lumen non adſit, videbitur domus plena aquis & anguillis, adeò quod mulieres credulæ veſtes ſurſum contrahant; Sic & ſebum ſerpentis apparere ſerpentes faciet. Quodque florem vuæ intra ampullam oleo plenam ſi poſueris, ſiueriſque ita creſcere, maturata vua, oleum illud in lucerna efficiat videri domum plenam vitibus & vuis. At quidem iſta experiri non licuit mihi vitam in vinculis perpetuis miſerrimè agenti: nec poſſibilia videntur. Nam & oliuarum oleum ſemper in domo oliuetum repræſentaret; & Candelæ ex adipe arietino & vaccino, arietes & boues oſtenderent. Ioa. Baptiſta Porta id affirmat. Sed conquoquit oleo, & ex liquore illo parat oſtentationem. Itaque caput aſini in oleo coquit, quo in lucerna accenſa aſtantes omnes caput aſininum habere appareant. Poſſibile forte eſt quod multa exhalatio illius olei in modico lumine aërem occluſum occuparet, & induceret reſpiratione affectum ſenſumque aſininum, itaque alter alteri aſinus videretur. Nam qui aliqua re affectus eſt, inſpectando in modica luce videre ſibi illam ipſe videtur. Hos autem affectus nos non percipimus, ſicuti nec paſſionem caninam in nobis re-

pentem:ſed quidem excitat nos ad ſentiendum canem, quo affecti ſumus,re in omni habente modicam cum illo ſimilitudinem. Quod in ægrotis patet,qui ex linea parua mouentur ad credẽdum ſe videre draconem. Præterea appoſita oculis ſpecilla rubra, aut viridia omnia ſuo colore colorata oſtẽdunt. Quoniam lux obiectis tincta rebus cum pertranſit ſpecilla,iterum tingitur ipſa & res quas defert, & eiuſmodi iterum coloratas repræſentat. Eadem ratione poteſt fieri,quod oculi pinguibus craſſiſque vaporibus obnubilentur aſininis,ac ſimul aſini odorem in ſpiritum afferant,aut ſenſum vuæ,alteriuſue cõmiſtæ rei; ſpirituſque affectus videat per nubiloſum vaporem eam rem, qua eſt affectus,ſed quidem in modica ſimilitudine, & in hoc plus valet affectio quam exterior apparentia:ſicuti timenti hoſtem, quicunque offertur oculis videtur eſſe hoſtis,& amanti quocunque incedit mulier amaſia videtur ſua. Cuidam perſuaſum eſt à condiſcipulis quod ſibi creſceret naſus:illeque ſæpe tangebat & pro certo affirmabat ſibi naſum grandeſcere. Quantum igitur valet,in his affectio nota,tãtum etiam ignota in eis,qui capita aſinina ſe videre putant,ſicut patet in rabidis punctiſque affectu ipſis occulto. Atrabilioſi pariter horribilia vidẽt ob nigram fuliginem quæ caput interuolat, ſic & hi à fumo aſinino vel alterius rei affecti ſpiritus putant ſe videre illiuſmodi. Quod aiunt quoſdam inuiſibiles fieri ſpectantibus, impoſſibile eſt, niſi ſeipſos arment fumoſis rebus ita vt ſemper fumus eos ambiat,aut ſpectantium oculos obnubilet. Nec puto Diaboli opera poſſe fieri niſi eadem ratione naturali. Alij in chorea mulieres expoliari coegerunt. Equidem non iſta credo:niſi fumus à lucerna,vel igne manaſſet infeſtus quo quaſi ſuffocari ſe ſentirent, pectore illum hauriendo,vel extrahi natiuum calorem: quod crocus efficit,eaque paſſione affectas ſe expoliaſſe. Quin minxiſſe poſſunt ſi vapor acutus ſeminati pulueris vuluam eleuatus ſtimulaſſet,quandoquidem artemiſia & ruta prouocant ſponte menſtrua tibialibus appoſita. Fiunt arte naturali & mathematica mirabilia quidem, ſicut apparere in aëre pendulam imaginem,quæ reflectitur ex globis vitreis tranſuecta, & in pyramidis cono hanc apparentiam efficit. Pariter oſculando aut loquendo in ſpeculi concaui medio, qui procul eſt à tergo in puncto reflexionis ſentit ſibi oſculum dari aut loqui. Alij vero ſic non ſentiunt. Nam aër in medio vnitur ſicut lux & non expanditur ex baſi reſiliens concaua. Efficiũt apparere faciem hominis in ſpeculo adhærente tecto,& neſcis vnde inſiliat, ſed tantummodo ſcripturam videbis in quadam tabella. At tabella multas habet ſcindas,quæ ex interiori reflectentes lucem ad ſpeculum,quæ ſuperaſtat ei quaſi cælum, conueniũt ſitu ad formandam eiuſmodi imaginem;quæ in eis eſt diuiſa,& quidem extrorſum ſuperne expoſitæ ſunt æqualiter,nec ſinunt videri,quando retrorſum exporriguntur. Sic in pagina formatur imago longa palmis duabus aut pluribus , atque

ſi oblique ſpectes lineas illas, quæ imaginem recta ſpectanti non oſtendebant, tunc certam oſtendunt imaginem; quoniam diſtantiora videntur, deinde minora, & copulata magis.

Faciunt quoque videri ceraſum, qui eſt in fundo cyathi pleni aqua, in ſuperficie vbi lux infringitur, quæ ab eo eleuatur, & ad nos defertur. Hinc vſque Romam poteſt cuiuſpiam imago oſtendi, ferrique per mutiplicata ſpecula ac contrapoſita paſſim. Opinantur quidam poſſe ad lunam reflecti ſcripturam Neapoli ei expoſitam, atque à Luna in Hiſpaniam deflecti vel alibi, vbi amicus exponendo ſpeculum ſub eadem hora & puncto excipiat ſcripturam legatque. Hoc autem impoſſibile mihi videtur, quoniam languida lux ſcripturæ non poteſt vſque ad Lunam eleuari: Nec angulus qui fit in Luna, poterit tantus eſſe in tanta diſtantia, vt diſtinguat in ambobus angulis baſis. Extinguunt alij candelam, ac deinde eam accendunt in ore alicuius imaginis, cui appoſuerant ſulphuris puluerem: qui tactus igne remanente in funiculo abſque flamma inflammatur. Deinde prædicant ab imagine id factum. Carnem coctam calidam fidibus cytharæ minutatim inciſis ſpargũt, quæ à calore ſtatim contrahuntur & extendũtur; & videtur caro vermibus per miraculũ ſcatere; Eandẽ de cocta crudam efficiũt, ſuperiniiciendo puluerem ſiccati ſanguinis qui ibi liqueſcit apparétq; ſanguis viuus. Multa ſimilia fiũt per ludũ aut dolũ. At dæmones facere, vt res videantur aliter quã ſunt, non eſt dubitandũ: Cum S. Clemẽs narret Simonem Magum immutaſſe faciẽ Patris eius, aliaque multa legũtur. Quare neceſſe eſt reperiri in natura hęc arcana, ac dæmonem ſcire vſum. Nec ipſe intelligo qua ratione Dæmon incorporeus, vt ſchola Theologorũ docet, vel ſubtiliſſimo corpore vt S. Aug. in lib. de diuin. Dæm. opinatur, & patres multi. Et Nic. 2. quondam Concilium videtur dicere, poſſit viſibilis fieri oculis noſtris, non videntibus niſi res aere craſſiores. Alii dicunt palpabiles eſſe tactu noſtro, ſed molles: alii ſubagitari & ſubagitare. Quod nulli dubium eſſe poteſt, teſte S. Bernardo, & innumerabilibus teſtibus. At nos intelligimus hoc, quoniam aërem, ex quo denſato corpus aſſumere dicuntur, non cognoſcimus adeò denſari poſſe, quin non cõuertatur in aquam. Sed iſta cõuerſio à frigore non ab arte cogente fieri fortè queat ſicut nec rarefactio. Quis ſcit, an aſſumant aliud corpus humanũ aut beſtiale aut Satyrorũ? Nec poſſumus intelligere, qua ratione commouent ventos, maria, pluuias, niſi actiui ſint, tanquam ignis; qui poſſint tranſmutare & alterare: aut manus habeant, organáque ſimilia ad concitandum, aut creaturæ obediant illis, ſicut Deo, quod impoſſibile eſt, cum ipſi rebus intrinſeci non ſint, nec res habeant ab eis ſenſum, poteſtatẽ & amorem, ſed à Deo. Impellere tamen Angelos poſſe corpora ſuo poteſtatiuo, certum eſt. Dicamus ergo hominis magiam exiguam eſſe, quæ nec videt has

ipſorum artes, nec vincula, quibus aërem copulant, figurantque & incorporant, & mouent. At ipſi corpulentia expediti altius intelligunt vires, actiuitates, paſſibilitates rerum naturalium, atque vtuntur vt libet, quantum Deus permiſit. At experientiæ innumeræ & auctoritates potiſſimæ comprobant eos tot mirabilia facere, cum & nos quo ad licet mirabilia quoque efficimus. Pluuias homo poteſt facere ex fumis aſcendentibus ad tectum Aulæ de ſuper niue opertum; & tonitrua, ſi miſcuerit fumis illis camphoram & ſulphur ardens: Cuius vapores intra alios compreſſi accenduntur, & erumpunt. Itidem, ſpargendo aquam in aerem contra ſolem in medio lucis & vmbræ; Ventos contrarios aperiendo feneſtras, prius tamen repleta domo: aliaque multa.

APPENDIX.

NVm lamiæ cum dæmonibus corporaliter ambulent, ac conuerſentur, dubitatio eſt magna. S. Auguſt. putat eas vngi & ſtupeſcere vaporibus vnctionis, cadere, dormire ac ſomniare ſe iuiſſe mouente dæmone imaginatiuam. Quod poteſt inducendo eos ſpiritui motus, quos aer afferre ſolet in ſomnis. Sed experientiæ multæ ipſum docent, eas ire in corpore, & ſenſu exteriori, ac à dæmonibus plurima videre; at quo pacto ingrediantur exeantque clauſis ianuis non intelligo; niſi per Diabolum aperiantur. Poſſunt quoque verè etiam dormiendo ire, cum multi dormiendo ambulent, multaſque actiones edant, & reuertantur ad lectum. Dicunt ab imaginante ſpiritu circumduci, bene. Sed nequit fieri abſque communione aeris communis ſpiritus, quo ad certum iter abſque errore reguntur. Num corpora immutare poſſit dæmon dubitatur. Sed non niſi imaginationem credo, qua putat quis ſe videri canem: & interim corpus eius iacere. Si autem canis à dæmone ſuppoſitus in negotio de quo ſomniat lamia, truncatur, Dæmon lamiæ corpus truncat in lecto, vt verè ambulaſſe in tali figura credatur; & ſic experimenta Grillandi & Spinæ declaramus in Metap. Multa contingunt ab aſtutia quæ dæmonibus vel angelis tribuuntur. In foro Iulio F. Roccus cum obſeruaſſet monachum ſingulis ſurgere noctibus ad orationem coram ſtatua lignea S. Dominici, depoſuit ſtatuam ex altari: & induit ſe ſicut S. Dominicus cum diſciplina in manu. Monachus iuit rogatum. Roccus mouebat diſciplinam, ſed parum quaſi minitando: Monachus cæpit pauere; Roccus ſe mouit, monachus fugit, Roccus inſequitur; monachus cadit exanimis, Roccus reddita ſtatua ad locum ſuum, accurit cum aliis monachis, & erigebant eum, qui nunquam loqui potuit & capilli omnes albi facti ſunt; calore introrſus redeunte, ac debilitato; mortuus eſt ſine voce poſt paucos dies; Hoc

ego poſtea à Rocco audiui. Idem accidit in Pracanica cuidam ſeruo ſummo mane ad molendinum eunti, cui conſeruus extraneo indutus habitu præcedens timorem incutiebat. Ergo bene opus eſt diſtinguere vera à falſis: & vim affectus intelligere, quo quiſque fit id, quod imaginatur, ſicut dictum eſt, & mox dicetur.

CAPVT XVII.

Sonos quà motus & quà ſigna vim magicam mirificam certamque continere.

SPiritus naturâ mobilis delectatur motu tanquam propria operatione, qua ſeruatur in eſſe ſuo, purgatur, attenuatur, diffunditur, augetur, viuificatur; propterea ſoni vim magicam continent, qui mouent ipſum ad diuerſas affectiones pro ipſorum varietate; aſperi vt tubæ & Tympani, agitant ad iram; molles planique vt fidis & cytharæ ad amorem; faciles & ſignificatiui myſteriorum ad pietatem, vt Templi organa. Idcirco verum eſt quæ Plato docet, mutationem muſicæ morum & ſtatus adducere, vel ſignificare mutationem: ſic quidem multi abiecta Eccleſiæ muſica, & nouam inducentes, mutauere religionem. Ergo & bonos & prauos poteſt effectus inducere. Pytagoras inſanos à motionibus furioſis & incompoſitis traxit ad ſanitatem, muſica dulci & leni motiones ſpiritus componendo. Dæmon curauit ebrios, attrahendo ſpiritus in caput, & ſomnum procurando; vel eos ventilando & à vaporibus purgando. Appuli ſoni Tarantula oblæſos ſanant, ſpiritum roborando vt poſſit corpus agitare, ſudareque venenum? & quãdo ſonatur gagliarda non poteſt quis ſaltare ſpagnolettam: quoniam ſonus mouet ſpiritum modulis ſuis, nec permittit ſpiritum alios motus corpori communicare. Sic furia ſanatur contrario ſono. Hic autem dicendum reſtat, num ſoni quatenus ſigna ſunt, non quatenus motus, vim habeant magicam? Quod nil dubium eſt. Videmus enim Oratores ac Poëtas homines ad planctum inducere, ad iram, ad lætitiam, memorando res, quæ natura iſtam mouent. Præterea homo hominem obiurgans, adfert metum; blandiens amorem & fiduciam: quoniam quid boni aut mali apprehendit ex vocis ſignificatu, licet non ſit. Quare Cæſar in Pharſalico bello, dicens ſuis militibus; *abſtine à ciuibus*, & , *faciem feri*: molles reddidit Pompeianos clementiam oſtentando: & audaces ſuos,

quod crederent ſe viciſſe, cum non eſſet opus ad victoriam occidere ciues contrarios: itaque ſinguli ſtuduerunt primi eſſe, qui victoriam acclamarent. Legimus in Tito Liuio voces diſſonas languentéſque cladem illius ſignificare exercitus, à quo emittuntur. quoniam oſtendunt ſpiritus debilitatem refugientis ad interiora, ex diffidentia pugnæ; quod aduerſa acies animaduertens capit fiduciam & vincit. Sæpe vox falſa cladem aut victoriam attulit. Extant homines viuacis ſpiritus venerandique, qui voce aut intuitu horrorem incutiunt. Sicut C. Marius eis, qui ipſum occidere parabant. Idem contigit D. Lælio Vrſino, qui ſolo intuitu exanimauit ſicarios mercede conductos ad interficiendum eum. Et in Germania ruſticorum turma impetitus, ſolo intuitu toruo, digito minaci, quoniam regionis linguam non callebat, inuadentes repreſſit. Patet ergo, aërem alteratum à ſpiritu nobili abſterrere viles. I. Cæſar quoque abſterruit eos qui captiuum ipſum detinebant. Mihi quoque euenit non ſemel idem facere in manibus inimicorum. At quo pacto verba ſimplicia abſentis animos afficere poſſunt; & quomodo Characteres & ſcriptura? Auicen. ait: *Confidentia de bono medico ſanat ægrotum* & recte. Nam ſpiritus imaginans ſanari, afficitur ſanitate: viréſque arripit contra morbum: Fiducia requiritur in diuinis rebus. Nam quo in excellentiori confidis re, eo magis creſcit animus. Ergo in Deum confidere penitus & omnino, certiſſima ratio eſt habendi ſperatam rem. Itaque Chriſtus dicebat ſemper, *fides tua te ſaluum fecit*. Pari modo procedit natura, quæ eſt ars Dei inſita rebus: vbi enim ponit fiduciam, apponit & victoriam, Fiducia ſupernaturalis ad ſupernaturales gratias erigit: naturalis vero ad naturales: eo ſpiritus peruenit, quorſum mouetur. Spes eſt motus inchoatus in fide certa. Audiui mulierem petiiſſe ſchedulam ſacram, qua ſanaretur à quartana; & quidam ſceleſtus ſcripſit in ea ſic: *Deus tibi det malam ſeptimanam*, & præcepit ne quis legeret; conſuit, colloque adpendit, vt rem magnæ virtutis. Mulier ſubito ſanata eſt ex fide. Quidam in platea ſuaſerat viro non idiotæ, ipſum ægrotare, & ſinguli dicebant ad illum: *Tu es pene mortuus*; alii, *eheu quomodo pallidus*; multique conuentione facta paſſim id dicebant. Tunc vir cœpit dicere ſe aliquid dolere, & hauſto timore incidit in morbum & mortuus eſt; quoniam ſpiritus affectus eſt perſuaſa infirmitate; operatuſque eſt in corpore tanquam infirmus non purgando & nutriendo, ſicut ſolebat. Spiritus tenuiſſimi ac fuliginoſi credunt huiuſmodi perſuaſionibus, craſſi quoque diſcurrere neſcientes ſimiliter. Quoniam nec hi, nec illi diſcurſus habent claros, abſolutos diſtinctóſque vt in lib. 2. dictum eſt. Hæc credulitas interdum detegit latronem exhibendo ei in potu puluerem quendam lapideum: quem nimirum deglutire non poteſt, quoniam ſpiritus timet, ne forte furtum ſic detegatur, propterea refugit, nec libenter ſorbet

rem, à

rem, à qua timet; at qui in innocentia confidit, cupitque eam palam fieri ſecurus deglutit, facileque. Sed quidam verſutiores hac arte non capiuntur niſi vero religionis metu paueant. Moyſes in lege exhibet in potu puluerem quendam mulieri occulti adulterii inſimulatæ, per manum ſacerdotis cum imprecatione: quæ ſi verè adultera eſſet, diſrumpantur viſcera eius; ſi pudica, ſeruetur; & quidem iuxta imprecationem contingebat in Veteri Teſtamento. Cum quia Deus Teſtimonium ferebat innocentiæ vel culpæ, vt promiſerat, (quæ in Teſtam. Nouo non promiſit, ideo Papa probationẽ per ferrum ignitũ & per aquam abſtulit vt patet in Decreto) tum quia naturaliter accidit vt ſpiritus conſcius ſceleris ſic vehementer imaginetur periculum ex reuerentia ſacerdotis, & ex animo culpa pleno ſemetipſum timente & accuſante, quæ à ſe illud malum pateretur, vt etiam diſrumperet viſcera, ſicut rabie agitati generant catulos & latrant. Idcirco Oreſtis furiam haud falſam reor, aliorumque multorum, quibus in pœnam dedit Deus imaginationem efficaciſſimam, teſte Auguſt. quæ poſtmodum in eas prorumpit actiones. Quilibet enim cogitat & operatur prout eſt affectus, & tales actus figuraſque exprimit formator ſpiritus corporis, quales ipſe in generante habebat: Inſuper & nouos ſuperuenientes; vnde deſiderium mulieris in fatulo expreſſum intueri conſueuimus. Scribit Galenus, quod Eſculapii ſacerdotes, licet parum docti, plures ſanabant infirmos quàm medici perfectiſſimi. Nam infirmo in cibo & potu obediunt illis magis; & fides tanta erat, quod fiduciam & vires contra morbum nacti ſanabantur. Quapropter ſacerdotes priſci ſolebant corporis animique ſimul eſſe medici; vt Orpheus, Triſmegiſtus, Zamolxis, Pythagoras, & Ægyptij & Hebræi. Verba igitur vim habent in nobis ex affectu, quem imprimunt: & motu quem excitant in ſentiente. Proptereaque ſapientes in ſe magicam vim habent ad populum, quoniam exiſtimantur ſcire verum & non mentiri. Et viri quoque probitate inſignes vim magicam habent, quoniam quacunque cupiditate aut metu vrgente mentiri nolle exiſtimantur. Sic patribus & fratribus vim magicam exhibemus, quoniam putamus eos nolle decipere nos: maxime vero ſi etiam ſapientes ſint, quoniam nec eos decipi poſſe, nec decipere velle intelligimus. Sed cum frater fuerit & ſapiẽs & probus nihil eſt, quod dubitemus. Sed quidem aliæ nationes authoritati credũt magis, vt Hiſpani; aliæ ſenſui proprio, vt Aquilonares vt plurimũ aliæ rationi, vt Itali. Conſuetudo quoque magica vi abundat; quoniã natura habituata eſt, eiuſque mutatio in cõmunitate ſtatũ & Remp. mutat: In particularibus vero mores: vt de muſica dictum eſt. Rebelles ſerui Scytharum aduenientes heros de bello armis exceperunt, nec potuere vinci, aut domari: ſed viſis flagellis ad quæ Domini recurrerunt de conſilio magico, ſuperati ſunt: quoniam conſueta paſ-

paſſio excitatur, & poteſt magis in ſpiritu, quam inſueta. Nulla vi magis fœminam vinces ſalacem, quam dicendo, te velle ipſam ſubagitare, propterea quod eius eſt conſuetudinis ita ſubiacere. Hoc confirmatur ex renouata paſſione Tarantulæ, & nauſeæ poſt naufragium, & ex amore vaſallorum erga Tyrannos, à quibus duriter & miſere habiti, eos tamen ſuſcipiunt, amantque; & filios eorum ad ſceptrum vocant, erigüntque etiam expulſis parentibus, adeo quod plebs Romana luxit Neronem, & Patauina Ezelinum.

CAPVT XVII.

Verba vim in abſentes res habere; ſed ſæpe dæmones doloſe interuenire.

Difficilius quidem captu eſt, qua ratione verba poſſint in abſentibus mouere amorem, odium, infirmitatem, mortem vt malefici & incantatores ſe iactant. Nec iſtud modo, ſed mutare aërem, tempeſtates, ſidera, & mare. In præſentibus iam dictum imaginationem immutari, imaginantemque ſpiritum proinde ſecundum ipſam operari. Ego in pueritia ſanatus ſum à morbo lienis cuiuſdam mulieris verbis & precibus in aſpectu deficientis lunæ; de licentia prioris mei F. Andreæ Zappauignæ Theologi doctiſſimi. Verum ſi, quod vidi in altero, qui ſanatus eſt appenſo liene bouino ad fumum, credendum eſt, haud dubium, quin voces plerumque affectione & ceremonia prolatæ plurimos pariant effectus. Ceremoniæ autem per ſe non valent, niſi vt ſpiritus noſter afficiatur magis, immuteturque actibus exterioribus, & ſimul aër à ſpiritu & ceremonia afficiatur vehementius: qui deinde communicat affectionem eis, ad quos dirigimus, dum diſpoſiti ſint. Quod interdum nobis occultè innoteſcit, ſicut venator ſentit, vtrum iaculum ferierit belluam ex reditu ſenſus & motus, vel ex cōſenſu rerum. Quapropter Auicen. admiratur quî anima proferens affectu vehementi verba eiuſmodi, reddat ſibi res obedientes. Mulieres quædam condixerunt, vt irent animi gratia in viridarium; vna earum non iuit. Cæteræ Arangium colludentes acceperunt & perforabant eum ſtylis acutis dicentes: ita perforamus mulierem talem quæ nobiſcum venire detrectauit; & proiecto arangio intra fontem abierunt. Poſtmodum mulierem illam dolentem inuenerunt, quod ſe transfigi quaſi clauis acutis ſentiret ab ea hora qua arangium cæteræ perforarunt: & cruciata eſt valde, donec arangij clauos extraxerunt imprecantes bo-

na & ſalutem. Equidem fateor non intelligere, qua ratione Diabolus infligat dolores, & eiuſmodi detrimenta creaturis Dei inferat. Sed poſſe non negem permittente Deo, cum Iob tantopere ab ipſo maceratus ſit dolore & tabe. Veruntamen ſi Dæmō nō eſt in muliere hac operatus, ratio verſimilis à nobis dicta eſt de liene paulo ante. Alia plurima huic ſimilia viſa ſunt & viſuntur paſſim. Imaginem ceream fabricantur ſimilem illi, quam afficere volunt vt Virg. in pharmaceutria canit. Deinde ad ignem voluunt imaginem dicentes; vro perſonam talem. Quæ mox languore tangitur ardenti, ſicuti Meleager ad titionis conſumptionem conſumptus eſt, apud Ouidium. Capiunt animal cui ſimilis eſt perſona intenta (alij enim canis, alij ſimiæ, alij Leonis, alij corui ſimilitudinem in vultu gerunt, vt acutè Porta notauit) illudque animal ſub cæremoniis percutiunt aut cremant, & inferunt paſſiones perſonæ cuius gratia id agunt, quod & Virgilius in Ecloga teſtatur. Vtunturque etiam capillis, ligulis & ſoluunt, ligantque in amore: Dicunt verba, quæ ſomniare Venerem vſque ad ſeminis emiſſionem faciunt, quod credibilius eſt. Idem faciunt in intuitu fixo, quod libidinoſis eſt facile. Noui amicum qui nunquam fere in occurſu mulierum formoſarum non ſtillet ſeminis quippiam. Attamen exiſtimo opera Diaboli eiuſmodi plurima effectum ſortiri; & non ſine optima ratione legibus vbique vetatur. Et profectò ſi eſſent vera iſthæc, nemo tutus eſſet ab inimico cum ſint vulgata etiam apud Poëtas, at Deus hunc ordinem pernicioſum tam facilem non poſuit. Sic ſine armis exercitum Turcarum deleremus. Sed ad notitiam aërii ſenſus; vidi aliquando pueros, qui pallium amiſerant, tenentes cribrum forficibus infixis appenſum dicentes: Per S. Petrum & per S. Paulum, rapuit-ne Flauius pallium? & cum multos nominarent, cribrum ſtabat immotum: cū. a. ad nomen Flauii veniebant, cribrū quod vterque ex ambobus forficis anſis tenebāt, voluebatur ſponte quodam impetu. Ego obſtupeſcens periculum feci cum eis inuocato Deo altiſſimo ne permitteret me à dæmonibus ludificari: Et ſimiliter non mouebatur cribrum, niſi ad nomen Flauij, & expiata conſcientia per Sacramenta ſemper reperi idem repetito periculo. Caiet. quoq; idē expertus eſt. Qua de re, patet conſciū aerē ita affectū afficere. Sed periculum ineſt magnum, ne diabolus interueniat quamuis nominas S. Petrum & S. Paulum: His enim dolis decipit miſcendo ſacra prophanis; vt ſancta docet Theologia. Hoſce effectus, ſi naturales ſunt, rarò fieri exiſtimandum eſt. Non enim abſens ſemper ad paſſionem diſpoſitus eſt, ſicut nec homo diſpoſitus eſt ad præuidendum pluuiam; coruus autem eſt. Nec de amici caſu ſomniat niſi penſiculoſus amicus, vt dictum eſt. Idcirco Magi tempus à ſtellis captant, vt dicemus. Quod autem aiunt, poſſe ſtellas, aërem ab excantatore mutari & fruges exſiccari, intelligere non valeo.

Non enim adeo valet vox, & imaginatio, vt poſſit cælum & mare immutare. Poteſt aliquid in diſpoſito ſubiecto, eo quò affectus in hoc creſcat, ſicut in faſcino. At in aere & cælo paulatim deficit, ſicut motus virgulti agitati; & aquæ intra concham. Quod ergo narrant hiſtorici de Magis Africanis & Tartaris noſtri temporis credibile eſt dæmonis arte fieri, qui in extremis regionibus habitant magis quam alibi, vt Ptolomæus agnouit. At quomodo iſta faciat dæmon ipſe nouit. Nam fortaſſe ſenſum aeris immutat, vt nos hominis; & quia eſt ſphæra actionis ſuæ, ſicut corpus actionis animæ, poteſt in aere & mari ſicut nos in corpore. Sed non in ſtellis, niſi apparentiam facere, per interpoſitos vapores vario concinnatos modo. Imaginatio humana poteſt in imaginante, ſed extra minimè, niſi alter executionem perficiat. At Diaboli aſtutias expertus tantum intelligit; equidem fidem facere malignitatis eius poſſum toti mundo, vt alibi ſcripſi. Nam profecto ſicut ſunt homines alij ſceleſti, alij ſancti, ita eſſe angelos pios & impios in mundo, & quæritare numerum & ſocietatem augere quamque; ſuam Nec putem Triſmegiſtum adeo obtuſum fuiſſe, ne id pernoſſet, quando dixit, hominem facere poſſe Deos loquentes: Vidit enim angelos aut dæmones ſtatuas ingredi, obſtupuitque quod tantum poſſet homo: Ideo vocat ipſum miraculum mundi: Et ex hoc agnoſcit, ipſum petinere ad Deorum ſocietatem poſt mortem. Verum Diogenes & Diagoras aliique cum Ariſt. irrident Apollinis oracula, fallacia plerúmque; putatque Pythiæ ex paſſione ſuboriri: Sed falluntur quoniam vere Dæmon in ea loquebatur. Nec quidem homo queat frenare naturã corpore nõ irretitam craſſo, qualis eſt Diabolica; niſi virtute Dei, aut illecebris, & reuerentia: Quod quidem iniquitas maxima contra Deum eſt. Dæmon tamen poteſt ſibi cultum vſurpare, ſicut nos poſſumus Deum blaſphemare: Et multi homines Dij haberi voluerunt; cum ſcelerati eſſent. Sed Deus huiuſmodi permiſſionibus vtitur ad arcana mirifica, alibi dicenda. Flatum colophonij antri diuinos feciſſe homines, impoſſibile eſt abſque Deo. Sed inde aliquam contraxiſſe qualitatem, qua attenuatur & purgetur ſpiritus, reddaturque idoneus ad prophetiam naturalem, fieri potuit, vt dictum eſt. Efficiunt alij, ne homo poſſit concumbere ſi tantũ credat; non enim poteſt facere quod non credit poſſe facere. Eadémq; imaginatio ſoluitur arrepta fiducia ſuper affectum. Porta ſoluit pudendo canis vel lupi iuxta magiam tiantem.

Sed femina impediri carmine nequit. Tantus enim affectus qui vuluam obſeret non inuenitur, ſicut qui veretrum demittit: Nam ſpiritus timens abſcedendo relinquit labaſcens; quod in muliere facere non poteſt quin remaneat foramen, quo pati, non agere eſt apta. Actiones autem affectu prohibentur non paſſiones. Porro quidam accincti nimia concupiſcentia ad veneris actus, nulla præcedente

magia, vires amittunt, labeſcente veretro: eo quod ſpiritus vltro recedit intro, præſentiens in tanta auiditate totum ſe poſſe exhalare ac mori: Aut in confluxu impetuoſo ſuffocatur: aut reuerentia amaſiæ ipſum timidum reddit. Timor autem fuga naturalis eſt à proprio malo, aut ab agendo malo in alterum. De veneficio contra fruges dictum eſt ſuperius. Tandem putamus ſtolidos eſſe, qui arbitrantur vi ſonorum ex cælo, potuiſſe Orpheum ſaxa & plantas allicere mouereque. Non enim vis modica ſoni poteſt in maxima pondera lapidum & plantarum: neque tantus in his ſenſus eſt, qui motum arripere poſſit tantum. Ergo Dæmones & Angeli iſta factitare tantum valent, quibus Magi vti ſolent. De quo in Metaph.

CAPVT XIX.

Magia ad Generationem.

AD nobilitandam generationem Magia obſeruari poſſet mirifica: cum iam notum ſit adeò affectum generantium valere, quod in re genita ipſum exprimunt. Hac magia vſus eſt olim Patriarcha Iacob; qui dum vellet oues parere fœtus albos, apponebat canalibus, in quibus adaquabantur, res virgaſque albas. Quo in tempore recreatæ ab æſtu mouebantur ad Venerem, & celebrato coïtu, concipiebāt albos, pariebantque fœtus: cum vero vellet nigros, virgas apponebat nigras, cum varios varias, vbi ſapientiam mirere viri. Tunc enim oues potabant ſumma auiditate aquam; in Meſopotamia enim & Syria ingens calor eſt, aquæ vero paucæ & puteales: eæque in auiditate inſpectantes virgas, quæ erant in aqua, hauriebant oculis, & quaſi bibebant imagines virgarum amatarum in amore aquarum, quas in virgis vel ex virgis decurrentes hauriebant; ſic & nos cum quid deſideratum ab homine quopiam accipimus, retinemus magis illius hominis imaginem in mente quam aliis cernentes vicibus. Quapropter hilariter expletæ contentæque aquis ſuſcipiebant ſemen eodem in tempore, ea affectum imagine, in vtroque parente, maſculo & fœmina. Spiritus vero ſeminalis eodem affectu & idem operabatur in fabrica corporis & conſimiliter exprimebat. Ens enim omne operatur ſicuti affectum eſt; res calida calefacit, frigida frigefacit, iratus iram operatur, timidus in timore, amans amore effectum quiſque ſuum: & in eo effundit ſeipſum ſicuti ipſe tunc eſt; cum agere ſit effundere naturam ſimilitudinemque propriam, ſicuti calefacere eſt facere aliud calidum; ſi-

cuti eſt ipſum calidum calefaciens. Scribere vero eſt facere & ſignificare id, quod ſcribentis in mēte eſt, & facere ſcamnum, eſt exprimere in ligno ideam & ſimilitudinem ſcamni quam in mente habet artifex. Hinc Ariſt. ineptias admirari ſatis nemo queat, qui fabricam fœtus & animationem motioni inſenſatæ & quaſi non Enti committit, cum vis bene actiua beneque imaginans requiratur, quæ poſſit in fœtu imaginem exprimere appetentis genitoris vel genitricis.

Regina quædam teſt. Auicen. in actu Venereo conſpiciens imaginem Æthyopis genuit nigrum inſtar Æthyopis, fœtum. Paracelſus. a. tantam putat eſſe imaginatiuam matris vt generare valeat animal irrationale, vt canem, & monſtra; quoniam fictio prolis eſt ab idea matris, & propterea multæ mulieres genuere belluas. Quod non ſufficit, niſi & diſpoſitiones ſint in ſemine, & ſeminatione, & nutritione dum eſt in vtero per eaſdem ideationes. Alber. addit cōſtellationem, quod indicat ideationes ab intelligentia non errante res ſecundas formare & architectari. Vnde ſuper templum Carthuſianorum Romæ, vbi erant thermæ naſcuntur plantæ omnis generis, & colubri & herinacij ſponte abſque genitoribus. Iamque moris eſt principum, picturas equorum & canum generoſorum apponere equabus & canibus cum Venerem exercent, vt conſimiles generent. Sed miror eorundem beſtialitatem qui beſtialis generationis curam tantam gerunt, humanam vero negligunt. Propterea quidem in Repub. conſulendum eſſet, ne ſecundum dotem matrimonia copulentur, ſed ſecundum virtutem, veluti Ocellus Pythagoricus animaduertit; vtque ſtrenui viri ſtrenuis mulieribus coniungantur; & ſtatuas imagineſque virorum clariſſimorum literis & armis & probitate, inſpectent, eorumque amore afficiantur; & tempus obſeruent quando ſtellæ benignæ ſunt in horoſcopo, in ſummo cælo, & planetæ felici aſpectu mutuo, & ad fixas, primæ magnitudinis præſertim, fruuntur in ſuis dignitatibus; multum enim poſſunt conferuntque ad prolis nobilitatem. Item omnes vtantur coitu deficientibus menſtruis, quando mundatus eſt vterus, & ſemen non inficit viciato excremento. Item poſt mediam noctem cum iam digeſtio perfecta eſt: tunc enim auctum eſt ſemen, plenumque ſpiritu, & eius emiſſio genitori non officit interpellando nutritionem & ſpiritum imminuendo & ab opere impediendo. Recte conſultum eſt ne ſacerdotes generarent. Qui enim contemplationi diuinorum & ſcientiarum nauant operam, viribus flacceſcunt & paucos attenuatoſque habent ſpiritus; & in coitu non ex capite defluunt in vterum, quoniam pauci ſunt, cogitationeque continua irretiti, ſed ex teſticulis; Ac homines proinde craſſos, corpulentia ingenioque procreant, quales Socrates genuit, & Cicero & Samuel & & Heli & Dauid & Teleſius. At viri minus Minerua imminuti, aliud non cogitant, ſed totum ſpiritum ac ſemen in cunnum iaculantur;

qui robuſtior eſt ſapientiorque eo quod ex capite defluit, quam ſapientum ſemen ex teſticulis. His tamen rarus conueniret coitus cum mulieribus viuacioribus,ſtrenuis & ſucci plenis & pinguedinis; quæ ſemen & ſpiritum eorum optimum licet exilem exciperent, viuificarent, multiplicarentque. Viri acuto præditi ingenio natos generant animo leues,acutos,furioſoſque. Viri vero graues, ſapienteſque generant craſſos,ſtupidoſque vt dictum eſt. Quapropter acutis conuenit coniungere mulieres corpulentas, frigidiuſculas, corpore & animo blandas,temperataſque. Sic enim ſemina mirifice coaleſcunt materno ſemine alente paternum abunde; ſimulatque temperante. Hanc Deus ob cauſam inter alias, ſolet in ſeptentrionem Auſtrales ad bellum mittere,& ſeptentrionales in Auſtrum, vt ſcilicet ſemina inſerantur. Craſſities enim,mollities, ſucculentia & blandus calor Longobardorum, Gothorum, Hunnorum, temperauerunt tenuitatem, paruitatem,ſiccitatem,& caliditatem Italorum, Hiſpanorum, Pannoniorum & Dalmatarum & Aſiaticorum; ſicuti Italorum ſanguis nobilitauit Gallos, Germanos, Anglos & Barbaras nationes ciuiles ſua miſtione fecit,& ipſe ſimul augmentum accepit. Sic quidem proles melior pulchriorque naſcitur, ſicut caſtaneæ inſertæ, nobiliores ſunt ordinariis non inſertis, grandiores, pulchriores & vigentiores. Omnibus quidem hominibus ineſt anima à Deo immiſſa. Sed alij ita rudes ſunt,quod beſtiæ apparent,alij vero ita ſapientes quod Dij; ergo id procedit ex temperamento ſpiritus,vt in 2.lib. dictum eſt; ac comprobatur, mentem agere patique cum illo, & non per ſe; cum non ſit abſtracta,ſed forma illius,totiuſque compoſiti. Quam ob cauſam in furioſis,rabidiſque haudquaquam ſpiritui veritatem oſtendere & ipſius fallaciam poteſt,ſed rapitur imaginatione, qua per illum in illo afficitur. Temperies ſpiritus oritur ex ſeminibus maris fœminæque copulatis,& ex affectibus,quos ſpiritus cum ſemine effuſus ſecum fert. Idcirco ſpurij geniti in fugacitate, ſuſpicione, & amore plerumque,libidinoſi ſunt,acres, ſuſpicioſi,vigiles. Geniti vero in mollitie, molles; in ira iracundi, in infirmitate infirmi; Poteſt nihilominus ſemen probius affectum perficere alterum, probitateque afficere. At cum repugnantia ſunt,gemellos faciunt,aut duplici animo. Verum & ſtellæ valent multum; ipſarum enim calor tunc diſponit & poſtea comparatur iuxta propriam virtutem, ac recipientis diſpoſitionem. Itaque monſtra,& ſemibeſtiæ, & multigenæ figuræ nati homines viſuntur, ex repugnantia ſeminum, vel defectu & abundantia; & quia ſtellæ calorem illi beſtiæ,cuius ſimulacrum gerunt, ſimilem adminiſtrant. Mas naſcitur ex nimio calore quamuis matri interdum ſimilis: fœmina autem ex modico calore in genitalibus, foras propellere eas non valente: Sicut in Philoſophia naturali ſcripſimus. Fœminas quoque vidimus factas mares, ex libidinoſa confricatione. De quo alibi.

Similis eſt matri fœtus, ſi illius præualet & ſpiritus & affectio; ſimilis patri, ſi huius præualet robur & imaginatio: Conſanguineis vero, ſi de eis cogitarint, aut neutrum ſuperauerit: Extraneis vero diſtantibuſque gentibus, quando ea ratione temperantur, qua in gente extranea. Hoc autem accidit ex varia generantium diſpoſitione, à variis cibis, affectibus, locis, temporibus, & ſtellis. Qui etiam argumentari nouit, plantarum & brutorum prolem qualiter ſibi placet, progigni efficiet & magnificabit vel deprimet, genus humanum his artibus. Mulier quippiam appetens ſi nimio flagrauerit appetitu, quoniam fœtus ſecum res vna eſt, eodem afficitur appetitu; & cum tenellus adhuc fuerit exprimit ipſum in opificio; & (aiunt) illa in parte, quam ſibi auida mulier tangit. Quod poſſibile arbitror; ſpiritus enim partium afficitur appetitu ſpiritus totius & quando pars tangitur, putat ſe tangi à re illa quam appetit. Hoc in veretro patet; quod per ſe ipſum erigitur tanquam proprium habeat ſenſum, ſitque alterum animal, repugnatque obedientiæ totius; & cum tangitur, videtur ſibi tangi à re imaginatione appetituque concepta, operaturque non ſecus ac cum illa. Igitur fœtus membrum reſpondens per ſimilitudinem membro matris attacto, afficitur illo tactu; imaginaturque rem adeſſe deſideratam prorſus proindeque exprimit. Quod in timoribus peculiaribus Iecoris & lienis oſtendimus, & in titillatione lienis, quæ ad riſum agit nolentes dilatando ſpiritum, ibi ſemipatentem; ſicut in phyſicis docuimus. Spiritus autem fœtus dignoſcere per oculos & aures fallacias non conſueuit, ſed imaginem apprehendit tanquam veram. Quod & nobis dormientibus accidit, cum putamus ſubagitare reuera mulierem, nec contrarium credimus, cum ſpiritus non ſit in oculis, vbi poſſit ſeipſum corrigere. Quas ob res qui prægnantis animo mulieris auiditatem rei magnæ vel paruæ ingenerare ingentem nouit, poteſt efficere vt naſcatur partus figuratus, coloratus, & affectus illa re; ergo ſi concupiſcat virtutem, nobilitatem, ſapientiam, communicat ſeminaliter fœtui hæc ipſa. Itaque ſpiritus fœtus iuxta eundem affectum operatur, fabricatur, creſcit, multiplicatur, ſicut dicebamus de rabidis conuerſis in canem; quoad ſpiritum, & actiones; remanente duntaxat figura ac mente humana, quæ tamen pene amittit cognitionem ſui, quod mens ſit humana, propter vnionem rabidi ſpiritus in caninum acti. Hanc affectionem ſtudiumque ſecum fert natus, euaditque talis, qualem procurauit magus. Ergo conceptio, pluſquam natiuitas poteſt in fœtu: licet variari queat ex nutrimento & accidentibus, in quibus oportet adhuc magum eſſe ſollicitum vſque ad natiuitatem. Quam, quia perfecti eſt hominis, & certior, & velut principium, vnde vita ſequitur, Aſtrologus conſiderat; ſed meliora præſtaret, ſi conceptionem pernoſſet.

Poſſunt quoque ex lacte temperies, moreſque mutari in tenell.

fœti

fœtu,& generoſa nutrix generoſos reddit; ignaua ignauos, vt Cryſippus dicebat, & cauſas diximus. Idem obſeruare poſſet magus in generando doctrinam in diſcipulo vna cum deſiderij vehementia. Atque mutare illius temperiem aquis deſtillatis, purgationibus, oleis,aëre,cibo,potuque,conuenientibus ſpiritui puro, lucido, nobili. Sed religio longe magis immutat remouendo affectus ſordidos, viles,vanoſque, imprimendoque cupiditatem rerum diuinarum cæleſtium & præſtantiſſimarum. Hoc autem fiet natura diſponente, & gratia diuina perficiente.Fides ſane nihil hæſitans pura & viua fundamentum eſt altiſſimi ædificij vſque ad Deum grandeſcentis. Hanc concedat nobis ipſe Deus. Veh miſeris,qui vilibus ſemper in rebus fidem locamus; idcirco etiam ſemper vileſcimus. Ecce quomodo ipſa naturalis Magia noſtram nobis detegit ſtultitiam. Poteſt & magus, veluti plantas vbi libet oriri facit, facere,vt naſcantur animalia: At illa modo,quæ ex putredine fiunt, vt mures, pediculi, muſcæ, anguillæ,vermes,non autem Elephanti, equi, homines. Dicitur Architas columbam fabricaſſe,quæ cum aliis volabat: & in Germania artificialis Aquila itidem viſa eſt ſub Ferdinando Cæſare. Sed opificium fuit ex attractionibus confictum,ſicuti recentia horologia,vt dum rotæ filis circumdatæ voluuntur, eleuent, deprimantque alas. Haud equidem credam ſpiritum & carnes in eis fuiſſe. Statua Dædali quoque ponderibus & rotis & argento viuo mouebatur. Dicitur etiam Albertus caput humanum confeciſſe quod loquebatur,ſed fabula eſt. Animal enim tam perfectum non niſi in vtero fabricari poteſt. Nouem enim menſes requiruntur ad abſolutionem eius. Sol autem vires ſuas detinere loco in vno non poteſt. Tellus enim in oppoſito vinceret cælum; nec hic calor concinnari poſſet vt in vtero: Sicut ſecare non poſſumus ſtuppa & aqua ſed ferro. Nec ab arte calor talis & ſemen affectum idea equina vel humana concinnari poſſet. Deus igitur perfectis generationem ab inuicem præbuit: Imperfectis vtramque. Nam paruo negotio abſoluentur. Auicenn. contendit omnia abſque ſemine animalia poſſe oriri,ſed ipſe hoc non fecit,nec Epicurus, nec Diodorus Siculus, aliique, allegantes quod ex Nili inundatione, humefacta Ægyptiaca tellure animalia ingentia naſcuntur. Ponunt & ſylueſtres homines ſponte generari & accolas noui orbis, quos ignoramus vnde & quando eo tranſierunt. Equidem contendere in hoc pigreſco. Poſſet forte natura eas concinnare vires quibuſdam in locis, quæ opificium perfecti animalis fabricent; Poteſt & Deus formoſo mox opificio infundere mentem,ſicut in vtero conſueuit. At hiſtoriam certam non habemus,niſi de Adamo. Et quidem impoſſibile arbitror aſſertum Auicen. Incolæ noui orbis ex noſtro tranſierunt hemiſphærio: Et Plato ſcribit in Atlantico hiſtoriam antiquiſſimam, fuiſſe quondam in Oceano Atlanticam inſulam, quæ vtrumque co-

pulabat hemiſphærium, quæ in diluuio ſubmerſa eſt. Itaque antiquiſſimis in temporibus ſub Noë transfretarunt & memoria perdita eſt; Sicut apud nos Origines multæ ignorantur. Itidem ex Iſlandia, quæ eſt vltima forte Thule ad Eſtotilantem, breuis eſt nauigatio, & ex China in Iapone, & ex Iapone in Quiuiram breuior, vt transfretare potuerint, & quidem in Iucatham circumciſi more Hebræorum inuenti ſunt plurimi incolæ: rituſque multi noſtris perſimiles. At ſimiles homines ſunt & ſimilia poſſunt inuentare. Hæc ars efficiendi perfecta animalia adhuc viſa non eſt. Nam perduraſſet inter homines. In ſtatuis enim dæmones loquebantur. Nec in hoc dubitare licet: Metallum namque nequit ſpiritu humano animari; Excipere diſtillatorio ſpiritus animalium intra occiſorum poſſibile non eſt, nimia tenuitate refugiente; nec refundere ſicut magnetis ſpiritum, quoniam hic eſt liquor. Sponte naſci ingentia animalia duplici forma decorata, arduum eſt creditu. Satyri homines ſunt ſylueſtres à noſtris aberrantes. Nam capti ciuilitatem didicere, & literas, & genuerunt homines. Inter Scotiam & Angliam non deſunt, & in Scrifinia & Scandinauia: Et Plinius genera multa narrat hominum ſyluestrium. Qui ergo contemplationi & opificio operam ſedulam nauabit, plura quam dicere queam, inueniet & faciet in laudem Authoris rerum, rite conſiderans ſymbola cæli & terræ & maris. Ars volandi poſſibilis mihi videtur, cum qui ſuper funem ambulant, quaſi volant; ſi quis ergo cibis aptis & abſtinentia agilitatem funambulorum ſibi comparabit, ac alas ſimiles gruis alis parabit, ac bene imitari intelliget, vt brachia ſint alata & crura & coxendices pennatæ, poterit forte volare, non ſicut natare, ſed difficilius, & de ciuitate in ciuitatem ibit, & de Inſula in Inſulam adiacentem volatu vno. cogitet cui datur. Proculdubio volauit Dædalus, & in Calabria quidam per quingentos paſſus, ſed ſuper nucem deſcendens, cruris fracturam paſſus, artem dimiſit: Hæc vna ars mundo deeſt. Ego autem hic artes non manifeſto, ſed rerum modo ſenſum, in quo Magia fundatur.

Appendix ad cap. 19. in quarto libro.

DIcunt, Raſim & Albertum homunculos arte generaſſe. Paracelſus hoc Arcanum arcanorum in ſuo 1. lib. de rerum natura ſe à Deo accepiſſe gloriatur. Cùm enim docuiſſet putrefactionem eſſe finem tranſmutationum, & initium generationis ex calido & humido. Et res omnes putrefactione etiam attritas poſſe inſtaurari. Si enim reducantur in puluerem, & deinde claudantur in ſigillata cucurbita, & putrificetur, putrefactione ſumma ventris equini in phlegma mucilaginoſũ (quod calore perpetuo proportionato ſolet fieri materia viua; vt patet in ouis gallinæ, à Gallinæ, vel cuiuſuis alterius rei calore fotis) profectò in ſua teſta clauſum iterum īſtauratur in auem, vel colubrum, ex quo ortum habet. Et ſic poſſunt aues & res omnes occidi, & inſtaurari, Tandem de homine inquit, quod ſi ſperma viri in cucurbita ſigillata putrefiat ſumma putrefactione ventris equini per 40. dies, aut tandiu, donec incipiat viuere, & moueri, ac agitari. Quod facile videri poteſt. Poſt hoc tempus aliquo modo perſimile homini erit; attamen pellucidum & ſine corpore. Si iam poſthac quotidie arcano ſanguinis humani cautè & prudenter nutriatur & paſcatur; & per 40. ſeptimanas in perpetuo & æquabili calore ventris equini conſeruetur, fiet inde verus infans habens membra, quæ geniti ex muliere; ſed erit longè minor. Mox educandus diligenter, donec adoleſcat, ſapere & intelligere incipiat. Et hoc arcanum notum eſt Nymphis ſylueſtribus & Gigantibus, qui inde exorti ſunt. Et enim fiunt homines magni & miraculoſi, qui victores, & arcanorum ſcientes ſunt; quoniam arte nati ſunt. Idcircò in eis Ars præualet. Etenim connaſcitur. Et ideò omnes ab eis diſcunt, & ipſi non ab aliis; & vocantur ſylueſtrium & Nympharum liberi ob id, quod virtute ſua, non hominibus, ſed ſpiritibus ſunt ſimiles. Hæc ille. Reſpondeo, quod experientia me non docuit, adhuc ignoro. Aſſentior quod ex putrefactis fiunt omnia, ſed aſſiſtente virtute exteriori. Non enim inſenſata Philoſophorum Elementa, neque noſtra ſenſata, quæ ſui modò multiplicationem curant, animalia & plantas facere norunt abſque Artifice; ſicut nec clauem malleus, ignis, & incus, & lima, abſque Fabro. Item facile creditu eſt, quod ex ſui corruptione fiant eiuſdem rei generationes. Nam Raphani minutiæ in Raphanos ſatæ conuertuntur. Igitur ex ſerpentibus, aut auibus puluerizatis, aut maceratis, & in phlegma redactis iterùm ſpiritu vitæ educto, fieri plantas & ſerpentes non eoſdem numero non inficiabimur, ſed quoniam nec ex bobus boues, ſed Apes, nec ex leonibus putreſcentibus leunculos, ſed vermes fieri videmus; nec ex hominibus niſi vermes & colubros, profectò dubitandum eſt valde de

iſta hominis generatione,& non ex muliere. Nam etſi vuluæ conſimile vas adornant,in quo fiat putrefactio propriorum abſque miſturâ alienorum, quæ fit in putrefactis extra vaſa, cœli,& terræ, & aëris, & aquæ iniuriam patientibus:& ſemen humanum etiam adducat Paracelſus; alij verò hominem in fruſta reſectum, poſitúmque in vaſe putrefactorio, quod de ſe curaſſe fieri fabulantur Marchionem Villenæ; nihilominus tantum opificium committere vaſculo artificiato,& ſpiritibus ex putredine genitis non audeo. Spiritus enim muliebris quaſi incubans inceſſanter ſemini ſubminiſtrat vitalem vim, & ſui ideam,& multo tempore: quæ præſtare ſpiritus ille in vaſis, non viuificatus à fœmina tanto tempore non poteſt; ſicuti in his quæ modico tempore fiunt,accidit. At reuera in occiſis ordo rerum videtur obſtare,non paciens regreſſum à priuatione ad habitum. In ſpermate, vbi vis ſeminalis & ſpiritus ſeminalis ineſt, obſtat imbecillitas à non viuifico vaſe,qualis eſt vulua,non aucta actiuè, & idealiter, vti oportebat. Negare tamen non audeo; vbi enim eſt quid ſimile vuluæ, & intelligentia, ſi fiat humanum corpus, Deus non negat infundere mentem. Si Deus non reuelat, ego taceo, fabula de recreato Iaſonis patre apud Ouid. vana eſt. Non enim inſtauratio ſanguinis & ſpiritus, niſi & ſolidum inſtauretur,& coniunctim,præcipuè autem iecur, reficere poteſt animal ex quo ſpiritus & ſanguis exhauſti ſint. Vide Med. lib. 2. Sed quod addit Paracelſus, ex artificioſis natos eſſe Gigantas & Nymphas, falſum eſt. Nam primi abſque arte humana orti eſſe debent. Illos verò artem ad hominum generationem, & non naturam adhibuiſſe incertum falſúmque videtur: Niſi intelligentiæ executrices prouidentiæ Dei hac arte in Regione aliqua vſæ fuerint; vt Deus in formatione Adæ. Quod eſt incertum. Præterea falſum reputo, quod arte geniti ſint prudentiores,quam naturâ geniti, & Doctores iſtorum. Sapientior enim Natura eſt ſuprà Artem. Imò hæc eſt diſcipula eius. Nec diſcipula plus dare poteſt virtutis. ſemen enim eſt deciſio omnium cauſarum proximatum ad faciendum aliud numero Ens ſub intelligentiæ ductu. Ars autem ſuper hoc neſcio quid dabit. Vnde S. Thomas negat poſſe ab arte fieri aurum melius naturali. Aſſerit Ægydius; quoniam Ars perficit Naturam. Sed fallitur: perficit enim quod natura non bene adhuc elaboratum fecit: vel Naturam iuuat ad Opus ſuum; ſicut agricola ad fruges & flores,& Medicus ad ſanitatem ipſam iuuat. Non tamen poteſt dare alas & volatum homini, quales dat Natura auibus, licèt in triremibus imitetur Argus; & in Alis ex parte Dædalus.

CAPVT XX.

Neceſſariam mago optimo Aſtrologiam eſſe, & de eius virtute, veritate, & vſu.

HOminum nemo ita ſtupidus eſt, qui non animaduertat, generationem, corruptionem, alterationes, anni tempora, aëris mutationes & maris & terræ, & animalium & plantarum germinationes, augmenta, decrementáque à duobus effici luminaribus & ſtellis; Quoniam verò quicunque apud nos fiunt, ab his temporibus & mutationibus efficiuntur, omniſque effectus, ab alteratione, generatione, & corruptione confertur, proculdubio affirmandum eſt, Deum ordines & leges rerum, quæcunque fiunt in ſubſtantia corporea, locaſſe in ſtellis. Quapropter in Sap. 8. inter ſapientiæ diuinæ filias, id eſt ſcientias numeratur Aſtrologia. qua intelligimus ſigna & monſtra antequam fiant & euentus temporum & ſæculorum; Ergo & totius mundi. Porrò D. Gregor. colligit propinqua eſſe ſigna interitus mundi à Chriſto promiſſa, in ſole, Luna & Stellis, ex aëris immutatione ingenti ſuo tempore facta, quando anomalia erat in maxima velocitate, & ſol velociſſimè deorſum deſcendit gradus plurimos iuxta Albategnij obſeruationes, qui paulo poſt Philoſophatus eſt; factæque ſunt alterationes mirificæ in natura & Politica. Ergo mutationes quas cauſis inferioribus attribuimus habent adhuc cauſas potiores in cælo, quibus primo adſcribantur & deinde cæteris: Et concurſui totius mundi & conſenſui vniuerſali. Vere homo & Angelus liberam habent voluntatem, non tamen efficere poſſunt quod volunt. Quando enim pluit, neceſſe eſt pluere, & quando feruet, feruere; & quando detineris in carcere exoſo, manere; libera eſt voluntas, ſed nō actus exteriores. Quin D. Tho. acute 3. Cont. Gen. ait: Aſtrologos plerumque vera prædicere, quoniam homines plerumque viuunt ſecundum ſenſum alteratum ab aſtris, & non ſecundum mentem rationalem ſuperiorem aſtris, & quidē patet poſſe hominē occidere hominē lętitia afficere, rabie, ebrietate, ſomno adplicando, res corpus & ſpiritū ad eiuſmodi paſſiones mouentes. Ergo res naturales atque ſtellæ hoc efficiunt manente libero arbitrio; cum inuenias hominem quadraginta horis tormentorum ſæuiſſimorum cogi non poſſe, iudici aperire quod poſcit; ſi tanta vis voluntatem vincere non poteſt, multo minus poterunt ſidera ſuauiter

mouentia; ſed quidem plurimos videas, qui voluptatibus vinci magis quam doloribus ſoleant, ſtellæ autem ſuauiter agunt, modo quodam naturali, imperceptibili. Videmus plantas creſcere, nec quomodo & quando intelligimus. Equidem Aſtrologorum inimiciſſimus fui, & contra ipſos in adoleſcentia ſcripſi, ſed ex infortuniis didici meis multas ab illis veritates aperiri, magnam quoque inter eos ignorantiam verſari, cum ob magnitudinem & diſtantiam ſcientiæ huius; cum quia ineptus quilibet Aſtrologus diuinus eſſe cupit. Hinc ſcientia vituperiis conſpergitur. Sancti patres vno ore laudant Magos, qui Chriſtum in ſtellis cognouerunt. Expectabatur enim tunc temporis mundi Monarcha, teſte Cicer. & Plat. At. S. Auguſt. qui vt parum Aſtrologus negauit Antipodas, putat non eſſe, poſt mirificum magorum illorum ſtudium & experientiam ab eo & cunctis laudatiſſimam, huic ſcientiæ operam dandam puto, quoniam dæmon ingeri poteſt cum eis, qui ſuperſtiones pro Aſtrologia venditant. Sed quidem non poteſt dæmon efficere, vel vnam ſtellarum mutare ſitum & ordinem ſibi naturalem, vel cometas non oriri, nec Cancri ſignum fieri Capricorni, Nec ſcientiam inuenio Dæmoni iſthac minus ſubiectam. Medicina res tractat, in quibus Dæmon valet multum, nec tamen relinquenda. S. Iſiodorus & Hieron. laudant hoc ſtudium, longe magis Albertus Magnus; ſimiliter D. Thom. ibid. & in opuſc. & in 2. de generat. & corrupt. & S. Brigittæ reuelatum fuit, quod ſi homines curſus ſiderum bene intelligerent, ac Dei iudicia, nihil caſu euenire putarent. At quidem Eſaïas Aſtrologorum irridet prognoſtica, ſicut Iob conſilia Politicorum: Non tamen prudentia eſt abiicienda, ergo nec Aſtrologia, quando opponuntur, abiiciendæ ſunt, quoniam non filiæ & ſcientiæ ſed ſophiſticæ mancipia erunt. Et propterea Pontifex Aſtrologica iudicia vetat in eo ſenſu, quo vetantur ab Iſaia, quādo ſcilicet opponitur diuinæ prudentiæ, non quando ſupponitur. In naturalibus valēt Aſtra per ſe vt cauſæ vniuerſales, & ſigna: in ſupernaturalibus niſi vt ſigna eleuata à Deo, vt ſtella Chriſti, & cometas in morte ſanctorum. In moralibus vt cauſa per accidens: terant n. ſenſum cui ratio conſentiens ſeruit vel vtitur Aſtris: diſſentiens vincit Aſtra: magis a. ſi auxilio Dei agitur. Prognoſtica ergo de moralibus, & de morte principū, quoniā ſunt incerta & periculoſa valde rationabiliter vetat Sixt. V. Non n. vetat coniecturam, quā S. Tho. concedit, ſed prognoſticū etiā connaturale, quod nullus ſapiēs ritè concederet. Quæ mala ex prognoſi Romę accidere nemo ignorat; Non equidem credo Aſtrologiā ab hominibus inuentam eſſe. In mille enim ſeculis non potuiſſent homines tot imagines in cœlo deſignare quæ ſymbolo & virtute reſponderent rebus terreſtribus & marinis, & ſigna Planetis diſtribuere, iuxta qualitates ſuas, & triangulos proprios aſſignare, & terminos in gradibus 360. & exaltationes. Io-

ſephus & omnis Antiquitas Hebræorum putant reuelatam fuiſſe Noe à Deo, qui ſigna propalauerit pluuiarum diluuiorum, incendiorum, quando mox arcam fieri iuſſit cõtra diluuium. Idem ait Philon & ab Habram ad Ægyptios delatam fuiſſe. Moyſes quoque ſapientiſſimus hac in ſcientia videtur, ſi quis legem & cæremonias ſuas rite intelligat; & Priſci Patriarchæ hac ſcientia vitam producebant eorundem teſtimonio. Plato quoque in Epinomide arbitratur non potuiſſe abſque præeunte Numine hanc ſcientiam inueniri, putatque reuelatam fuiſſe. Nec ego ſatis eius principia defendi puto, niſi reuelatione teneantur. Sed de his in Metaph. Igitur veram eſſe ſuppono, ſed phyſico intellectu, affirmo ſtellas eſſe cauſas ac ſigna directe rerum naturalium inferioris mũdi; indirectè verò actionum liberarum: rerum vero diuinarum tantummodo ſigna. Maximum opus hominis eſt, leges hominibus ferre; Sub arietis triangulo ſignatur Monarchiæ ingentes, leges iuſtæ, ſapientes diuinorum, pietas diſpoſitiuè. Natu alia enim ſunt diſpoſitiones ad moralia bona cæli, & Europæi, in noſtro hemiſphærio: in altero verò ſub libræ triangulo iſta fiunt. Sub triangulo Tauri labaſcunt, & partim fiunt Reſp. & leges variabiles & doctrinæ. Libido regnat & mutationes multæ, & bona terræ & Babylonii cum parte Aſiæ meridionali, in noſtro hemiſpherio in altero vero appoſiti parallelo, & ſub Triangulo Scorpii: Sub Geminorum triangulo regna ſacerdotalia, Reſp. multæ, principatus congeminati, cæremoniæ, ſuperſtitio, mercatura, artes mechanicæ, res aeris, Aſia Septentrionalis & oppoſiti illi occidentales: Sed in altero hemiſpherio hæc ſub ſagittarii Trigono fiunt. Sub Cancro hæreſes, leges armis defenſæ, impietas, caſus eorum, quæ facta ſunt in primo; itinera & Inuentiones regionum multæ, imperium mulierum luxuria dira; inuentiones in aqua: Tyrannides, Africani. At in altero hemiſpherio ſub Capricorno iſta fiunt. Coniunctiones magnæ in quolibet Trigono perſeuerant annis fere ducentis, & poſſunt in ſubditis; mox tranſeunt ad ſubſequens, & abſoluitur omnium circulus in 800; & tunc in rebus dira mutatio. Vnde D. Thom. in lib. de Regim. principum ad moralia ac leges valere Aſtra diſpoſitiuè dixit. Et laudat Macrobium qui dixit Iudeos ſaturninos in lege & moribus. Saturnus, Iupiter, & Mars res longæ durationis efficiunt, & tarditate; Luna & Mercurius breuiſſimæ, alii mediocris. In duodecim ſigna obliquitas ſolis & Plantarum partitur, quoniam toties ſol Lunæ coniungitur in ſolari obliquitate, ex qua fit annus. Cuilibet ſigno dantur 30. gradus; quoniam trigeſimo quoque die reconiunguntur. Eorum coniunctiones & oppoſitiones varietatem ordinariam rerum faciunt, & varietatis varietatem ex ſitu ad fixas & cardines, & alios planetas. Sed quæ fiunt ante ingreſſum ſolis in puncta cardinalia in quatuor Arietis, Cancri, libræ, capricorni, plus valent tribus quibuſq; menſi-

bus: Cæteræ ſequuntur ipſarum regulam. Planetæ, habent domum, trigonum, exaltationem, & Terminum, quoniam experientia docuit, plus in hoc quam in illo ſigno hunc Planetam operari & valere. Similiter plus in quibuſdam partibus eiuſdem ſigni & aliorum, vel plus immorari, ex quo cognoſcitur locus Apogei validus: cuius mutatio de ſigno in ſignum Planetæ vim transfert, & aliis proinde rebus, nationibuſque fauet: magis autem indicat efficitque tranſpoſitio, æquinoctiorum, ſolſtitiorum, excentricitatum & obliquitatis mutatio. Quorum varietas alias tardior, alias velocior fit. Res in tarditate genitæ, diuturniores ſunt. Deſcenſus ſolis transfert virtutes de Oriente & meridie in occidentem & ſeptentrionem, Obliquitas miſcet ſeptentrionales auſtralibus, quando ſtringitur; Econtra ſi ampliatur. Translatio magnarum fixarum de ſigno ſtellato, in ſignum non ſtellatum, in ſpatio vniuerſali imaginatum, & ex cardinibus cointellectum, transferunt Principales hominum poteſtates & nationum ſedes. Planeta in angulo maxime poteſt; in ſuccedentibus minus; in cadentibus vileſcit, & ad male agendum valet. Quoniam in 12. domicilia partitur poſitura cæli: quando igitur fit Coniunctio aut oppoſitio Eclyptyca, ſiue alius aſpectus, ſiue Cometa, effectus maior erit in prouincia & ciuitate cui perpendiculariter eſt, præſertim ſi non repugnat origo & Trigonus, & apheta originis; conſequenter præualet magis in angulo Orientali, & poſtremo in occidentali. Angulus Nadir non tantopere valet, niſi in occultis & fundamentis. & in Orientali quadrante indicat iuuenes & principia rerum & quæ promouentur: in medio cæli viros, media Principes, templa & quæque clariſſima afficit. In occidente vero fines, ſenes, inimicos, abſentiam, prout magis minuſue propinquant, & planetæ angulares & ſigna, & finæ maiores conſignificant, & determinant; & interregnantes magis & ſigna fixa res ſtabiles, communia populares & duplices animo, vel re. Æquinoctialia & ſolſtitialia, ſacra, doctrinas, leges, & primordia tangunt, quibus adde Configurationem & ſitum & vim, quam in anni circulo habent: Eandem enim per analogiam in rebus conſimilibus ſeruant. Naſcenti cuilibet homini vel ciuitati, vel arti vel rei, vitæ dator tribuitur plerumque ſol & Luna, ſi ſuper terram & in angulo & dignitate, vel in tribus domibus ſublimioribus fuerint aut planeta interregnans in angulis potens in locis luminarium & Synodorum aut oppoſitionis præcedentis & in loco fortunæ. Aut ipſa fortunæ pars, quæ eſt horoſcopus Lunæ, aut ipſe horoſcopus & Zenith. Porro cum apheta beneficis fouetur ſtellis, bene ſuccedunt negotia & ſalus illi cuius eſt apheta; quando maleficis male. Quilibet Planeta propriis pollet conditionibus & bona malaque inducit per ſe, quæ ipſe poteſt; Aliis miſtus miſta. cum ergo tuus præualet aphæta, res tuæ pertinentes ad illiuſmodi aphetam & nego-

tia,

tia, & ſalus bene ſe habent, & tunc oportet operari, vt ex voto ſuccedat actio. Nec enim ſub cane vites plantamus, quoniam cælum earũ plantationi obeſt, aliarum vero rerum minime: quod manifeſta tẽpora rebus manifeſtis efficiunt idem occulta occultis. Non enim annus modo ſolaris extat, ſed omniũ Plantarũ ſimiliter, & ſynodi, & teri aſpectus. Agnoſcere autem virtutẽ aphetæ ex poſitione quam ad ſolẽ habet & ad mũdi angulos & ad proprias dignitates cõſueuimus. Virtus illorum ingens eſt in ſe, in nobis v. pene inſenſibilis propter diſtantiam. Solaris tamen & Lunaris patent vbique; Propter hoc ordinariẹ mutationes & res luminaribus cõpetunt; Aliis vero ſtellis extraordinariæ, quas cum ipſis conſortiuntur. Mirifica cum voluptate inueni aphetam meum, cũ ad Diametrum aphetẹ propinqui mei perueniſſet; vel directione vel tranſitu inimicitiã comportaſſe. Et tunc oportunum arbitror phyſica iam dicta remedia ad inimicitiam adplicare: Quando v. ſextili, aut trigono radio ſeſe aſpiciunt, amicitiam per pharmaca & verba procurare: & quidem conferre ad amorem Quando in domib. Aphetarum aut in bono aſpectu fiunt Ecclipſes & magnæ ſynodi prodeſt ad facinora præclara & nouitates. Obſeruanda ſunt ſigna fixa, mobilia, communia, maſculina, fœminina, quæ ſic dicuntur ex ſtabilitate, vel origine, vel mutatione temporum in ipſis, aut ex vi influendi. Quinquaginta in cœlo ſtellato ſunt imagines animalium aliarumque rerum pluresque notari poſſunt. Omnes que in terra & in mari ſibi ſimiles res habent quibus influunt; & quando maleficæ in eis ſtellæ ſunt, aut configurantur male influunt, cum beneficæ, bene. Et res omnis terreſtris ad eas refertur, & quicquid reperitur in terra ſiue naturâ ſiue ab arte, reperitur & in mari: Itaque reperias piſcem enſem cũ enſe atramentariũ cum atramento & penna, nouaculam; catenam, loricam, ſtellam, item epiſcopũ noſtro Epiſcopo ſimilem prorſus; & hominem, quem à nobis vix ſecernas. Et ſufficit, quòd inquam, omnia vbique reperiri. Eſt ergo in arcanis naturæ ſymbolum mirificum ab idea communi æterna. Plinius ipſe, qui dixit, *non tanta cum cælo nobis ſocietas eſt*, poſtmodum admiratur heliotropium cõuerti cum ſole; & lupinos oliuaſque motum eius obliquum inſequentes; & puleium carduumque intrante ſole in ſolſtitiorum puncta florere ſub eadem nocte; quibus vtuntur Magi. Sed quid diceret de magnete polum inſpectante, & de Indica aui, quæ ad Lunæ curſum mutat remutatque; circulariter colores? Et de lapidibus ſtellariis, qui ſtellarum imagines habent? Et de aliis quæ varias animalium formas referunt? Hoc ſane: Naturam vniuerſam ſibimet conſimilem eſſe, & in Ideis diuinis, quæ præexiſtunt in vnica Idæa verbo Dei, viui, veri & ſancti. Habeantne Aſtrologicæ Imagines virtutem ſolummodo à metallis, ex quibus conficiuntur, vt D. Thomæ videtur, aut etiam à ſtellis per ſymbolum, cum fiant tempo-

re Dominatus earum & in metallo illis ſymbolico, equidem non intelligo, quoniam experiri non licuit. Idem de characteribus dico; At forte virtutem habent ſtellarem exiguam, inſenſibilem, quæ ab omni vi ſuperatur, niſi affectione nutriatur, vt dictum eſt, vt patet de bacillis ferreis, qui niſi in ſubero natent non poſſunt ſuam poſituram oſtendere. Quod autem eligere tempus negotiorum & opificiorum volunt, non modo libertati humanæ non nocet, ſicut quidam putant, ſed actus eſt ſagacitatis liberi arbitrii, teſte Alberto Magno. Hoc autem quicunque neget, nauigare nobis ſuadeat non obſeruata Luna, & ventis, & peribimus naufragio; & ſeminare & plantare abſque ſtellis & tempore, ipſarum motus ſobole, & colligemus fruſtra. Sed quidem ſi his actionibus ita conferunt, de cæteris idem reſtat iudicium. Medicina cogit nedum perſuadet criticos obſeruari dies; hi autem à Lunæ pendent motu. Nam quartus idcirco criticus eſt, quod luna peruenit ad ſignum ſuccedens & ſitum contrarium illi in quo morbus incepit: Ergo affectum adducit contrarium. Ergo vel ſanat, quia natiua vis vincit, vel deterius ſe habet, quia vincitur. Quartus autem indicatiuus eſt ſeptimi, quoniam tunc peruenit ad aliud Contrarium perſimile primo; ſimulatque ad perfectum ſuum quadratum totale, aſpectum nempe inimicitiæ mediocris, in quo maior expectatur mutatio; quæ ſi in aliis compareat diebus, pernicioſum ſymptoma reputatur, quoniam fit in ſigno ſimili eius origini, nec proinde aduerſatur morbo, quod eius fauet exordio. Quin morbus vigorem aſſumit, quoniam in ſuo ſextili, aut trigono ſit proficuo ſibi; hinc patet error medicorum, qui ſemper in ſexto iudicium malum credunt, nec ita ſe habet in Experimento noſtro; quando luna eſt velox, (Non enim ſemper æquali fertur motu) peruenit ad ſuum quadratum in ſexto die, quando vero tardior in octauo idcirco vtilem facit ſymptomaticam mutationem: At in 14. ad oppoſitionem pertingit inimicitiam totalem, & tunc mutationem affert mirificam. Idem obſeruabis in ſequenti hebdomade in die 18. & 21. ſemperque incipias numerum ſequentis in numero poſtremo præcedentis in medio ſeptenariorum, non autem in fine, vt congruat numeratio critica aſpectibus lunaribus in cælo. At in acutis dicimus, vnus duo, tres; & deinde repetimus tres, quatuor quinque ſeriatim. Quoniam in qualibet ſigni mutatione, quæ fit tertio quoque die fere ipſa Luna mutationem facit, non in craſſis rebus parum ſentientibus mutationes non vehementes, ſed in tenuibus, velocibuſque quales ſunt acuti morbi ex materia & accenſione tenues. In peracutis verò citius. Profecto qui non nouit eius mutationes, ſtationes, velocitates, tarditates & aſpectus ad ſolem & ſidera, imperitus eſt medicus valde.

Porro cum febres aliæque alterationes tantam cæleſtium obſer-

nationem requirant, longe maior exiſtimanda eſt deberi cæteris in rebus tempori ſubiectis. Idcirco geneſis ægroti thema erigere, & horæ decubitus, neceſſarium eſt mago; namque eadem influentia, quæ huic nocet, alteri prodeſt; idem dico in omnibus actionibus. Itidem quæ amico fauet, fauet & tibi, & animalibus homini familiaribus; quæ autem obeſt tibi, amicis quoque tuis obeſt propter ſymbolum; idem in cæteris conſimilibus obſeruatur rebus: Nam & patiente mari omnes afficiuntur aquæ: & cum Saturnus in virgine ſigno humano producit brucos, obeſt humaniſque animalibus vt equis, bobus, ouibus, & particula naſi ſeruilis coalita herili, & mortua in morte ſerui indicauit id ſuperius abunde, & Tarantularum affectio, vſque ad ipſarum mortem reuertens. Obſeruare ſingulis in menſibus Lunæ aſpectus neceſſe eſt; in annis ſolis ingreſſum in cardines vigeſimo quoque anno ſynodum magnam, & cyclum capitis Draconis; in intermedio Periodos Plantarum. In ſeculis triplicitates abſides, excentricitates, obliquitates, ſolſtitia, æquinoctia, tam ſolis quam planetarum analogice. Item origines magnarum rerum, vt legis, religionis, Monarchiarum Rerump. incendiorum, diluuiorum, bellorum, & quicquid varietatis addunt ordinatio curſui Ecclipſes, & cometæ. Singulis autem diebus poſitionem ſolis ad cæteros Planetas, & in qualibet diei quarta cardinali introitum ſolis ad angulos tui horizontis: Reliquum n. illis conformatur. Sed etiam in quauis hora Caldæi dominatum Planetæ obſeruarunt, ei ab prima hora, in qua ſinguli per circulum dominantur, diebus nomina impoſuerunt. Quod adhuc perſeuerat etiam in Chriſtianiſmo. Sed ſane ſucceſſionem admirator qui potis ſit cum in eodem tempore hora alia eſt Romæ Hiſpaniæ & Planeta alius. Poteſt quoque Pianata tunc debilis eſſe, ac praue affectus, quomodo ergo dominabitur? At cum cogito ſucceſſiones huiuſmodi ætatibus tribui: quarum Luna habet quatuor primos annos; Mercurius currit vſque ad 14. Venus ad 22. Sol ad 41. Mars ad 56. Iupiter ad 68. Saturn. ad 98. & ab apheticis locis fieri profectiones ſignorum annuas, quæ vim in genituris habent manifeſtam, ad hanc etiam ſucceſſionem credendam inducor; at quidem virtutis eſſe imbecillæ, inſenſibiliſque & Planetam qui reperitur inualidus, propria non carere viciſſitudine, ſed noxiam eſſe, vt cum ſunt in detrimento; & cuilibet horizonti propriam ſucceſſionem eſſe, atque infinitas eſſe multiplicationes conſimiliter ad rerum numerum. Hoc aduertendũ quoque videtur hodierno tempore, ex quo totius orbis ambitus peragratur & notus eſt; Poſſe quemlibet in cælo gradum cuilibet terræ gradui aptari ad perpendiculum, & intelligi potentiam conſtellationis, & cometæ, & Ecclipſis ſuper ſubdita prouincia & regno, & ciuitate; Nouamque conſtrui Aſtro. Ptol. ignotam; ſi mundi geneſim certam habe-

remus mirificè prædicere ex illa poſſemus. Sed bibliorum translationes variæ Hebræorum & Chriſtianor. & 70. interpretum, incertitudinem faciunt: & anni circulares abſque menſibus, & diebus, & diuerſitas eorundem ſacrorum librorum, occultam facit chronologiam Falſo tamen Cicero Chaldæis 70000. annos obſeruationis, tribuit, deceptus ab hiſtorico greco: Caliſthenes enim Ariſt. teſte. Simplicio 5000. tantum in archiuis inueniſſe ex Babylonia ſcribit: Alii alios numeros habent; vt Plinius, Herodotus, ſed falſis innixi relationibus. Nos ergo obſeruabimus horas, aſpectus, directiones, progreſſus peculiares & mundi, & legis, & regiones, & illorum quibus adplicatur magica vis, & tranſitus pecul. vt perfectam magiam aſſequamur & opera.

Non minus conſideranda ſunt metalla, & lapides & plantæ & animalia & ſigna cæleſtia illis fauentia & noxia; Itidem quæ prouinciæ & leges & mores, quibus planetis & aſtris & conſtellationibus iuuentur aut turbentur. Noſſe inſuper decet conſtellationes vniuerſales, præpotentiores eſſe particularibus, & ſpeciales Indiuidualibus. Nam peſte, aut naufragio, aut bello effectibus vniuerſalibus moritur, qui modicam mortis ſignificationem habet. Idem in euentibus felicibus dices. Itaque; cum fortunatis viuere fortunatum eſſe ſolet, aut infortunium certe imminui: Qua in re pericula facta ſunt plurima. Natiuitas regni præeminet Regis natiuitati ſigna quæ in auſtrali hemicyclo dominantur, ſeruiunt in Boreali. Vbi regnat Saturnus in Borea, ibi Sol & Luna in auſtro; Sic de cæteris.

Sed de his in proprio commentario fauente Deo. Perfectæ actiones omnes per magiam naturalem indigent temporis obſeruatione: Sicut medicina, Agricultura, & Nauigatio comprobant. Vnde Pontifex cum vetuiſſet Aſtrologiſmus in moralibus, & ſupernaturalibus: commendauit eum in prefatis artibus. Ad mores enim ſcientias agunt Aſtra diſpoſitiuè tantum, vt ait S. Thom. Deus motiue, Angeli & preceptores ſuggeſtiuè. Ad augendum quidpiam creſcente vtere lunæ ad imminuendum & vendendum deficiente, & ſingulorum Planetarum poteſtas & obiectio in tractanda re illis ſubdita perpendendæ ſunt, exque vna operatione ſimili ad aliam operationem ſimilem transfertur influentia ſimilis. Nulli ignotum, ſatellitium luminarium conferre ad ſequelam nobilium; pleiadum vero ad vilium, ſtellamque ſolitariam in angulo exercitui aduerſam, & cadentem caſui rei bonæ, vel malæ proficere, in angulo verò exaltationi & pretio. Hoc autem manifeſta fit ratione. Stellæ omnes bonæ ſunt toti mundo: Sed partibus aliæ bonę, aliæ malæ. Hominibus Venus & Iupiter; Colubris, & feris horridis Saturnus & Mars. Quod prodeſſe vides rei tibi amicæ puta tibi quoque vtile eſſe: At illa in parte aut actione, in qua diſſimilis. Nec enim ſimilitudo abſque diſſimilitudine, nec

diſſimilitudo abſque ſimilitudine reperitur. Stellæ inter ſe alias habent magias, quoniam aliter afficiuntur viuidis ipſarum mutuis viribus. Nobis autem iſthæc, quam ab effectibus notamus, conueniens Menſuratur Ieruſalem pede Angeli in Apocalypſi: Noſtra autem pede hominis. Entia quæ apud nos fiunt à calore gignuntur, magis minúsve, robuſto, copioſoque & variis operante modis, & cuilibet Entis gradui correſpondet caloris gradus demiſſus ab aſtro eidem proprio: receptuſque in tali temperie, talis tantuſque. Sic ſigna variant gradus viresque calorum. Apparent quædam frigida, ſiccaque vt Saturnus: Sed quidem talia ſunt ad alios comparata calores. Nobis aqua & vinum & herba frigida ſunt tactui, ſed calida ſibi à calore genita: & eorum gradibus is reſpondet calor cæleſtis qui frigidus adparet. Quilibet caloris gradus agit in quemlibet, variam ob materiæ affectionem. Idcirco tepens aqua feruorem calidæ aufert miſta, illi, in pluri materia calorem dilatando, imminuendoque robus; oleũ extinguit ignem, poros vnde exit obturando. Chichoria refrigerat iecur blando calore ſuo adaperiendo duritiem, educendo flammam, qua indurabatur. Aqua tepidula cruſtam aduſtionis igneæ ſanat adaperiendo & flammæ exitum parando à duritie irretitæ. Sic Saturnus refrigerat, Mars vrit, Iupiter & Venus blando humidoque calido fouent, Luna varium influit, ſol feruidum, Mercurius acutum inſenſilem & prout ſunt tardi motu aut veloces imprimunt tarde aut cito calorem, ex quo omnis eſt influxus. Sic effectus remanet inde affectus. Sed rerum noſtrarum vita motu ſubdefficientiæ menſuratur, cæleſtium verò motu reali quoniam plus non Entis quam entis noſtram ingreditur compoſitionem, vt patuit in noſtra Metaphyſ. Influunt & magis à loco ſuperiori quam inferiori, ob rectitudinem, & vapores paucos; & plus ab Angulis ob idem, & plus matutini à ſole, quoniam ab ipſo viuificantur & non vincuntur, & plus veſpertini à Luna, quoniam ad eos vadens dat vires, non tamen vincit quoniam vires non ſummas obtinet, ſitus quoque à mundo conſiderandus eſt. Sed Scientia hæc infinita eſt; Sed qui Symbola animaduertit, omnia intelligit, licet non omnino.

EPILOGVS

De ſenſu Vniuerſi.

MVndus ergo totus eſt ſenſus, vita, anima, corpus, ſtatuà Dei altiſſimi, ad ipſius condita gloriam, in Poteſtate, Sapientia & Amore. Nullam ob rem dolet. Fiunt intra ipſum tot mortes ac vitæ, ſeruientes ipſius magnæ vitæ. Moritur in nobis panis & fit chylus, qui moritur, & fit ſanguis; ſanguis moritur & fit caro, neruus, os, ſpiritus, ſemen; patiturque varias vitas, mortes, dolores, voluptates, noſtræ tamen vitæ ſeruientes; Sic toti mundo res omnes lætitia ſunt & vtilitas, quoniam res cunctæ totius gratia ſunt; totum autem Dei gratia in gloriam ipſius. Intermanent ſicut vermes in ventre animalis, omnia animalia in mundi ventre, nec putant ſentire mundum, ſicut vermes ventris noſtri, nos ſentire minime norunt: nec animam longe diuiniorem habere, quam ipſi habent: non tamen animantur animalia animatione beatæ animæ mundi, ſed quodlibet propria, vt vermes in nobis, qui rationales non ſunt; vti nos. Quamuis homo ſit vermis in Mundi ventre, aptus tamen natus eſt adſumere alas Sapientiæ, & Amoris pennas, ac fieri Angelicus Ales, vt ex Sericeo vermi Papilio, & pyrauſta ad Dei lucem vſque volitans: quem in ſe & in Mundo ſentit. Homo quippè epilogus eſt totius mundi, eius cultor & admirator dum Deum noſſe velit, cuius gratia factus eſt. Mundus eſt ſtatua, imago, Templum viuum, & codex Dei, vbi inſcripſit & depinxit res infiniti decoris, geſtas in mente ſua, & proprios conceptus expreſſit, quem viuis ornauit ſtatuis ſimplicibus in cælo, demortuis miſtiſque in terra. Sed ex omnibus ad Deum attollimur.

Beatus qui legit in libro hoc, & ab eo diſcit rerum quidditates, non autem proprio confingit arbitratu, aut alieno. Hinc percipit artem & regimen diuinum; ac proinde Deo Dei ope ſimilis fit & ſpiritus vnus, & cum eo in eius lumine videt res omnes bonas eſſe; Malúmque eſſe reſpectiuum ac laruam in partibus agentibus iucundam coram Deo comædiam, & ſecum gaudet, admiratur, legit, canit infinitum, immortalem Deum, Primam Potentiam, Primam Sapientiam, Primum Amorem vnde omnia ſunt, & omnis Entitas, poteſtas, ſapientia & amor deriuatur, & eſt, conſeruatur & mutatur ad fines communi animæ notos, quæ à creatore diſcit, & creatoris artem in rebus inſitam intelligit, & per illam res omnes ad finem ſummum ducit mouétque, quouſque omnia facta fuerint omnia; & omnibus exprimantur diuitiæ & formoſitates ideæ æter-

næ. Qui eas admiratur, cognoſcit; Qui cognoſcit, operatur, qui ſimilis amicuſque Deo eſt, particeps vniuerſalis ſapientiæ perpetuo glorioſæ. Quam obſecrare æquum eſt, vt ad ſui agnitionem perfectam nos eleuare dignetur, Amen.

FINIS.

[illegible] tre. il meglio.

t
u
12

lobo